UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini Floret, Membri Historia Critica Philosophiae

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Liber Secvndvs. De Novis Laboribvs Veterem Philosophiam Revocantivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

Visual Library

* *

LIBER SECVNDVS.

DE NOVIS LABORIBVS VETEREM PHILOSOPHIAM REVOCANTIVM.

CAPVT I.

DE CAVSSIS MVTATAE TEMPORE EMENDATAE RELIGIONIS PHILOSOPHIAE.

§. I.

Status philosophiae tempore reformatae religionis mutatus.

Hactenus diluculum vidimus, exorientis philosophiae, pristino nitori restitutae praenuntium: secuta est non aurora modo, sed ipse solis desideratissimi ortus, philosophia tandem elegantiori habitu prodeunte, totamque philosophandi rationem emendante atque immutante. Quam mutationem; maximam partem exoptatissimae, quae ineunte seculo post reparatam salutem decimo sexto, suscepta est, religionis emendationi debet. Ea qualis fuerit, quibus ex caussis aggressi illam, sint viri maximo animo et ingenti pietatis zelo instructi, quibus mediis inter infinita obstacula; et imprimis inter barbariei, tum literarum tum morum atque doctrinae remoras saluberrimum negotium tot tantisque multorum seculorum desideriis suspiriisque expetitum ad metam peruenerit, quos effectus et impedimenta habuerit, et quae alia sunt, quae de maxima, quam ecclesiae fata vnquam viderunt, catastrophe enarrari solent, ea heic, vbi omnia alia agenda sunt, merito tacemus; adeundique viri docti, qui reformationis historiam luculentis commentariis explicuerunt. Plurimum vero ista religionis Christianae, infinitis corruptelis per tot secula a pristina integritate deficientis, emendatio ad restituendam elegantiorem philosophiam contulit. Cum enim quicquid recti verique cupiens animum ad amplectendam sanam doctrinam aduertebat, horrendae, quae ingenia hactenus vinxerat, barbariei, ignorantiae, et praeiudiciorum errorumque nocti eriperetur, et excitaretur ad meliora audenda ruptis seruitutis, cui, licet turpissime, magno tamen obsequio totus Occidentis orbis parebat, vinculis, ipsa quoque philosophia sub hoc iugo hactenus gemens et depressa caput iterum erexit, et liberiorem hausit spiritum. Nempe arcto hactenus, vt in antecedente tractatione demonstratum, nexu cohaeserat philosophia et theologia; quae cum vtraque Scholastica fuisset, hominum illorum, quos in

ſcholarum publicarum et monaſteriorum cathedris aluerat ſuperſtitio longe lateque regnans, ſtudio ita perdita et ad placita hierarchiae eccleſiaſticae attemperata fuit, vt ex communi hoc fonte, vtriusque corruptio neceſſario profluxerit. Vbi vero communi malo medendo opitulatrices iunxerunt manus viri fortes et diuino zelo, magnisque praeterea ingenii dotibus inſtructi, non doctrina modo ſalutaris reſtituta atque emendata eſt, ſed philoſophia quoque laetiora fata habuit. Vſi enim tunc viri cordati rationis a Deo tributae viribus, depoſitoque praeiudicio auctoritatis, ſectae, obſequii, et ſimilium capiſtro, liberius ratiocinantes, inque veritatis inquiſitionem diligenter incumbentes, Scholaſticae philoſophiae origines et natales, indolem, cauſſas, effectus, et arcanam rationem omnem perſpexerunt, clareque intellexerunt, quot modis a verae philoſophiae indole degenerauerit. Quod quamuis nonnulli, qui acutius viderant, hactenus ante iſta tempora obſeruauiſſent, quia tamen malo medicinam nullam parauerant, intra ſuſpiriorum querelarumque limites perſtiterunt, meliora vero dare non auſi, vel ſi audere quicquam conarentur, a caterua delirantium ſuppreſſi ſunt, omnisque conatus in herba, quod aiunt, ſuffocatus eſt. Aſt vbi diuina prouidentia humani generis miſerta, caliginem ab oculis deterſit, et, vt attollerent ad lumina clariora capita, homines excitauit, magnis auſibus pſeudo-philoſophiae huic ſe oppoſuit, quicquid ſapere ſuaque ratione vti ſibi conſtituit. Ita vero factum eſt, vt non inter illos modo, qui ob emendatam veritatem Chriſtianam et derelictos errores, ex eccleſiae, cui hactenus adhaeſerant, gremio eiecti ſeceſſum facere coacti ſunt, melioris philoſophiae reſtituendae cura ſumma enaſceretur; ſed illi quoque quos vel munerum auctoritas, vel commodorum vtilitas, vel ſacramenti, quo deuincti partibus ſuis erant, religio, vel praeiudiciorum vis in veteri via detinuit, cogerentur, de emendanda philoſophia cogitare, et laetius philoſophantibus reſtituere ſeculum. Inter quae exoptata tamen philoſophiae ſidera nebulas multis in locis duraſſe, et exorientem lucem impediuiſſe dolendum eſt. Quamuis enim Scholaſticae philoſophiae nuditas omnisque turpitudo tot naeuis deformis, tot naeniis conſpicua ampliſſime pateret, adeo tamen, ea arcto cohaeſit cum hierarchiae eccleſiaſticae commodis vinculo, vt, quorum intererat illa ſalua ſartaque conſeruari, huic nuntium mittere nec poſſent, nec auderent; immo cogerentur, deformitatem huius pſeudo-philoſophiae nouis tricis augere, et ita ſuo quoque ſtercore, Augiae, quod alii purgabant, ſtabulum deformare magis et polluere. Donec tandem ea nobis illuxere, quae diuina benignitas eſt, tempora, quibus pudendus ille intellectus humani abortus ab omnibus, qui candide ſeuereque philoſophari cupiebant, nugarique dedidicerant reiectus et exſibilatus eſt, indignantibus et ingemiſcentibus bonorum omnium mentibus priſtinae maiorum noſtrorum infelicitati, quod tamdiu in hoc coeno haerere, et ad meliores reuerti ſemitas vel noluerint, vel nequiuerint. Ex quo

breui

breui nouae scenae conspectu Lector intelligit, quas singulares prorsus summique momenti mutationes philosophia Seculo XVI et XVII ad haec nostra tempora passa sit, et quam prolixa tractatio se nobis offerat, multiplicem philosophiae faciem, et mirabiles vicissitudines enarratura. Quae tamen philosophiae fata priusquam exponamus, de caussis mutatae per doctrinae Christianae emendationem philosophiae prius agendum est, vt quibus potissimum mediis pristinus illi honor redierit intelligi queat.

Caussae mutatae per religionis emendationem philosophiae.

§ II. In caussas autem emendatae per religionis reformationem philosophiae inquisituris, ad ea respiciendum est, quae in *antecedenti capite* de reuocatis literis restitutoque inter Italos honestae disciplinae honore diximus, rationesque expendendae, quibus demonstrauimus, elegantioris literaturae studium ad restituendum pristinum philosophiae decus plurimum contulisse. Eo enim tempore linguarum studium resuscitatum, et tum eloquentia suo quem apud veteres habuit, loco reddita est, tum ars quoque critica, per tot hactenus secula sepulta, reuixit, et ita ingeniis media suppeditata sunt, quibus, cum propriis in philosophando luminibus vti non possent, veteres tamen philosophos Graecos legere et intelligere possent. Ita vero factum, vt qui prius caligauerant, oculi, sero licet, at tempestiue tamen, cordatioribus aperirentur, vt squalorem animorum, situmque qui ingenia obduxerat, perspicerent, et odio habere inciperent, manibus palpantes, hanc ingeniorum omnisque eruditionis barbariem inter primas caussas corruptae doctrinae disciplinaeque ecclesiasticae, atque regnantis superstitionis errorumque late vagantium referendam; huicque paupertati, quae plerorumque mentes premebat, magna ex parte adscribendum esse, quod in capite et membris ecclesiae ingenti reformatione opus sit. Ita dum ecclesiae emendationem anxie anhelabant viri recti sensus et pectoris, scientiarum quoque atque imprimis philosophiae restitutionem atque repurgationem a tot, quae illam occupauerant, fordibus, enixe exoptarunt, eripique se barbariei late regnanti summis in votis habuerunt. Ita affatim huius rei documenta in antecedentibus attulimus, et virorum doctorum quibus candidius pectus et ingenium emendatum obtigerat, desideria exposuimus, vt actum agere, dictaque repetere opus haud sit. Qua in re licet Italia prima desipere desierit, nostra tamen Germania, nec socors in illo veterno, qui maiores suos presserat, iacere perrexit, nec, vt in Italia factum, seruire tantae superstitioni, licet noua exorirentur lumina, potuit, sed vbi primum cultiora ingenia literarum redeuntium nitorem intelligere coepissent, earumque semina in scholis Italorum concepissent, domum reuocata, damnare barbariem, philosophiam et disciplinam honestam quamcunque commendare, viros doctos excitare, ignorantiam falsae ridere, et quae rempublicam Christianam et literariam corruptio occupauerit, ac quam fortem medicinam pestilens malum requirat, ostendere magno animo aggressi sunt. Sufficit neque locus et

Germania de barbaria pellenda seria cogitans.

paginae

paginae anguſtia, nec inſtituti modus et ratio, vt teſtium nube dicta corroboremus; nemo vero in patriae noſtrae hiſtoria ita hoſpes eſt, vt haec ignoret omnia. Nos ad vnum teſtem minime ſuſpectum, nec religionis diſſidio, quod paulo poſt obtinuit, et in partes ire viros doctos coëgit, occupatum, prouocamus, Bernardum Adelman, nobilem ex Adelmansfelden, poſtea canonicum Auguſtanum, qui Eccium grauem aduerſarium expertus eſt [a], qui in *epiſtola ad Ioannem Reuchlinum Phorcenſem* Aurelia VI Non. Oct. anno ſalutis MCCCCLXXXIIII data [b], hanc patriae noſtrae barbariem ſqualoremque ingeniorum vehementer deteſtatus eſt, et quantum melioris diſciplinae et honeſtioris eruditionis odium obtinuerit, graphice depingit. Inter alia, ita conqueritur vir optimus: *Deſpicimus, immo tanquam venena abhorremus, ac aliquando (prob quantum nefas!) iiſce incumbere prohibemur, quae Latinis iucunda voluptuoſaque, nobis vero ob noſtram barbariem quantum perneceſſaria vtiliaque eſſe ſoleant, tu ab exemplo epiſtolae principis noſtri [c] quam cum ſummo pudore ad te mitto, mihi opprobratam, pro tua praecipue doctrina optime intelliges. Nec mihi hi, qui hanc doctrinam dealbamentum quoddam eſſe putant, vehementer aberrare videntur. Nam velut hi, qui tingunt, cum primum quibusdam id quod colorem receppturum ſit, praeparārunt, tandem poſtea florem ſuperinducunt, ſiue purpureum, ſiue quemuis alium: eodem nos itidem modo, ſi, vt indelebilis ſit apud nos probitatis ſcientia, cupimus, quum hiſce diſciplinis fuerimus imbuti, tunc caeteris operam demus, et quaſi ſolem prius in aqua videre aſſuefacti ad ipſam veram lucem intuitum tandem dirigemus. - - Non tamen me praeterit, multos non philoſophos, ſed philopompos non magiſtros ſacrarum literarum, verum tenebrarum, non iurisperitos, ſed potius iurisperditos leguleiosque eſſe, qui execrantes poëticum nomen, poëtas laſciuiis ac nugis deorum gentilium refertos eſſe praedicant. - - Haec ad te propterea Ioannes amantiſſime, verboſius quam oportuit, tanquam ad portum patronumque ac tutiſſimum refugium receptaculumque literatiſſimorum hominum exaraui, vt viris ſtudioſis liberaliumque artium cupidis ſubuenires, dignitati, gloriae, laudi, vtilitatique reipublicae conſuleres, principique noſtro Eberhardo humaniſſimo, quem audio viros doctos colere amareque ſummo ſtudio, cura, opera, induſtria, diligentia*

a) Conf. SECKENDORF. Hiſtor. Lutheran. L. I §. 69. p. 99.

b) Inter epiſtolas Cll. virorum ad Reuchlinum datas p. m. 13 ſeqq.

c) Dabimus epiſtolam hanc integram, quia breuis eſt, luculentum vero exemplum exhibet, turpiſſimae barbariei, quae in Germania regnauit, collectio vero iſta epiſtolarum ad Reuchlinum raro occurrit. Scripta eſt ab vxore comitis Eberhardi ſenioris ad cardinalem Mantuanum: „Reuerendiſſime in Chriſto pater ac Domine, „domine frater mi ſingulariſſime, humili recom„mendatione parataque ſemper obſequendi prae„miſſa affectione, a N. famulo meo fideliſſimo „percepi, quomodo frater ipſius nomine N. ne„gotia aliqua erga ſanctiſſimum expedire habeat, „vt D. V. ab ipſo latius intelligere habet, et pro„prerea me ſupplicauit, eum erga D. V. promo„tum habendo. Cum autem tempore vitae ſuae „mihi et legitimo meo ſuis ſeruitiis ſemper dili„gentiam ſummam erga nos exercuit. Ea de „cauſſa D. V. intime implorando eique fratri N. „in ſuis factis erga ſanctiſſimum ſubuenire ve„litis. In hoc rem gratiſſimam D. V. faciet, quem „Chriſtus foeliciter et longeue conſeruet. Da„tum oppido meo Grüningen, ſecunda feria poſt „Bartholomaei anno etc. LXXX quarto Barbara „filia et ſeruitrix veſtra.

tia denique perſuaderes, neminem vnquam ad veram cognitionem rerum peruenire poſſe, niſi in primis hiſce rudimentis (vt ipſi aiunt) vacauerit. Neque vero hoc vnius hominis deſiderium fuit, nec adeo a ſenſu humanitatis alieni fuiſſe credendi ſunt Germani noſtri, vt non integra natio hanc corruptionem deplorauerit, et ad eiiciendam ex eccleſia barbariem et literarum decus cultumque eruditionis reuocandum, fratribusque ignorantiae obicem tandem aliquando ponendum omnes excitauerit. Et diffitendum quidem non eſt, cum honeſtior diſciplina omnis Germania extorris eſſet, non perſpexiſſe viros cetera acutos, rectos et cordatos, quibus potiſſimum remediis vtendum ſit. Vetera tamen nationis ſuae conſilia, duce magno principe Carolo M. olim contra barbariem adhibita, reuocanda eſſe ſtatuentes, id imprimis vrgebant, in conferendis canonicatuum ſtipendiis eo reſpiciendum eſſe, vt adeſſent et Scholaſticorum muneri praeficerentur, viri docti ſacrarum literarum, philoſophiae, et artium liberalium periti, quorum ſtudio iuuentus barbariei eripi, et iſta a Germano nomine ignominia detergi poſſet. Teſtes huius rei Germanis noſtris nunquam non glorioſae ſunt grauamina a natione Germanica multoties edita [d], quae hoc loco adducere omnia inſtitutum non patitur. Dabimus exempla pauca, vt conſtet, quae Germanis ea de re animus inſederit, Inter *Auiſamenta Conſtantientia*, ſiue grauamina Germanorum in concilio Conſtantienſi *capitulum VII* totum in hoc argumento vertitur, rogantque, vt, *quia eccleſia Dei maxime indiget viris literatis et in ſcientia eruditis, ſtatuatur, vt in ſingulis collegiatis eccleſiis, quae praebendas maiores habent, quarta pars canonicatuum et praebendarum, pro doctoribus, licentiatis aut in medicina doctoribus, magiſtris in artibus aut baccalaureis reſeruetur. Immo ſi deſint idonei, vt tunc liceat collatoribus ordinariis dicta beneficia vacantia aliis perſonis idoneis etiam non graduatis iſta vice conferre* [e]. Similia occurrunt in *Auiſamentis Friderici III*, tempore concilii Baſileenſis in comitiis Moguntinenſibus propoſitis [f]; quin et ipſum concilium Baſileenſe huic neceſſitati patriae proſpiciendum eſſe accurate perſpexit [g]. Inter decantata grauamina vero Maximiliano I. tradita, eſt etiam *remedium pro ciuitatibus imperii animarum ſalute* [h], in quo inter alia haec leguntur: *Expediret rebus publicis et animarum ſaluti, ſi ſummus pontifex immutabiliter ſanciret, vt in quolibet collegio duae ad minus eſſent praebendae gratiis non ſubiectae, ad quas duo theologi, aut vnus theologus et alter canoniſta duntaxat, promoueri poſſent. Atque*

d) Conſulenda elegans tractatio Ven. IAC. FRID. GEORGII de grauaminibus nationis Germanicae, et GOLDASTI collectio conſtitutionum imperii.

e) Conf. HERM. VON DER HARD. Concil. Conſtant. T. I. Proleg. c. 15.

f) c. 9. §. 1. 2. Conf. GEORGI p. 222.

g) Seſſ. XXXI. GOLDAST. l. c. p. 202.

h) Citati, LVNIG. Archiu. Imperii Part. Gen. Cont. p. 209.

que vt idonei, puta, philoſophiae, canonum, et ſacrae paginae docti, eo promtius ſubirent curas animarum, expediret, quod auctoritate apoſtolica, monaſteria et collegia parochiis, quas ſibi incorporatas tenent, ſufficientia et certa emolumenta inferre cogerentur. Ex his paucis, quae ex plurimis collegimus, ſole meridiano clarius patet, Germanos iudicaſſe, non proſpici ſatis eccleſiae commodis poſſe, niſi, ſecus ac hactenus factum erat, literae iuuarentur, et philoſophiam artesque liberales edocti illis muneribus praeficerentur, quae alere honeſto reditu eos poſſent: barbariemque et imprimis philoſophiae artiumque liberalium ignorantiam inter vitia ſui temporis eſſe referenda, quae emendatione pontificis maximi omnino opus haberent. Et diu quidem preces hae fruſtraneae fuerunt, et intra deſideriorum limites res omnis perſtitit. Quod tamen, fatis inuidentibus, toti nationi nondum licuit, priuati ſuo modo tentare, et ad meliorem eruditionis et philoſophiae lumen adſpirare coeperunt. Quod cum in patria ſpiſſis ignorantiae tenebris obſeſſa nullo in loco ſplenderet, ad Italiam conuerſi, vbi luculenta iam literarum aurora illuxerat, in illis ſcholis et meliorem literaturam diſcere, et philoſophiae, non horridae illius et ſpinoſae, ſed comtioris et iucundioris myſteria, pernoſcere conati ſunt: ibique hauſtis diſciplinae honeſtae rudimentis domum reduces ſpargere eruditionis ſemina, iuuentutemque ſtudioſam bonis literis immergere, maxima induſtria ſunt conniſi. Non repetemus, quae de Rodolphi Agricolae ea in re induſtria diximus, nec quae infra de Ioannis Reuchlini ſtudio, primo quidem Ariſtotelicam, deinde Pythagoreo-Platonicam philoſophiam excitandi dicenda ſunt, hoc loco tangemus: vnum monemus, infudaſſe complures viros doctos huic operae, vt pulſis barbariei tenebris, literarum decus reduceretur, nec ignota ſunt, quae circa finem ſeculi XV et initia ſeculi XVI inclaruerunt nomina Adolphi Occonis I, Medici epiſcopi Auguſtani, Nicolai Ellenbogii, prioris monaſterii S. Benedicti Ottoburani i), Ioannis Naucleri, profeſſoris Tubingenſis, Conradi Peutingeri, ſcribae reipublicae Auguſtanae, Henrici Bebelii, hiſtorici Tubingenſis, Sebaſtiani Brand, Iureconſulti Argentoratenſis, Beati Rhenani, eiusdem Scholae philologi, Ioannis Camerarii Dalburgii, epiſcopi Wormatienſis, Bilibaldi Pirckheimeri, ſenatoris Norimbergenſis, Ioannis Cuſpiniani, polyhiſtoris Viennenſis, Ioachimi Vadiani, Medici Viennenſis et poſtea Sangallenſis, Wolfgangi Lazii, hiſtorici Viennenſis, et heroum togatorum inter Germanos aliorum, qui impari licet ſucceſſu viribusque Germaniae literarum decus reſtituere laudatiſſimo ſtudio conati ſunt. Quorum tamen hac de re conſilia atque merita, non hoc loco, ſed in hiſtoria literaria Germaniae enarranda ſunt; et hic digito tantum et ὡς ἐν παρόδῳ tetigiſſe, ſufficit.

§. III. Ita

i) Conf. de eo Io. Mabillon. Itin. Germ. p. 48.

§. III. Ita sentientibus affectisque Germanorum animis, cum, quae diu frustra ardentissimis votis expetita, et a pontifice maximo magna contentione postulata, at surdis auribus narrata fuerat, ecclesiae reformatio exiguis in Germania vsa initiis laetissimis mox incrementis amplificari et vbique dilatari coepisset, dici non potest, quot millia hominum, non ex vulgi fece, sed cuiuscunque generis, et dignitatis etiam ex doctorum, ingenii acie et eruditionis praestantiis non destitutorum numero orientem lucem admiserint, doctrinaeque puritatem ad ductum sacrorum oraculorum, postliminii iure in manus fidelium omnium traditorum, rimati sint. Ita vero in deponendis erroribus et praeiudiciis, contemnendaque, quae acerbissime hactenus animis imperauerat superstitione, eiusque fulcris, theologia et philosophia scholastica, fortissime versati, nec aulae Romanae emolumenta sibi in inquirendae veritatis via obstare passi, philosophiae quoque emendationem cum reliqua literatura, et praecipue linguarum sanctarum studio, aggressi sunt. Quod melioris eruditionis iubar cum omnes, qui ingenio non destituebantur, et a seruili iugo collum retrahere, decorum putabant, perstringeret; aperuit illis quoque oculos, qui cum doctrinae emendationem probarent, modum tamen improbabant, et humanorum periculorum, quae ex omni parte imminebant, metu deterriti, publice detestari, quae animo oderant, non audebant, atque leuiorem medicinam desiderabant. Hi animos confirmare, laudare pietatem, detestari barbariem non erubescebant, ex coetu tamen, cui hactenus adhaeserant, eiici refugiebant, cum id repurgatae doctrinae confessoribus cernerent obtingere. Alia itaque via incedendum rati, cum intelligerent, Scholasticam theologiam et philosophiam fontem esse tanti mali, in hac explodenda eiiciendaque industriam posuerunt suam, et sic ipsi quoque ad promouendos emendatioris philosophiae gradus plurimum contulerunt. Tales fuisse Erasmum Roterodamum, Ioannem Ludouicum Viuem, Iacobum Fabrum Stapulensem, Marium Nizolium, Beatum Rhenanum *, aliosque literaria huius temporis historia loquitur. Hi enim viri summi, quos et elegantiorum disciplinarum peritia, et linguarum doctarum cognitio, et artis criticae praestantia celeberrimos fecerat, flagellorum instar habendi sunt, quibus haec monstra ex eruditionis orbe eiicere, eorum detestabiles et pernicioſos vultus demonstrare, et haec vlcera corrigere diuina prouidentia isto coepit tempore. Id vero varia ab illis ratione diuersoque factum est modo. Alii enim serio rem agentes, detestabiles vultus philosophiae barbarae et foetidum hoc Augiae stabulum ita omnium exponebant oculis, vt quanta hoc malum ingeniis dedecora adduxisset, omnes, qui attendere cupiebant, intelligerent, et haec stercora odisse inciperent, meliora autem exoptarent. Vnde pleni sunt illorum libri inuectiuarum in corruptionem artium et disciplinarum, in

Susceptа doctrinae Christianae emendatione philosophiae reformatio mox secuta.

Alii religionis reformationem publice non professi, diligentes tamen in exagitanda philosophia Scholastica.

k) Conf. ADAM. Vitae philos. p. m. 336. THVANVS ad ann. 1547. TEISSIER Eloges des hommes savans T. I. p. 7. et quos laudat POPE-BLOVNT. Censur. celebr. auct. p. 595.

quibus distortam pseudo-philosophiae faciem, naeuosque turpissimos in clarissima luce ponunt, et quae inde meliori literaturae damna eueniissent, in aprico collocant. Alii vero ridendam barbariem propinabant, et iucundius malo remedium adplicando satyram in subsidium vocabant, opinati, ita τὸ γελασὸν ipsam propudiosam naturam barbariei denudaturum esse, vt eius merito ingenuos homines pudere debeat. Qua ratione imprimis magnus Erasmus in *Encomio moriae* vlcus hoc tangendum sibi esse statuit, et mordacius adhuc barbarae gentis deformitatem perstrinxere, famosarum *epistolarum* quae ab huiusmodi *obscuris viris* nomen habent, consarcinatores [l], auctoresque aliarum satyrarum huius generis, quae eodem tempore personatae prodierunt [m]. Illae, quem locum in ciuitate Christiana habere debeant, meruerintque, hoc loco, vbi alia agenda sunt, disputari non potest; facileque intelliget Lector pius et cordatus, quod illis pretium statuendum sit, in quibus modum excesserint, vel honestatem laeserint, et quae alia illis nuper canina rabie obiecit ὁ δεῖνα: illud certum est, plus dolorum hanc viris istis obscuris, et philosophastris medicinam excitauisse, quam ferrum ignemque, quem ad corrigenda haec mala vlcera Scholasticomastigarum adhibuit seueritas. Hinc clamores inconditi, hinc furor et rabies, hinc calumniae et opprobriorum genus quoduis; hinc et famae et vitae insidiae, hinc prouocata Tarpeia ab arce fulmina, hinc coelum, terra mareque mixta, et ipsa tantum non Acherontis vnda concitata. Quorum omnium exempla luculenta cum erudita seculi XVI ineuntis historia suppeditet, in re nota a via diuertere et exemplis haec illustrare nolumus. Vnius Reuchlini historia, suo loco enarranda, rem in se notam affatim illustrabit, et Henrici Cornelii Agrippae fata quoque comprobabunt. Qua tamen rabie adeo non promota est barbaries, vt potius natiua eius indoles isto furore indies magis detegeretur, inciperentque viri docti, et cordati, de his ineptiis abiecte contemtimque iudicare, neglectisque nugis puerilibus viris eruditis indignis meliora et pulchriorem philosophiam, laetioremque omnis eruditionis faciem quaerere. Ex quibus larga manu datis nemo non intelligit, viros hos summos, qui flagella Scholasticorum fuerunt, quamuis in ipso philosophiae theatro partes suas, velut primi ordinis philosophi non egerint, in hac tamen scena, quae causas emendatae philosophiae exhibet, minime negligendos esse, et merito renouandam esse eorum memoriam. Quam ne praetermisisse praeter rem in hac nostra tractatione videamur; paucis et in

Scholastico-mastiges.

l) Auctores de his epistolis obscurorum virorum laudat Io. Christ. Wolfius Bibl. Hebr. P. II. p. 937. 938. Conf. qui inaudita inter literatos acerbitate idem argumentum sibi tractandum sumsit Io. Nic. Weislingerus in Hutteno delaruato c. VII. p. 302 seqq.

m) De generibus ebriosorum; de fide meretricum in suos amatores, quaestio minus principalis, de fide concubinarum in sacerdotes, quaestio accessoria etc. in quodlibeto Heidelbergensi determinata a M. Paulo Oleario Heidelbergensi. Item: Conciliabulum theologistarum aduersus Germaniae et bonarum literarum studiosos Coloniae celebratum XVI Kal. Maii, postquam Io. Hohenstrat. deiectus est ab officio prioratus et ab officio inquisitoris. Item, Dialogus: Huttenus captiuus et illustris etc.

et in compendio ea enarrabimus, quibus ad restituendam philosophiam emendandamque sapientiam humanam plurimum contulisse, eoque nomine de philosophantium coetu, atque vniuerso orbe erudito immortaliter meriti fuisse censendi sunt, Erasmus Roterodamus, Ioannes Ludouicus Viues, Iacobus Faber, atque Marius Nizolius: quos quatuoruiros in euertendo barbariei philosophicae regno potissimum fortes manus demonstrauisse constat.

Erasmi in pellenda pseudo-philosophia merita.

§. IV. Adeo nota sunt merita in rem literariam viri maximi, DESIDERII ERASMI ROTERODAMI, vt, quis fuerit, quibus ingenii praestantissimi et eruditionis summae laboribus rempublicam eruditam adiuuerit, quid ecclesia ei debeat, quid literae, hoc loco, vbi alia agenda sunt, dicere opus haud sit. Aliam ea scenam instruxerunt, quam nos hoc loco aperimus. Curiosum autem lectorem ea satis edocebunt, quae post alios attulit B. FABRICII [n] diligentia. Quamuis autem in philosophiae theatro Erasmus personam non sustinuerit, philologiae sacrae et profanae, sacrisque literis explicandis totus intentus, aliud tamen agendo melioris philosophiae sensum lectoribus propinare in scriptis suis passim [o] conatus est. Hoc vero loco ideo nobis commemorandus est, quia in *Encomio moriae* [p] libro incomparabili, pseudo-philosophiam scholasticam ita viuis depinxit coloribus, eiusque stultitiam, deformitatem, falsitatem ita ridendam lectori dedit, vt necessario paulo attentioribus, infausti foetus fastidium contemtusque enasci debuerit maximus. Magna vero auctoritate et eruditionis opinione inter Germanos eo tempore Erasmus florebat, cum non esset, qui eum lectionis copia et ingenii elegantia atque eruditionis praestantia vinceret. Quae eius summa celebritas effecit, vt cum honestioris disciplinae restaurator merito videretur, in hac exagitanda morologia Scholastica consentientes haberet, quoscunque literarum amor et iudicii acies nobilitauerat. Qui tanto duce animum contra ignorantiae patronos sumentes, contemta insciticae rabie et persecutione strenue excutere triste iugum, et in libertatem philosophicam se vindicare sategerunt; quo pacto philosophiae restauratio praeparatis hunc in modum animis valde adiuta est. Non difficile esset, plurimis id exemplis comprobare et ostendere, quid Erasmi auctoritas ea in re valuerit, nisi instituti obstaret ratio. Merentur autem ea expendi, quae in Ioannis Sapidi, Beati Rhenani, Henrici Cornelii Agrippae aliorumque historia solent enarrari, quaeque prudenter ea de re annotauit IOANNES STVRMIVS [q], qui videndus. Licet autem maximas laudes ista scriptione Erasmus reportasset, tam sortem tamen medicinam pati non potuit philosophastrorum inertia, vnde graues Erasmo Scholasticomastigi inimicitiae, quas quia enar-

n) In Diss. de religione Erasmi, Hamb. 1717.

o) Vid. Adag. Sileni Alcibiadis p. 682. Scarabaeus aquilam quaerit p. 767. et colloquia Epicureus, philodoxus, pseudochei puerpera, proci et puellae, problema etc.

p) Conf. CLERICVS Bibl. Antiq. et nou. T. VII. p. 215 seqq. BAYLE Dict. T. II. art. Erasme p. 387.

q) In vita Beati Rhenani, apud ADAM. p. 134.

rauit MELCHIOR ADAMVS [r], illum conſuli a Lectore velimus. Ipſe vero et canum latratus fortiter contemſit, et aliis exemplo praeire perrexit, vt longius, ac ipſe in aliis occupatus, progreſſi, non modo vlcera haec ſanare, ſed et pro virili iacentem erigere philoſophiam conarentur. Quod quia prae aliis praeſtiterunt Ludouicus Viues et Iacobus Faber, eorum porro hac quoque occaſione renouabimus memoriam.

Io. Ludouicus Viues.

§. V. IOANNEM LVDOVICVM VIVEM Hiſpania genuit, Valentia edidit, Pariſienſis ſchola educauit, et Scholaſticae philoſophiae, maxime dialecticae, myſteriis ita innutriuit, vt et eius vitia diſceret omnia, et pro iis tanquam pro aris et pro focis dimicaret, et elegantiam diſciplinae perſequeretur. Cum enim Antonio Nebriſſenſi [s] auctore literarum decus inter Hiſpanos reſurgeret, isque Salmanticae, Complutique Ximenio cardinale Maecenate vſus omnium fere ſcientiarum artiumque eruditarum florem reſuſcitaſſet, noſter cuidam Valentino theologo contra politiorem literaturam ſtrenue Antonium impugnanti ſe adiunxit, et manum commodauit [t]. Quia vero ingenio acri vtebatur, quod natura ſua non carebat veneribus, mature iſtum barbariei ſqualorem peroſus, Louaniique bonas artes itemque Graece atque Latine ſupra vulgi captum doctus vir eruditiſſimus euaſit, et imprimis antiquae philoſophiae, eiusque auctoribus legendis atque intelligendis vtiliſſimam praeſtitit operam, et mature ſpecimina edidit luculentiſſima [u]. In eodem vero bonarum mentium atque artium mercatu docendi muneri praefectus, magno animo pellere barbariem, exagitare ineptos artium corruptores, emendare eruditionis ſenſum, et natiuam ſcientiarum indolem reſtituere, magna doctrinae et iudicii laude, nec minore felicitate conatus eſt. Quo in conſilio valde eum confirmauit ERASMI amicitia, quocum Louanii familiariter vixit, quique de eo nondum vigeſimum ſextum aetatis annum egreſſo pronunciauit [x]: *In nulla eum philoſophiae parte non ſupra vulgum eruditum, tum in bonis literis atque etiam in dicendi ſcribendique facultate eo progreſſum eſſe, vt hoc ſeculo vix alium norit, quem auſit cum hoc committere.* Hoc quoque ἐργοδιώκτῃ vſus, praeſtantiſſimum commentarium in AVGVSTINI libros *de ciuitate Dei* ſcripſit, in quo, qualem veteris philoſophiae eiusque hiſtoriae cognitionem habuerit, abunde demonſtrauit. Eius operis elegantia ita Henrico VIII, Angliae regi, cui id inſcripſerat, placuit, vt eum in aulam accerſeret, et Mariae principis, filiae vnicae, inſtitutioni praeficeret. Cui muneri licet ſumma fide Viues praefuiſſet, tamen ob improbatum regis diuortium captiuitate, licet liberiore detentus eſt, aegreque elabendi rimam inuenit. In Belgium itaque ſecedens, Brugis ſedem poſuit, ibique inſtituta re domeſtica

r) In Vit. philoſ. p. 98.

s) De hoc reſtauratore ſcientiarum inter Hiſpanos vid. NIC. ANTON. T. I. Bibl. Nou. Hiſpan. p. 104 ſeq. COLOMESIVS Hiſpan. Orient. p. 223. qui aliorum de illo iudicia recenſet.

t) WHARTON. ad Caueum p. 155.

u) Nondum enim 26. annos natus, Eraſmo tum in edendis PP. ſcriptis verſanti ſocias iunxit manus.

x) L. XIX. ep. 101.

meſtica libris ſcribendis totus vacans rebus humanis anno MDXXXVII, vel vt vult THVANVS, anno MDXLI, ereptus eſt. Quantus in re omni literaria vir fuerit, huius loci non eſt, multis exponere; dabunt quantum ſatis erit, qui iudicia virorum doctorum de Viue collegerunt, THOMAS POPE-BLOVNT [y] TEISSIERIVS [z] et IOANNES FABRICIVS [a]. Vnum inſtar omnis elogii eſt, quod cum Eraſmo et Budaeo inter triumuiros orbis eruditi numeratus ſit, iudicandi acie illis potior habitus [b]. Quod licet de illo ſeculo tantum intelligendum ſit, certum tamen eſt, inter literatiſſimos ſui ſeculi viros Viuem locum merito occupaſſe. Quamuis autem philoſophum ſe praeſtare et noua philoſophiae lumina accendere praeter paucos quosdam libros conatus haud ſit, cum praeter breues quasdam tractationes, quae tomum tertium operis *de corruptis artibus et tradendis diſciplinis* occupant, et *de prima philoſophia*, *de explanatione eſſentiarum*, *de cenſura veri*, *de inſtrumento probabilitatis et de diſputatione*, agunt, nihil, quod ad philoſophiam proprie ſpectet, ſcripto tradiderit, non negligendus tamen in hiſtoria ſeculi XVI philoſophica eſt, tum ob librum *de initiis, ſectis et laudibus philoſophiae*, tum ob ſcripta polemica contra corruptores artium et diſciplinarum, librumque in pſeudo-dialecticos. In his contra artes corruptas libris illam iudicandi vim, et philoſophiae Scholaſticae cenſuram orbi erudito probauit, quam merito in hoc viro ſtupeas, ſic vt fatendum ſit, neminem eo tempore hoc vlcus vel melius tetigiſſe, vel fortius illi vulnus inflixiſſe. Vbique enim regnat, philoſophiae haud proletaria cognitio, lectio in veterum philoſophorum libris probata et accurata, ſenſus philoſophiae emendatioris iuſtus, et maxima in detegendis naeuis philoſophorum veterum, et recentiorum perſpicacia. His vero virtutibus ingenii iunxit animum fortem, erectum, praeiudiciorum hoſtem, ſuperſtitionis oſorem, et ad audenda meliora rectioraque magnis paſſibus graſſantem. Qui ſi noua et ſaniora dare, quam morboſa et putrida retegere, maloque detecto medicinam conuenientem afferre voluiſſet, inter maximos ſeculi ſui reformatores philoſophiae referendus eſſet. Nam virtutibus illis ſatis inſtructus fuit, quae ad huiusmodi conatus ſuſcipiendos requiruntur; animo nempe magno, qui ſcriptoribus aeuo conſecratis auſus eſt repugnare, et imprimis Ariſtoteli, ſinceritate haud vulgari, qua nec auctor vnquam ſectae, nec ſuaſor eſſe cupiebat; perſpicuitate et elegantia verborum, quibus aperte ac dilucide cuncta potuit exponere, vt percipi facile ac teneri poſſent [c]. Sed ſufficiebat viro eruditiſſimo, nuditatem philoſophiae receptae demonſtrare, errores retegere, et ad meliora ablegare iuuenum ingenia: quem laborem parum quidem feliciter ceſſiſſe Viui iudicat RAPINVS,

y) Cenſ. celebr. auct. p. 519.

z) Eloges des hommes ſavans T. I. p. 266.

a) Hiſt. Biblioth. ſuae T. I. p. 228. add. MAGIRI Eponymolog. Crit. p. 799.

b) Vid. NIC. ANT. l. c. p. 155 ſeq. TEISS. l. c.

c) Vid. praef. libr. de corruptis artibus, cuius editione Lugduni 1551. 8. manu Hier. Wolfii et Dau. Hoeſchelii in margine notata inter reculas noſtras vtimur.

PINVS [d], verum vix audiendus est, cum lectio librorum istorum, quos de corruptis artibus et tradendis disciplinis scripsit, partis studio non occupatum accurate doceat, plurimum detexisse Viuem illud monstrum horrendum et ingens, quod damnari totum vix Rapinus ob rationes sectae suae pati poterat. Cuius ingentis contra pseudo-philosophiam zeli specimina, quia in antecedenti Tomo complura attulimus, his prolixius hac vice inhaerere opus haud est. Subscribimus nos haud inuiti iudicio MORHOFII [e], qui hos Viuis libros vocat aureolos, plenos bonae frugis, ac diligentissime omnibus doctis legendos.

Iacobus Faber.

§. VI. Tertius, qui in pellenda barbarie Scholastica, virtutem heroicam ostendit IACOBVS FABER STAPVLENSIS fuit. Tenuibus is parentibus natus Stapulis [f], qui pagus est maritimus in Picardia, quod ipsi in fortunae muneribus denegauerat, a natura ingenii dotibus animique diuitiis abunde accepit. Studiorum cursum Parisiis eo tempore absoluit, quo nox illa Cimmeria, quam vbique spargebat philosophia et theologia Scholastica mentes deprimebat *f*. Italorum autem exemplo, qui ad literas politiores magnis conatibus adspirabant, nec infelici in ea re successu vtebantur, excitatus, cum praeter iudicandi aciem ingenii quoque alacritatem possideret, ipse sibi ad meliora, quam quae inter Gallos tunc regnabant, audenda calcar addidit. Quo incitatus cum domi non haberet, quo immensam discendi sitim restingueret, ad literarium iter se accinxit. Testem damus SYMPHORIANVM CHAMPERIVM in *epistola ad Fabrum data* [g], in qua scribit: *Instar item Pythagorae atque Platonis aliorumque insignium philosophorum, exteras lustrasti regiones, atque diuersos adiisti populos, nec non ipsam per vniuersum orbem famatissimam Italiam, doctorum ingeniorum altricem laboriosissime peragrasti, tum vt eos, quos ex libris atque fama noueras, coram quoque videres, tum vt ab eis bonas literas ad tuos adueheres. Immo teste* BARTHOLOMAEO CHASSANAEO [h] *vir omnium literatorum in omni scibili perfectissimus discendi caussa totam Europam et Asiam transfretauit, et partem Africae etiam transcurrit, vt viros doctos et perfectissimos literis Graecis, Latinis, Hebraicis et Chaldaeis inueniret* [i]. His curis atque laboribus effecit, vt cum sacris tum profanis scientiis omnibus, praecipue autem philosophia optime excultum domum referret animum. Qui cum tantae doctrinae praesidiis esset instructus, coepit barbariei Scholasticae bellum inter Gallos indicere, et purgatius philosophandi secundum Aristotelem genus, quod in Italia didicerat, introducere, iungebat etiam disciplinas mathematicas [k], quas egregie ad philosophiam praeparare animum

d) Reflexions sur la philosophie §. 7.
e) Polyhist. T. I. L. II. c. 2. §. 34. p. 337.
f) SAMMARTHAN. Elog. L. I.
g) 24. Maii 1507. Lugduni.
h) Catal. glor. mundi L. X. conf. 4. p. 204.
i) Conf. Menagiana T. III. p. 274. subdubitat tamen I. FR. BEYSCHLAGIVS Syllog. II. opusc. p. 263. vbi delineationem vitae Stapulensis, quam meditabatur, exhibet.
k) Vid. VOSSIVS de scient. math. c. 22. §. 9. p. 94. c. 51. §. 5. p. 313. c. 52. §. 1. 17. p. 315. 318.

mum nouerat. Hinc tanta eius in Academiam Parisiensem merita, tanta literarum gloria, vt ob miram docendi dexteritatem ingeniorum faber diceretur, et illi deberetur, quicquid melioris sensus et elegantioris doctrinae tam philosophicae, quam theologicae in Gallia sensim enascebatur. De quibus eius in restaurationem eruditionis meritis SAMMARTHANVS, IOVIVS [l] aliique videndi, quorum iudicia collegit THOMAS POPEBLOVNTIVS [m]. Dabimus nos vnum WIMPHELINGII [n], hominis coaeui testimonium, quia cuncta eleganter complectitur. Is ita de eo: *Iacobus Faber Stapulensis celeberrimus nostri seculi philosophus, Belgicae, quin immo totius Galliae vnicum decus. Hac nostra tempestate diuino quodam munere, in rei literariae remedium datus, omnes philosophiae partes a caliginosa quorundam sophistarum barbarie vindicauit. Et quae iam omnino Latine loqui dedidicerant, ac longe ab Aristotelis ceterorumque vere philosophantium mente abierant, in pristinam et sermonis et doctrinae maiestatem restituit ea strictura et serie, vt nihil desit addendum, nihilque sine vitio se offerat demendum, tanta industria, tantumque in omnibus suis operibus artificium, tanta in dicendo dignitas, vt cum philosophia quisque vel mediocriter doctus eloquentiam, quod ante non licebat, consequi vberrime possit. Primus enim apud Gallos, vt Cicero apud Romanos, philosophiam rudem adhuc et impolitam cum eloquentia iunxit. Nam cum antea Parisiis peregrinaretur, ciuitate donauit. Vnde non solum philosophiae rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrantur adeptos, et ad dicendum et ad iudicandum. Est enim in dicendo sublimis, in sententiis grauis, in inuentione exquisitus, in compositione diligens et curiosus, nec suorum tantum, sed etiam alienorum operum: ad hoc siquidem vnus natus videtur, vt palaestrae literariae consulat, bonas artes instauret, et in antiquum splendorem reducat. Ea est huius viri cura, ea oblectatio et studium, eo cogitatus omnis, eo mens, eo animus dirigitur. Quod vt liberius fiat, non modo patrimonium, quod non contemnendum Stapulis habebat [o], instar Demetrii suis condonauit, sed et dignitates, officia, beneficia et honorifica et opulenta abiecit, cum Thebano Cratete ratus talia raro virtutibus cohaerere. Denique vt exiguo concludas omnia versu, Ditauit sophia secula nostra Faber.* Cui splendido elogio subiungit scripta Fabri philosophica, quibus tantis in philosophiam meritis inclaruit, et quibus in dialecticos, physicos, ethicos, politicos et oeconomicos Aristotelis libros vel paraphrases scripsit, vel commentatus est. Et post haec demum labores eius theologicos recenset. His alterum non minus coaeuum BEATVM RHENANVM addimus, qui ad Capnionem [p] ita de eo: *Salutem D. P. Iacobus Faber*

l) Ipsum se ita appellari voluisse ait IOVIVS in Elog. cap. 121. m) pag. 521. seq.
n) c. 15. p. 236.

o) Haec cum tenui fortuna in paterna domo, quam ei scriptores tribuunt, non cohaerent, vt multa alia, quae enodatione in Fabri historia opus habent.
p) Epist. ad Reuchlinum p. m. 52.

Stapulenſis, vir ex omni aeuo incomparabilis omniumque diſciplinarum vberrimus fons, qui philoſophiam nimio ſitu ſqualentem et ſuo viduatam ſplendore ita illuſtrauit, vt Hermolao Barbaro et Argyropylo Byzantio praeceptoribus, quod quodam loco adnotaſti, olim tuis huic longe plus nitoris attulerit. - - - Hic Peripateticam doctrinam ita reddidit peruiam, vt neque Ammonio, neque Simplicio aut Philopono iam ſit opus. Acceſſit autem in Fabro praeter doctrinae elegantiam, mira in docendo perſpicuitas et facilitas, qua de virtute Fabri praeter SAMMARTHANVM videndus IACOBVS VERHEYDEN [q], quem ne nimii ſimus, non exſcribimus. Tanta autem philoſophiae luce colluſtratus, non potuit non religionis quoque corruptionem, quam barbara Scholaſticorum theologia inuexerat, perſpicere, et quibus poſſet modis corrigere, id quod magnas ei perſecutiones Sorbonae doctorum monachorumque contraxit, ſic vt IOVIVS, dicat, eum in Lutheranismi ſuſpicione ſenem obiiſſe. Margarethae tamen Nauarrae reginae et Franciſci I. tutela receptus in eius aula tutum inuenit aſylum, vbi quoque centenarius, vt fertur, placida analyſi obiit. De quibus reliquisque vitae eius circumſtantiis videndi qui res eius enarrarunt [r]. Scripta eius cum philoſophica tum theologica enarrat FABRICIVS [s], quem vide. Habuit diſcipulum Carolum Bouillum, de quo cum in antecedenti Tomo quaedam dixerimus, hoc loco agere ſuperſedemus. Inter amicos autem familiariſſime vſus eſt Henrico Cornelio Agrippa, cui cum in controuerſia de D. Annae matrimonio vnico tantum ſuffragaretur, graues inde ſibi concitauit inimicitias, quas tamen enarrare, alterius loci eſt [t].

Marius Nizolius.

§. VII. Magno quoque animo in philoſophiam Scholaſticam ipſumque Ariſtotelem circa haec tempora inſurgere coepit MARIVS NIZOLIVS, Brixellenſis, acre barbariei flagellum, vindexque caſtioris eruditionis ſtrenuus. Is cum Ciceronis puritatem et eloquentiam ſummo loco haberet, eumque in finem *Theſaurum Ciceronianum, ſiue apparatum linguae Latinae* [u] collegiſſet, ad ipſam quoque philoſophiam hunc amorem Ciceronis transtulit, et barbaram Scholaſticorum linguam peroſus, cum Cicerone non loquendum modo, ſed philoſophandum eſſe ſtatuit. Quare cum Ciceronis philoſophiam, quae de officiis agit, reprehendiſſet COELIVS CALCAGNINVS [x], et MARCVS ANTONIVS MAIORAGIVS, illi edita, *pro Cicerone defenſione* reſpondiſſet, ad quam nihil regeſſit Calcagninus morte praeuentus, diſplicuiſſent autem Maioragio Paradoxa Ciceronis, quibus *Antiparadoxa* oppoſuerat; Nizolius, qui Maioragio munus eloquentiae profeſſoris

q) Elog. Theol. p. 164.

r) De controuerſiis eius, placitis theologicis ſenio, annorum numero morteque vid. BAYLE Dict. T. II. art. le Fevre, p. 469. et Menagiana l. c. conf. DV PIN. Nouv. Bibl. T. XIII. aliique, qui hiſtoriam eccleſiaſticam ſeculi XVI ſcripſerunt. Add. ISELIVS Lex. Baſil. T. I. p. 16. praef. conf. quos nominat BRVSCHIAGIVS l. c.

s) Bibl. Lat. med. T. II. p. 418. ſeqq.

t) Conferri poſſunt epiſtolae Agrippae ad Fabrum.

u) Vid. Io. FABRICIVS Hiſt. biblioth. ſuae T. III. p. 260. et quos laudat.

x) In Diſquiſitionibus Baſ. 1544. editis.

feſſoris apud Mediolanenſes inuidebat, aggredi Maioragium eam ob rem ſtatuit, et literarium bellum excitauit, in quo exigua vtriusque fama incerta fuit victoria. De qua tamen lite, cum ad hiſtoriam eloquentiae et Latinae Linguae proprie pertineat, hoc loco agere non licet, videndus autem, qui poſt MORHOFIVM [y] et DORNIVM [z] eleganter rem omnem enarrauit praeſtantiſſimae eruditionis vir Io. PETRVS KOHLIVS [a], quocum conferendi LEIBNIZIVS [b], et KRAVSIVS [c], νῦν ἐν ἀγλοις. In hac lite de pretio quidem, auctoritate modoque Latinitatis Ciceronianae, reliquisque caſtioris ſermonis Romani momentis diſputatum eſt; quia vero Cicero argumentum haud raro philoſophicum tetigit, qui vero Nizolio aduerſabantur, magna veneratione Ariſtotelem proſecuti, in eius ſe caſtris militare, aperte fatebantur, hoc pacto controuerſia quoque ad philoſophiam deuoluta, bellumque campis philoſophicis illatum eſt. Magno ſcilicet contemtu deſpiciebant aduerſarii Nizolium, rati, hominem grammaticum verbisque Ciceronis numerandis colligendisque ſolis intentum, nihil praeſtare poſſe in philoſophia, quod puerile atque ieiunum haud ſit. Id quod aegerrime ferens Nizolius, cum iniuria haec animum vehementer ſauciaſſet, vlciſcendum, qua poſſet fieri, acerbitate ſtatuit. Inde enatus liber eſt, quem anno cIↃ IↃ LIII. edidit hoc titulo: *de veris principiis et vera ratione philoſophandi contra pſeudo-philoſophos*, in quo quibus poterat, viribus philoſophiam Scholaſticam, et omnem quoque philoſophandi rationem Peripateticam vehementer exagitauit, et cum veteres, tum recentiores Stagiritae ſectatores acerbis modis pupugit; cauſſatus, inueteratam Ariſtotelis venerationem id modo probare, ſtultorum eſſe plena omnia, et diu durare poſſe ſtultitiam et ineptias. Promiſit quoque ſe vera ſcientiarum philoſophicarum principia demonſtraturum confirmaturumque, errores autem hactenus receptos clariſſimis rationibus exploſurum eſſe. Nihil tamen horum, vt reuera ineptus ad huiusmodi philoſophiae emendationem fuit, in ipſa tractatione praeſtitit, ſed in eo diligentiam adhibuit omnem, vt dialecticam Scholaſticam perſtringeret, eiusque dicendi genus barbarum ſqualidumque exagitaret, terminisque horridis cultius ſermonis genus ſubſtitueret, quauis vero occaſione Ariſtotelem iugularet. Fruſtra itaque principia naturalia, phyſica, mathematica, moralia noua in hoc libro quaeruntur. Vbi quoque noua ſectatur, meliora non dat, ſed ineptis tricis detinetur. Cuius exemplum eſſe poteſt, quod reiectis Realium partibus nouam Nominalium ſectam conſtituit, vniuerſalia contendens eſſe vnum totum collectiuum, de qua eius opinione conſuli poſſunt, ſi placet, quae alibi diximus [d]. Mature vero liber Nizolii et euiluit, et, vt ſolet in huiusmodi ſcriptionibus euenire, diſparuit, aduerſariorum auctoritate et potentia partes Nizolii ſupprimente. Quia vero, vbi veterum, et Scho-

 laſticae

y) Polyhiſt. T. I. L. I. c. 25. §. 26. p. 315.
z) Ad Ionſium de S. H. P. L. II. c. 29. §. 9. p. 126.
a) In vita Maioragii, praefixa Deliciis epiſt.
b) Loco citando.
c) In not. ad MANVTII epiſtolas p. 1065.
d) Hiſt. doctrinae de ideis ſect. II. §. 6. p. 225.

lasticae imprimis philosophiae errores tangit, veritates vtilissimas passim sparsit, ideo librum antea ignotum recudi fecit, qui tunc iuuenem adhuc agebat, illustris LEIBNIZIVS [e], praemissa praefatione *de alienorum operum editione, de scopo operis, de philosophica dictione, de lapsibus Nizolii et adiecta epistola de Aristotele recentioribus reconciliabili.* Quos foetus Leibnizianos, bonae frugis, vt sunt omnia viri maximi scripta, plenos recudi nuper laudabili consilio curauit praestantissimus CHR. KORTHOLTVS [f]. Ex hoc itaque Nizolii conatu intelligi potest, qua ratione flagella Scholasticorum in pellendo hoc pseudo-philosophiae monstro seduli fuerint, et qua ratione viris doctis placuerit, ex quo eius deformitatem perspexerunt, illud ex felicibus philosophantium campis abigere.

Reformationis ecclesiae vtilitas ad emendandam philosophiam.

§. VIII. Non infeliciter operam suam collocasse hos viros doctos, cum explodendae Scholasticae theologiae et philosophiae manus admouissent, fatendum est: nam et ipsi eius naenias tricasque detexerunt, omniumque contemtui expossuerunt, et aliorum ingenia exacuerunt, vt simili ratione spectra haec ex ciuitate philosophorum pellerent, quorum exempla nonnulla in sequentibus adducemus. Quia vero inimicitias hominum potentium, et praecipue cleri, reformidabant, caute tecteque incedere in ea re coacti sunt, quae prudentia multum eorum conatus sufflaminauit. Fortiorem vero atque efficaciorem medicinam attulit, quae fauentibus diuinis auspiciis suscepta est, ecclesiae reformatio; quae tot ingeniorum praestantissimorum assensum, publica quoque confessione demonstratum meruit, vt cum viribus animoque ad iuuandam doctrinam theologicam pariter atque philosophicam essent instructissima, ad philosophiae quoque emendationem se accingerent, desertisque Scholasticorum castris, aliis sub signis militare inciperent. Qua in re philosophia cum reliquis disciplinis simile fatum habuit. Omnium enim scientiarum integritatem et pulchritudinem eo tempore, quo doctrina diuinior repurgationem passa est, rediisse, et adiuta esse reformationis negotio, disciplinarum incrementa nemo temere negauerit, qui sectae praeiudicio fauoreque vel odio partis occupatus haud est. Tot luculentis quoque id euicerunt rationibus et specimibus viri docti [g], vt qui contra dicere audeat, contra solem loqui censendus est. Mirum itaque non est, cum philosophia cum reliquis scientiis fororio cohaereat vinculo, eam quoque reformationis beneficio fuisse insigniter promotam, et exempla logicae [h], physicae [i] et ethicae [k], ex diuino hoc beneficio egregie auctae produxisse virorum eruditorum, qui in hoc campo versati sunt industriam; quorum tamen hoc loco vestigia

e) 1670. 4. f) Epist. Leibniz. T. II. p. 63. sq.

g) Videndi, quos laudat FABRICIVS Centifol. Lutheran. P. I. p. 368. seqq. P. II. p. 791. sqq.

h) Vid. DAN. REXINGERVS et post hunc SEB. EDZARDI pec. diss. quantum reformatio Lutheri logicae profuerit. Hamb. 1717.

i) Vid. B. I. FR. WVCHERER. diss. de incrementis physices a reformationis tempore. Ien. 1717.

k) Vid. B. Io. IAC. LEHMANNVS Progr. de vtilitate quam morali disciplinae reformatio Lutheri attulit ib.

gia legere breuitatis ſtudium, et infinita dicendorum copia impedit [l]. Cauſſae vero eius rei facile intelligi perſpicique poſſunt ab illis, qui ſine praeiudicio in hoc argumento verſari vel poſſunt, vel volunt. Nempe viros quos acutiſſimum ingenium, iudicii vis ſumma, et eruditio haud vulgaris nobilitauerat, in partes pertraxerat ſuas ſuſcepta religionis emendatio. Hi cum iſtis viribus eſſent inſtructi, non modo eccleſiae corruptionem videbant, quam tot ſeculorum ſuſpiria et lachrymae toties iam detexerant; ſed et cauſſas perſpiciebant fontesque, ex quibus peſtis illa tanto Chriſtianae ciuitatis malo in eccleſiam promanauerat. Inter has mali intolerabilis ſcaturigines pſeudo-philoſophiam Scholaſticam eſſe, quae vbique in monaſteriis, in academiis ſtudiisque generalibus, quae vocant, inque ſcholis reliquis regnabat, manibus palpabant, et quae inde ſuperſtitio incrementa firmamentaque accepiſſet, quae errorum monſtra hac parente eſſent edita, probe cernebant. Recte vero intelligebant viri ſummi et prudentiſſimi, cura quadam palliatiua malo huic medicinam parari non poſſe, et ipſas origines tollendas cauſſasque morbi praecidendas eſſe, neque huic lolio capita tantum demetenda eſſe, ſed radices euellendas, et meliora ſuppeditanda. His conſiliis excitati Scholaſticam philoſophiam et theologiam magno animo aggreſſi, eius falſitatem, et corruptam faciem, innumeraque, quae in bonas artes ipſasque ſacras diſciplinas inde profluxerunt damna oſtendebant, et quam pueriliter inepteque, quantoque intellectus humani ipſiusque rei diuinae detrimento illa imperium obtineret, exponebant; iuuentutem autem, quosque ſobrie philoſophari intererat, ſerio hortabantur, vt relicta hac perfida magiſtra, ſapere, et ex melioribus fontibus prudentiae naturalis et ciuilis omnisque ſapientiae praecepta haurire conarentur. In hoc cardine voluendo magna pars induſtriae laudatiſſimorum virorum verſabatur, idque plerique vrgebant, qui, vt emendaretur intellectus humanus, optabant, et ad eam rem conferebant, quantum poterant. In hoc vero negotio arduo et difficili ſummique momenti maximum virum Martinum Lutherum principem manus auxiliatrices admouiſſe, notius eſt, quam vt dici prolixe debeat, et ipſorum aduerſariorum eius teſtimonio conſtat. Qui cum plurimum ad hanc rem contulerit, dignus eſt, cuius in philoſophiae emendationem merita hoc loco paulo prolixius enarrentur.

Martini Lutheri merita in philoſophiae emendationem.

§. IX. Non imparatum fuiſſe MARTINVM LVTHERVM a philoſophiae Scholaſticae cognitione, arteque illa tota, quae eo tempore, quo is diſciplinarum praeceptis in iuuentute imbutus eſt, obtinuit, vitae eius abunde teſtatur hiſtoria, et nemo dignior fide teſtis eſt, PHILIPPO MELANCHTHONE, qui breuem vitae eius enarrationem [m] concinnauit. Hoc auctore nouimus, Lutherum in Schola Iſenacenſi quadrien-

l) Conf. CHR. STOCKIVS de bonarum literarum παλιγγενεσίᾳ ſub et poſt reformationem, ib.

m) Praefixa eſt T. II. Opp. Lutheri Witteberg. Latin. et inſerta quoque T. IV. Declamationum MELANCHTHONIS. Nuper vero recuſa cum annotationibus doctiſſimi HEVMANNI Goettingae 1741. 4.

Lutherus eruditionis et philosophiae laude non defraudandus.

nio audiuisse praeceptorem (Ioannes Trebonius is fuit, pro temporis istius conditione vir doctus et sermonis Latini haud imperitus,) rectius et „dexterius tradentem grammaticam, quam alibi tradebatur. Cumque et „vis illi ingenii acerrima esset, et inprimis ad eloquentiam idonea, celeri„ter aequalibus suis praecurrisse, et verbis et copia sermonis in loquendo „et in scribendo soluta oratione, et in versibus, ceteros adolescentes, qui „vna discebant, facile vicisse. Degustata igitur literarum dulcedine, na„tura flagrantem cupiditate discendi, appetiisse academiam, tanquam fon„tem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tantam „vim ingenii potuisse, si doctores idoneos inueniisset, et fortassis ad lenien„dam vehementiam naturae mitiora studia verae philosophiae, et cura for„mandae orationis profuissent. Sed incidisse Erfordiae in eius aetatis dia„lecticam satis spinosam, eamque, cum sagacitate ingenii praeceptionum „causas et fontes melius, quam ceteri, perspiceret, cito arripuisse. Cum„que mens auida doctrinae plura et meliora requireret, legisse ipsum plera„que veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilii, Li„uii et aliorum. Haec legisse, non vt pueri, verba tantum excerpentes, „sed vt humanae vitae doctrinam aut imagines. Quare et consilia horum „scriptorum et sententias propius adspexisse, et vt erat memoria fideli et „firma, pleraque ei lecta et audita in conspectu et ob oculos fuisse. Sic „igitur in iuuentute eminuisse, vt toti academiae Lutheri ingenium ad„mirationi esset, isque cum natus esset annum vicesimum gradu magiste„rii philosophici ornaretur. Haec ille. Habuit autem Lutherus, vt ex M. Razenbergii *Historia Lutheri* msc. refert illustris Seckendorfivs [n], praeceptores Erfordiae Ioannem Gryphium et Iustum Iodocum, vulgato, vt mos erat illius temporis nomine, doctorem Isenacensem dictum. Is in sui aeui philosophia adeo excellebat, vt *Summae philosophiae naturalis*, quam edidit, hoc praefixerit elogium Eobanvs Hessvs:

Iustus Iodocus Lutheri in philosophia praeceptor.

Garrula stelliferum mirari desinat orbem
Fama Syracusium composuisse senem.
Vulcani clypeos Asiam Europamque ferentes
Asserat; inuenit fabula prisca fidem.
Quandoquidem exiguo naturae summa libello
Tam bene composita est, docte Iodoce, tibi.

Seruili vero studio Aristoteli adhaerebat Iodocus, et pro eo, more Scholasticorum, tanquam pro aris focisque pugnabat. Ex hoc vero praeceptore, qualis discipuli, qui ab eius ore pependit, philosophia fuerit, nemo non intelligit. Qui tamen cum mature oculos aperiret, videretque, quantis naeuis deformis esset philosophia Aristoteliço-Scholastica, anno cIↃ IↃ XVI Iodoco dubitationes contra Aristotelem et Porphyrium transmisit, de quibus

Lutherus mature philosophiam Aristo-

n) Histor. Lutheranismi Libr. I. §. 8. addit. 3. pag. 20.

bus infra plura dicemus. Qua Aristotelico-Scholasticae philosophiae desertione ita irritauit Lutherus praeceptoris, licet magna veneratione excepti, animum, vt eum Erfordiam delatum in conspectum admittere noluerit [o]. Qua eius indignatione non commotus Lutherus, in literis ad Iodocum anno cIↃ IↃ XIIX exaratis eadem se in sententia persistere, professus est, scribens: *Vt me etiam resoluam, ego simpliciter credo, quod impossibile sit, ecclesiam reformari, nisi funditus canones, decretales, scholastica theologia, philosophia, logica, vt nunc habentur, eradicentur, et alia instituantur.* His Lutheri sententiis ita exasperatus est Iodoci animus, vt ad Spalatinum scriberet Lutherus, cum Iodoci mortem audiuisset [p]: *Audiui heri, excessisse e viuis D. Iustum Iodocum Isenacensem, Erfordiae. Timeo et me ansam acceleratae suae mortis fuisse, tantum aegritudinis fuit animo eius ex meis, vt dicitur, profanitatibus et temeritatibus, quibus Scholasticam theologiam incredibiliter doluit contemni.* Verum haec postea gesta sunt, et infra tangentur. In praesentia id praecipue obseruamus, mysteria Scholasticorum omnia virum summum accurate pernouisse. Testis iterum MELANCHTHON est [q], narrans, *Lutherum ad Augustini religionem conuersum et huius doctoris scripta legentem non tamen prorsus reliquisse sententiarios, Gabrielem et Cameracensem pene ad verbum memoriter recitare potuisse; diu multumque legisse scripta Occami, huius acumen antetulisse Thomae et Scoto, diligenter et Gersonem legisse, sed omnia Augustini monumenta et saepe legisse, et optime meminisse: illam autem vim ingenii demonstrauisse, vt saepe dixerit doctor Martinus Mellerstadius, mutaturum esse vulgare doctrinae genus, quod tunc in scholis vnicum tradebatur; et hic primum dialecticam et physicam Aristotelis enarrauisse.* Addixit vero se Lutherus, vt plerique eo tempore viri docti in Germania faciebant, Nominalium partibus [r], quas Occamus recoxerat, et Germanis acceptissimas fecerat, vt in *praecedente Tomo* dictum; maturior vero aetate et experientia doctior omnem Nominalium et Realium controuersiam contemsit et exagitauit. Ex his vero manifestum est, inepte agere, et inuidiam prodere Lutherani nominis obtrectatores, qui Scholasticorum mysteriorum et artium liberalium notitiam ei impudenter denegant. Inter quos more suo nomen professus est IACOBVS GRETSERVS, inter cuius scripta extat etiam *oratio, vtrum Lutherus fuerit theologus Scholasticus?* Dedit eius verba integra P. BAYLE [s], in quibus quaestionem ideo negandam esse statuit, *quod crassissimos, stupidissimos, et decumanos prorsusque asininos contra theologiam et philosophiam errores commiserit.* Quare vehementer in eum inuehitur, quod non semel testatus fuerit, omnia scholasticae theologiae mysteria sibi probe esse cognita; omnia adyta perlustrata, omnes

telico-Scholasticam oppugnat.

o) Vid. LVTHERI epist. I. 10.
p) SECKENDORF. l. c. p. 121.
q) loc. cit.
r) Vid. quae diximus in historia philos. doctrinae de ideis S. II. §. 4. p. 208. et cel. HEVMANNVS l. c. p. 10. not. c.
s) T. III. art. Luther. not. II. p. 134. SOTVEL. Bibl. societatis Iesu p. 370. C.

omnes excussos angulos, seque, quod contra doctores Louanienses et Colonienses scripsit [s], *non pessimo ingenio, nec vltima socordia versatum esse, plus duodecim annis inter sympalaestritas eorum detritum.* Nec ferre potest, quod dixerit, *se Occamistarum, qui eo tempore* Terministae et Moderni dicebantur, *placita non a limine tantum salutasse, aut primoribus labris solummodo degustasse, sed penitus imbibita tenere etc.* Quae cum Melanchthon quoque asseruerit, ita explodi posse putat, vt ne principia quidem philosophica Lutherum tenuisse demonstretur: cuius rationes inde desumit, quod statuerit: impingere philosophiam in theologiae regulas, sed ipsam vicissim in philosophiae regulas, quodque vehementer stomachetur in Parisiensem theologorum scholam, quod definiuerit, idem esse verum in philosophia et theologia: et quod dixerit: aliquid esse verum in vna parte philosophiae, quod tamen falsum sit in alia parte philosophiae. Verum quam friuola haec sint, et inepte afferantur, vel pueri intelligunt, cum quae Lutherus κατα τι, et imprimis de Scholastica philosophia dixerat, vel certo tantum sensu et relatione affirmauerat, nec ratiocinatione mala vsus erat, ad sensum aliquem vniuersalem satis sophistice rapiantur, ipseque Gretserus prodat, se Lutheri mentem intelligere vel non potuisse vel noluisse, recte ideo notatus Baelio, qui videndus. Sufficit, vt haec frustra, et inuidia dictante, dici ostendamus, quod probantibus superioribus, iussuque electoris Friderici Sapientis Lutherus philosophiam Scholastico-Aristotelicam in Vitebergensi academia docuerit. Cui muneri eo minus ineptum et ineruditum monachum praeficere licuit, quo seuerior erat laudatissimi principis voluntas, vt natiuam Aristotelis philosophiam iuuentus doceretur. Hanc enim felicitatem MELANCHTHON [ss] in sermone *de corrigendis studiis adolescentibus* gratulatur, quod *quibus benignitate optimi ac sapientissimi principis Friderici, Ducis Saxoniae, electoris contigerit, longe saluberrimis eruditi, fontes ipsos artium ex optimis auctoribus hauriant, et natiuum ac sincerum Aristotelem doceantur.* Cum autem idem quoque princeps suis sumtibus imprimi curauerit PETRI TARTARETI *in doctrina Scoti super Aristotele, et Petro Hispano commentationes*, (de quo commentario logico in *Summulas Petri Hispani* videndus HERMANNVS AB ELSWICH [t] hicque potissimum ex Scholasticis auctoribus scriptor professoribus Vitebergensibus explicandus traditus commendatusque fuerit, necessario inde concluditur, eam in Luthero Scholasticae philosophiae cognitionem reperiisse superiores, quae ad professorem publicum sufficeret, id quod Iesuitae sophismata satis euertit.

Lutherus Scholasticam philosophiam reiicit et damnat.

§. X. Non tamen tanti sibi constitisse philosophiae Scholasticae notitiam, omnemque illam, quae huic innitebatur, eruditionem vir magnus credebat, vt non meliora edoctus, eiusque morologiae vanitatem et stultitiam

s) In Responsi ad articulos a Louan. et Colon. theologis damnatos T. II. Opp. Lat. Witteb.
ss) Declamat. T. I. p. 496. t) De fortuna Aristotelis in Academiis Protestantium §. 8. p. 16.

titiam perſpiciens ſponte non abiicere modo, ſed et expellere ex ſcholis, et publicis ſcriptis oppugnare apud ſe conſtitueret. Cuius mutationis cauſſae fuere variae. Et primo quidem dubitandum minime eſſe videtur, easdem rationes, quae in Italia viros doctos, politioris literaturae ſtudio delectatos excitauerant, ad abiicienda Scholaſticae philoſophiae iuga, Lutheroquoque, in veterum ſcriptis ab adoleſcentia verſato horrorem barbariei Scholaſticae inieciſſe; praecipue cum Graecis et Ebraicis literis ſe dedere coepiſſet. Satis id prodit MELANCHTHON [u], pulchre obſeruans, *eum Lutherus in theologia diſcrimen legis et euangelii, promiſſionum legis et promiſſionis euangelii, philoſophiae et euangelii, quod non extabat in Thoma, Scoto et ſimilibus magno eruditorum omnium applauſu oſtendere coepiſſet; acceſſiſſe huic, quod Eraſmi ſcriptis iam inuitata fuerint iuuentutis ſtudia ad Latinae et Graecae linguae cognitionem, et monſtrato iam dulciore genere doctrinae, multi bonis et liberis ingeniis praediti abhorrere a barbarica et ſophiſtica doctrina monachorum inceperint.* Deinde cum accurate omnia Scholaſticae doctrinae myſteria et aſyla perſpexiſſet vir acerrimo iudicio praeditus, et in arcanas eius rationes facile penetrans, peſtilens malum, cuius triſtiſſimos in eccleſia effectus tot piorum lamentationibus lachrymisque hactenus deploratos probe nouerat, non inſpicere non potuit. Ita vero inuictis rationibus conuincebatur, Scholaſticam philoſophiam et fundamentum eſſe theologiae Scholaſticae, quosque illa inuexerat, errorum omnium, et fulcrum ſuppeditare immenſum ambitionis et potentiae, curiae Romanae, quae, velut intolerabili hactenus iugo conſcientiis imperauerat, quodque tandem aliquando excutere omnes boni praeoptabant. His vero malis medendis tandem manum admouendam ratus, prauorum loliorum radices exſtirpandas eſſe recte ſtatuit, et pellendam philoſophiam Scholaſticam, ſi illa peſtis ſit auerruncanda. Cumque et ratione recte vti, et ſacras literas dulcioribus ex fontibus haurire coepiſſet, expertus erat, quam inutiles eſſent cauillationes ſophiſtarum, et ad intellectum luce colluſtrandum, et ad voluntatem rite emendandam, nec eſſe vel luminis vel ſolatii quicquam in omnibus illis diſputationibus, maximisque, quae de nihilo naſcebantur, fabulis. Has vero inanes diſſertationes et morologiam ferri ab hominibus piis et ingenuis vir recti ſenſus et integri pectoris indignabatur. Aſt his potiſſimum armis in proelium prodire, et pro peſtilentibus erroribus, qui eccleſiam occupauerant, pugnare tanquam pro aris focisque videbat curiae Romanae mancipia: his fulcris labentem moxque ruituram ſuperſtitionem ſuſtentari, his praeſidiis barbariem doctrinae morumque defendi obſeruabat, adeoque iſta prius armatura ſpolianda eſſe tenebrarum regna recte iudicabat [v]. Cumque et vocationis iure, et animi magnitudine omnium fortiſſi-

u) In vita eius l. c.

v) Conf. SECKENDORF. l. c. p. 103.

fortiſſime praeiudiciorum turmas, quae hactenus veritatem graui onere depreſſerant, eieciſſet, et ſic illam venerationem, Scholaſticae philoſophiae et theologiae, quam ab adoleſcentia in ſcholis et monaſterio hauſerat, quaeque multis oculos tenebat, vt perſpicere foedos vultus haud poſſent, exuiſſet, facile fuit, ingenii natura acerrimi in id vires conferre, vt pſeudo-philoſophiam hanc, ſuis neruis ſpoliatam omnium contemtui exponeret. Quod licet magnam illi inuidiam minabatur, eo quod emolumenta, quae a Scholaſticae philoſophiae et theologiae imperio hauriebat clerus monachorumque grex, arctis hos homines vinculis illi peſti mancipauerant, excitarunt tamen virum fortem animique imperterriti exempla magnorum virorum, qui in Italia barbariem aggreſſi, Scholaſticae philoſophiae bellum indixerant. His rationibus cauſſisque inſtigata ignea vis animi, qui eccleſiae emendationem forti quoque remedio opus habere probe perſpiciebat, non potuit non acerrime in Scholaſticam philoſophiam inſurgere, eamque telis vndequaque confodere. Iniquiſſime id tulit cucullatorum fratrum, virorumque obſcurorum turma, quae hoſtem illum eſſe philoſophiae omnis, ipſiusque rationis, et ignorantiae atque enthuſiaſmo apertiſſime fauere clamabat. Fecit id ſub ipſis reformationis auſpiciis THOMAS RHADINVS Dominicanus, qui in *oratione* [w] *ad principes et populos Germaniae*, Romae, vbi theologiam profitebatur, habita, velut enorme illi crimen obiicit, *quod Ariſtotelicam philoſophiam ſpreuerit, et theologiae peſtem vocauerit cum ſumma Scholaſticorum doctorum iniuria, qui tamen per annos trecentos theologiae philoſophiam ancillari et omnem humanum intellectum in obſequium Chriſti captiuum facere allaborauerint.* Haec poſtmodum alii, etiam docti viri ex Romanenſium coetu repetiuere, vt odio in Luthero, aliquid darent [x], quorum loca cum adduxerit Ven. HALLBAVERVS [y], theologus hodie Ienenſis clariſſimus, ad eum Lectorem remittimus, ſed et illos euoluendos eſſe monemus, qui his calumniis et opprobriis in Lutherum iactis accurate ſolideque reſponderunt, enarratos a IO. ALB. FABRICIO [z]. Viuo adhuc Luthero eo nomine ad Thomae Rhadini obtrectationes reſpondit Didymus Fauentinus, vel qui ſub hoc nomine latet PHILIPPVS MELANCHTHON, peculiari oratione [a], in qua inter alia ad obiectam ſtudiorum oppreſſionem, et quidem philoſophiae reſpondet: *Non damnat Lutherus eam philoſophiae partem, quae mathemata, quae gemmarum, plantarum et animantium naturas deſcripſit. Nam horum cognitionem fatetur ad ſacra neceſſariam eſſe, ſoletque in loco vti, quoties res poſtulat, probat inquam illam rerum deſcriptionem, cuius auctores habemus*

w) Prodiit ea, cura Emſeri, qui inter Lutheri aduerſarios agmen ducebat, Lipſiae 1520. vid. SECKENDORF. l. c. L. I. ſ. 27. §. 70. p. 107.

x) MELCH. CANVS Theol. L. IX. c. 3. qui tamen ipſe theologiam ſcholaſticam condemnat. RAPIN. Compar. Ariſt. et Platonis p. 412. FLEVRY Method. ſtudiorum, alii.

y) In Diſſ. Lutherus politioris literaturae cultor et aeſtimator §. 6. p. 9.

z) Centifol. Luth. P. I. p. 367. P. II. p. 791. 792.

a) T. III. Opp. p. 38 ſeqq.

mus apud Latinos Plinium, apud Graecos Athenaeum, addo, si vis, Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, vt poëtas interim taceam. Breuiter collaudat Lutherus, quae de rerum natura fere sunt a medicis conscripta, damnat autem, si ignoras, eam philosophiae partem, quae de rerum principiis, ventorum ac pluuiarum caussis prodigiosas nugas comminiscitur, adeoque quicquid id est, quod Aristoteles vocat physica ἀκροάματα, καὶ τὰ μεταφυσικὰ damnat, quicquid de moribus a philosophis proditum est. Idem in sequentibus de ea philosophiae parte, quae naturam transcendit, et de Deo praecipit differens, affirmat, ita vt planum faciat, Lutherum proprie Scholasticam philosophiam impetiisse: *De iis, quae Deo tribuuntur ab hominibus, de vnitate, de intellectu, de voluntate, de simplicitate differunt metaphysici, quos vocant, quam partem theologia Scholastica sibi totam vindicat, in qua regnare sibi videtur. Hinc natae sunt factiones illae Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, velut ex chao δημιεργεμένῳ. Hic theologorum vulgus studia in contraria scinditur, dum hic rem rationabilem, ille realitates, breuiter dum suum quisque dogma asserit.* Quae omnia in sequentibus graui offensa doctrinae Christianae hactenus retenta esse, nec cum sanis Christi dogmatibus consistere posse, pulchre ostendit. Ex dictis autem constat, dum Scholasticam philosophiam reiecit Lutherus, Aristotelicam quoque illum improbauisse, quam fulcrum illius vnicum esse nouerat, quamque cum doctrinae Christianae systemate non posse cohaerere, arcte vero cum erroribus philosophiae et theologiae Scholasticae connecti probe intelligebat. Valde displicebat ei Aristotelis dialectica et ethica, maxime, quod hoc duce in sacrorum mysteriorum penetralia pedem inferre, et his elementis res diuinas metiri Scholastici ausi fuerint: credebat autem philosophari nos pulchre posse sine Aristotele, quem Christo et Apostolis a Scholasticis praelatum esse aegerrime ferebat, et ista quoque ex caussa Ciceronem Aristoteli praeferebat, in cuius scriptis philosophicis perspicuitatem et elegantiam regnare videbat, cum e contrario Aristotelis scripta in se difficilia et obscura Scholastica gens non intellexisset. Abiiciendam itaque Aristotelicam quoque philosophiam, cum Scholastica esse statuit, si sananda sint ecclesiae vulnera ab his hominibus inflicta. Et ex hac Lutheri de Aristotelica philosophia opinione illae prodierunt rationes dubitandi, quas contra Aristotelem et Porphyrium anno MDXVI transmisisse praeceptori suo Iodoco Isenacensi supra memorauimus. Commendauerat eas peculiari epistola [b] Ioanni Langio, in qua *Aristotelem, Porphyrium, Sententiarios perdita studia nostri seculi* vocat; praedicitque, *blasphemiarum et maledictionum instar eos habituros illas esse, quibus decretum, non quinquennio cum Pythagoricis, sed perpetuo et in aeternum cum mortuis silentium tenere, omnia credere, semper auscultare, nec vnquam, saltem leui praeludio contra Aristotelem et sententi-*

b) Epistol. T. I. ep. 10.

as velitari et mussitare. Addit inter alia: *Nihil ita ardet animus, quam histrionem illum, qui tam vere Graeca larua ecclesiam lusit, multis reuelare, ignominiamque eius cunctis ostendere, si otium esset. Habeo in manibus commentariolos, in primum physicorum: quibus fabulam Aristaei denuo agere statui in meum istum Prothea, illusorem vaferrimum ingeniorum, ita vt nisi caro fuisset Aristoteles, vere diabolum eum fuisse non puderet asserere. Pars crucis meae vel maxima est, quod videre cogor, fratrum optima ingenia bonis studiis nata, in istis scenis vitam agere, et operam perdere: nec cessant vniuersitates, bonos libros cremare et damnare, rursum malos dictare, immo somniare.* Anno vero sequenti dissertationem Luthero praeside M. Franciscus Guntherus, Northusanus habuit [c], in qua haec de Aristotele pronuntiatur sententia: *Tota fere Aristotelis ethica pessima est, gratiae inimica. Error est, Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinae catholicae. Error est dicere, sine Aristotele non fit theologus. Immo theologus non fit, nisi sine Aristotele. Nulla forma syllogistica tenet in terminis diuinis. Non tamen ideo sequitur, veritatem articuli trinitatis repugnare formis syllogisticis. Si forma syllogistica tenet in diuinis, articulus trinitatis erit scitus et non creditus. Breuiter totus Aristoteles ad theologiam est tenebrae ad lucem. Bonum erat ecclesiae, si theologis natus non fuisset Porphyrius cum suis vniuersalibus. Vsitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principium* [d]. Alia huius generis loca, in quibus Lutherus grauem Aristoteli dicam scripsit, diligenter passim a viris doctis [e] collecta, breuitatis caussa praeterimus. In his vero viri summi pronuntiatis esse nonnulla duriuscula, et imputari Aristoteli errores, quorum Scholastici magis hunc philosophum non assecuti, rei agendi sunt, quam Stagirita, non diffitemur; produntque quaedam vim illam et vehementiam animi, sine qua Augiae stabulum repurgari haud poterat. Sed id quoque, si absque odio et inuidia de hac re dicendum, fatendum est, valde offendisse virum pium, et ad animi emendationem atque praeparationem, eiusque consolationem omnem philosophiam referentem, abusum Aristotelicae philosophiae, latissime in Scholastica philosophia regnantem, quae tantum abest, vt posthabitis reiectisque vel emendatis dogmatibus Peripateticis, quae cum sacra doctrina in physica, metaphysica et morali parte reconciliari non possunt, meliora tantum rectaque consuluerit, vt potius nefandos Aristotelis errores pro sacrorum dogmatum principiis admiserit: indignatumque esse ludicris et ineptis cauillationibus ex dialectica Aristotelis inter Scholasticos natis, quae scepticismum, ipsamque haud raro impietatem genuerant.

Im-

c) T. I. Ien. Lat.

d) Repetiit ista in 28. paradoxis et 12. positionibus philosophicis contra Aristotelem Heidelbergae disputatis, l. c.

e) Elswich. l. c. Hevmann. Act. phil. Vol. II. p. 579. Chr. Thomasivs Hist. sap. et stult. T. I. p. 1. et pecul. Schediasmate Germanico idiomate scripto Io. Gvil. Zieroldvs. Starg. 1700. 4.

Improbando itaque syſtema Ariſtotelis phyſiologicum, et ethicum quod male cum Chriſtiana doctrina cohaerere nemo non, rerum gnarus, intelligit, reuera Ariſtotelem Scholaſticum, ducemque philoſophaſtrorum horum explodebat, reiiciebatque. Clare id probant declarationes, quas Lutherus *Poſitionibus et declarationibus ad Heidelbergenſes miſſis* addidit, et ex Codice Mſc. bibliothecae Zittauienſis vulgauit GOTTLIEB. WERENSDORFIVS V.C. *f.* Ibi ita vir beatus: *Hae concluſiones ſunt a me ideo tractatae ac diſputatae, vt oſtenderem, primo, quam longe lateque ab Ariſtotelis ſententia aberrarint omnium ſcholarum ſophiſtae, ac plane ſua ſomnia in Ariſtotelis non intellecti libros inuexerint. Vnde et ſi quam maxime ſenſum eius teneamus (quemadmodum hic tradidi,) tamen prorſus nihil adiumenti ex ipſo haberi poſſet non ſolum ad theologiam ſeu ſacras literas, verum etiam ad ipſam naturalem philoſophiam. Quid enim iuuet ad rerum cognitionem, ſi de materia, forma, motu, finito, tempore, nugari et cauillari queas verbis ab Ariſtotele conceptis et praeſcriptis?* Et alibi *ff* ad Georgium Spalatinum ſcribens, non diſſimulat, *ratum ſibi atque certum eſſe, nec Thomam, nec omnes Thomiſtas ſimul, vel vnum in Ariſtotele intellexiſſe capitulum.* Quae omnia recte ſe habent, nec facile improbabit, quisquis vel Peripateticam vel Scholaſticam theologiam nouerit. Ceterum, ipſius Ariſtotelis philoſophiam, velut ſapientiam quandam humanam et Graecam conſideratam non prorſus contemnebat, et quam in theologia valde improbabat, ethicam Ariſtotelis, in vita ciuili laudat, Ariſtoteli quoque acutiſſimi ingenii laudem tribuit, et eo nomine Ciceroni praefert, quamuis hunc illi prudentia praeſtitiſſe affirmet *g*. Quae moderatior de Ariſtotele ſententia Lutheri adſcribenda eſſe videtur Melanchthonis amicitiae et, qua ille regebatur, opinioni de vera Ariſtotelis philoſophia. Ceterum veriſimile admodum eſt, Lutherum diſputationis aeſtu abreptum, myſticaeque theologiae, quam ei initio commendauerat Scholaſtica impietas amore adductum, initio quaedam duriuſcula non de pſeudo-philoſophia tantum, quae in ſcholis regnabat, pronuntiaſſe, ſed ipſi quoque philoſophiae imputauiſſe: imprimis autem dubio carere videtur, cum Auguſtini placitis de ſeruo hominis arbitrio eſſet addictiſſimus, ideo paulo iniquiorem in philoſophiam fuiſſe, quod hanc vires hominis naturales earumque libertatem nimium extollere crederet: quae ratio moralem quoque Ariſtotelis philoſophiam illi inuiſam reddidit *h*. Sed Lutherum ipſum ex Luthero explicantibus, et quae extra diſputationis aleam conſtitutus de philoſophia ſcripſit, conſiderantibus manifeſtum erit, virum magnum maturiori iudicio de philoſophia pronuntiantem, non eius vſum, ſed inutiles ſterilesque diſputationes Scholaſticorum, et pſeudo-philoſophiam illo tempore obtinentem reieciſſe, et nugas horum philoſophaſtrorum, quae optima tunc in-

 genia

f) In diſſ. de progreſſu emendatae per Lutherum religionis p. 20.
ff) T. I. ep. 45.
g) Vid. ad Gen. X. p. m. 131.
h) Conf. Act. phil. Vol. II. p. 587.

genia detinuerant, et impedimenta ſtruxerant veritatis maxima, damnauiſſe. Id quod vel ex vna MELANCHTHONIS oratione *contra Rhadinum*, exque loco ſupra adducto eſt manifeſtum, legique meretur vel ipſa tota oratio, vel excerpta ex ea a SECKENDORFIO [i] data, quia luculentis exemplis Melanchthon probatum dedit, corruptiones infinitas quae ex iſta pſeudo-philoſophia exortae ſunt, virum ſummum compuliſſe, vt hunc foetum adulterinum ex eccleſia eiiciendum eſſe contenderet. Quod reliquum eſt, nec philoſophicum ingenium magnis iudicii excelſi et animi imperterriti viribus ſuffultum Luthero defuiſſe, nec a ſaniori philoſophia, diuinioris veritatis teſtem fuiſſe deſtitutum, dudum viris doctiſſimis CHR. AVG. HEVMANNO [k] et ISAACO FROEREISENIO [l] obſeruatum, quorum paginae illis euoluendae ſunt, qui vberiora eo de argumento deſiderant. Nobis enim prolixioribus eſſe non licet, contentis oſtendiſſe, quid Lutherus ad pellendam Scholaſticae philoſophiae barbariem reuocandumque meliorem ſenſum reformationi doctrinae Chriſtianae intentus contulerit. Ex quibus cauſſa intelligitur, cur philoſophia tempore emendatae religionis mutationem paſſa ſit.

Melanchthon aduerſarius philoſophiae Scholaſticae.

§. XI. Eandem, quam Lutherus fouerat, opinionem MELANCHTHONEM quoque aluiſſe, qui tum primus fere philoſophiae et humaniorum literarum reſtaurator erat, ex oratione *in Rhadinum* in antecedentibus adducta eſt manifeſtiſſimum. Et hoc diſertiſſimo viro interprete, non ſine iucunditate diſcimus, quae cauſſae viris illis magnis, qui reformandae eccleſiae opus ſuſceperunt, fuerint, philoſophiam et theologiam Scholaſticam velut purgamenta quaedam ex eccleſia eiiciendi. Quamuis autem Ariſtoteli magis faueret, nec reiiciendum eum totum, ſed in ordinem cogendum emendandumque eſſe ſtatueret, et puriorem Peripateticam philoſophiam reuocare in academias conaretur, vnde ei locum infra inter philoſophos γνησίως Peripateticos aſſignabimus; non mutauit tamen ſententiam de philoſophia Scholaſtica, quam quacunque poterat occaſione, amicis et ſtudioſae quoque iuuentuti ſuggerebat. Paſſim huius rei exemplis ſcatent orationes ab eo in academia Witebergenſi pronuntiatae, vbi more ſuo plane et perſpicue ea de re differit. Praecipue autem legi meretur elegans atque docta oratio, quam *de ſtudiis corrigendis* [m] conſcripſit, et in qua multa pulcherrime de barbaro iſto, quod ante illud ſeculum, diu viguit, aeuo edifferit, cauſſasque luculenter exponit, qui factum ſit, vt tanto ingenia philoſophantia ſitu obducta ſint, et quibus ex fontibus illa corruptio manauerit; deformes quoque vultus exponit, quibus deteſtabilis philoſophia facta eſt. Inter alia vere: *Primum deſertis veterum diſciplinis quando audax iſta commentandi et philoſophandi ratio inualuit, ſimul Graeca contemta, mathematica deſerta, ſacra negligentius cul-*

i) Hiſt. Luther. loc. cit.
k) Loc. cit.
l) Vindiciae Lutheri, quibus eius manes a philoſophiae ſanioris odio et contemtu craſſaque ignorantia vindicantur. Argent. 1617. 4.
m) T. I. p. 489.

cultа ſunt. Quo malo quae ſaeuior peſtis eſſe potuit? Certe nulla vulgarior vnquam fuit. - - Quantum aetatis homini datum eſt, nedum adoleſcentiam, inſumunt, vt Euripos omnes, ſic enim Nazianzenus vocat, Ariſtotelicos exhauriant, id quod neſcio an vnquam alicui contigerit. Subinde enim quod exhauritur, influit, felicius id quidem quam quod de Danaidum doliis ferunt. Adde quod cum ſe veri ſcientiam meditari gloriantur, plurimum operae fallaciis nectendisque dolis linguae nauent; deinde ex tot factionum diuerſis opinionibus, vix vnam aut alteram, quae ſibi conſtet, reperias. Solent enim, in omni humano dogmate falſis vera, veris falſa miſceri. Ibi vero quanto agas negotio, quibus auditorem perfugiis trahas, dum ſententiae doctores inter ſe conueniant, nimirum vt candida nigris: at nil refert, cadat, an recto ſtet fabula talo, modo clamatum ſit fortiter. - - Interim partium ſtudiis diſceditur, aluntur odia, friget humanitas, et cum a literis nihil abeſſe debeat longius rancore; nam communia erant Muſis et Gratiis quondam ſacra, horum ſtudia, quaecunque ſunt, vel ſola nutrit inuidia. Similia habet in oratione *de odio ſophiſtices* [n], in qua grauiſſimis verbis Scholaſticorum fallacias, et impietatem, quam iſtis artibus defenderunt, deſcribit, et quae inde eccleſiae pericula excitata ſint, graphice delineat. Aliorum, qui a Lutheri ſociorumque partibus ſteterunt, eadem de re teſtimonia, ne nimii ſimus, praetermittimus.

§. XII. Valde ſtudium hoc profuit orbi literato, cum vbique exorientis philoſophiae emendationem apertis exciperent amplexibus elegantiora ingenia. Quae licet non omnia philoſophiam, data opera excolerent, relicto tamen, quod diſciplinas fere omnes hactenus inquinauerat, ſterquilinio, ad colendam ſapientiam atque eruditionem humaniorem animum adiecerunt. Hi non quidem certam quandam ſectam elegerunt, vt innumeri fecere alii, qui philoſophiae nomen ab eo tempore dederant, nec eclecticum philoſophandi genus ſecuti ſunt, quod a ſcopo ſuo erat alienum, legerunt tamen ob philoſophiae amorem veteres philoſophos Graecos Latinosque, eorumque interpretes agere adhibita veteris literaturae luce conati ſunt, hacque ratione ad promouenda philoſophiae incrementa nonnihil attulerunt. Cuius exempla varia in hiſtoria literaria ſeculi XVI occurrunt, in hac hiſtoriae philoſophicae parte non negligenda. In hac claſſe collocari meretur IACOBVS SADOLETVS, vir ſummus, et politioris eruditionis vindex haud poſtremus. Hic quamuis philoſophum ſe oſtendere non deſideraret, cum tam Ciceronis eloquentiam imitandam ſibi non ſine felicitate conſtituiſſet, eius quoque exemplo monitus dicendi rationem puram caſtamque ad philoſophiam transtulit, et *de laudibus philoſophiae* pulchre commentatus eſt. Qui liber adeo placuit Petro Bembo Cardinali, vt ad Polum itidem Cardinalem ſcriberet [o]: *Equidem ab illis Auguſti temporibus, quae profecto maxime*

Promota hac ratione ſtudiorum elegantiorum cultura, et interpretatio veteris philoſophiae.

Exempla eius.

Iacobus Sadoletus.

n) l. c. p. 578. o) Apud POPE-BLOUNT, p. 573. conf. TEISSIER. T. I. p. 29.

xime omnium ſummis ingeniis et ſcriptoribus praeſtantibus claruerunt, nullum legi librum ſcriptum, vt mihi quidem videtur, appoſitius, ſplendidius, nullum melius, nullum Ciceroniano mori, ſtilo, facundiae denique vicinius. Idque ſine dubio debuit vir illuſtris amicitiae, quam cum Eraſmo et Melanchthone alebat, quos cum aſſertores noſſet literarum, earumque elegantiam ad philoſophiam cerneret traducere, laudabili conſilio ſecutus eſt. Iungendi his Patauinus Medicus HIERONYMVS FRACASTORIVS, et Germanorum Plinius GEORGIVS AGRICOLA. Vterque enim cum totam fere aetatem in indaganda rerum natura conſumſiſſet, literarum decus ad philoſophiam iuxta veterum mentem, licet nulli ſectae addictus transferre ſtuduit. Et ille quidem teſte THVANO [p], cui ſuccinunt eruditorum plerique, *ad exactam philoſophiae et mathematicarum artium ac praecipue aſtronomiae cognitionem ſummum iudicium et admirabile ingenium attulit: quo multa ab antiquis aut ignorata aut ſecus accepta adinuenit, et explicauit.* Hic autem Ariſtotelis atque Plinii exempla ſecutus rerum naturalium hiſtoriam tanta eruditione et ingenii ſolertia perſecutus eſt, vt non veteres modo aequaſſe, ſed et accuratione ſuperauiſſe iudicatus ſit, et praeſtantiſſimi philoſophi nomen meruerit [p]. Ex Proteſtantium coetibus his adiungimus duumuiros praeſtantiſſimos IOACHIMVM CAMERARIVM, et SIMONEM GRYNAEVM, eo quod veterum philoſophorum interpretationi inſudando ad emendandam philoſophiam plurimum contulerunt. Et Camerarius quidem, vir inter elegantioris literaturae, et praecipue veteris eruditionis, reſtauratores apud Germanos, vere ſummus, Petri Moſellani inſtitutione vſus, Melanchthonis et Eraſmi amicitia ita gauiſus eſt, vt quid Graecae, quid Latinae valerent literae non ſolum intelligeret, ſed alios quoque accurate doceret [q]. His vero raram iſto tempore iunxit philoſophiae veteris, et imprimis Graecae, cognitionem, quam cum erudite cum arte critica ſociaſſet, dici non poteſt, quanta lumina illi hoc pacto accenderit. Teſtantur id edita a Camerario ſcripta veterum Graecorum, quarum editionum catalogum exhibet praeſtantiſſimus FABRICIVS [r]. Inter haec veterum ſcripta a Camerario edita, leguntur etiam ARCHYTAE liber *de decem praedicamentis*, et explicationes, tum librorum duorum NICOMACHI GERASENI *de theologia arithmetica;* tum *ethicorum Ariſtotelis.* Inter quas eius commentationes haec ita placuit GABRIELI NAVDAEO [s], vt poſt Montecatinum et Victorium, tertium inter commentatores in ethica Ariſtotelis locum Camerario tribueret. Quae veteris philoſophiae cognitio cum accurata Graecae linguae et antiquitatum notitia ſummas Camerario laudes promeruit [ſ]. Valde ideo illum extollit aequus meritorum literis partorum iudex AVG. THVANVS [ſſ], eo quod *poſt perceptam vtri-*

Hieronymus Fracaſtorius.

p) ADAM. Vit. Medic. p. 77. THOM. CRENIVS de ſingularibus ſcript. §. 5. p. 16. TEISSIER. l. c. p. 217.
q) ADAM. Vit. philoſ. p. 258.
r) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 493.
s) Bibliograph. polit. p. 21.
ſ) Vid. TEISSIER. l. c. T. III. p. 14. CRENIVS l. c. §. 52. p. 64. Meth. comp. erud. T. III. p. 2.
ſſ) Ad a. 1574.

vtriusque linguae exactam notitiam, non solum ad bonos auctores interpretandos tam poëtas, quam oratores et historicos, sed etiam in solidioribus philosophiae, mathematicarum artium et postremo theologiae studiis multa commentatus esset. Succinunt de egregiis eius in rem literariam veterum, etiam philosophicam meritis virorum doctorum elogia, collecta a TH. POPE-BLOVNTIO [t], IACOBO THOMASIO [u], aliis [v], qui videndi. Illud vero non praetermittendum hoc loco est, non neglexisse quidem Camerarium more sui temporis Aristotelem, inque eo interpretando doctissime operam posuisse, fauisse autem simul Platonico-Pythagoreae disciplinae, cuius mysteriis rimandis haud vulgariter insudauit, vt vel ex vno *commentario in Nicomachi arithmeticam* constat. Ipse vero satis luculenter, quae ei ista de re animus sit, explicuit, scribens [w]: *Peripatetica disciplina humanissima fuit, quae ad captum ingenii humani dignitatis ac virtutis praecepta accommodauit, neque veluti optando quid maxime quisque velle, deberet, collegit, sed quid consequi etiam posset, circumspexit. Stoici, vt ait Cicero, fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulere, vt cum ad vltimum animo contendissemus, ibi tamen, vbi oporteret, consisteremus. Itaque hi priora praeclara et luculenta opera elimando videntur corrupisse, nam Academici certe cum Peripateticis sententia et dogmatis coniuncti earundem rerum diuersa quodammodo explicatione vsi fuerunt, vt aliter de aliis vtrique loquerentur. Epicurei vero quasi abortiuum philosophiae genus grauitatem huius plane reliquerunt, et ad futilia quaedam ac vulgo nota probataque traduxerunt disputationes suas, expertes omnis eruditionis, Aristippi placitis arreptis, quae tamen ipsa alicubi corrupisse putantur et reddidisse molliora.* Ex quibus verbis apertum est, Camerarium in ea fuisse cum multis opinione, Academicos a Platonicis verbis magis, quam re ipsa et doctrina dissentire. Alter ad quem prouocauimus, SIMON GRYNAEVS est, Sueuus, cuius vitam descripsit MELCHIOR ADAMVS [x]. Is ipse quoque interpretatione veterum philosophorum, Platonis, Aristotelis, Plutarchi aliorumque eam sibi eruditionis famam comparauit, vt inter doctissimos suae aetatis philosophos numeraretur, iudicaueritque magnus ERASMVS [y], *esse hominem Latine Graeceque ad vnguem doctum, in philosophia et mathematicis disciplinis diligenter versatum, nullo supercilio, pudore pene immodico.* Quod cum maxime laudandum esse recte censeret PHILIPPVS MELANCHTHON [z], hanc tamen maiorem eius laudem esse reputauit, *quod non fastidierit doctrinam ecclesiae, sed semper ad philosophica studia adiunxerit lectionem prophetarum et apostolorum.* Tales multos viros maximopere eru-

Simon Grynaeus.

t) Cens. celebr. auct. p. 590.
u) Praefat. L. XXV. p. 487.
v) MORHOF. Polyhist. T. I. L. IV. c. 8. §. 4. p. 808. VOSSIVS de scient. mathem. c. LXV. §. 14. p. 376 seqq.
w) Prolegom. in officia Ciceronis.
x) l. c. p. 118 seqq.
y) L. XXVI. ep. 39.
z) L. I. ep. 68.

eruditos et praeter literaturam Graecam et Latinam omnem veteris quoque philoſophiae notitia inſignes, qui interpretatione philoſophorum vetuſtorum ipſam philoſophiam iuuare ſategerunt, ſeculum XVI protulit. Qualium ingeniorum cum ferax illa aetas eſſet, factum inde eſt, vt laetiſſimis incrementis reſurgens philoſophia vteretur, magnisque opibus augerentur philoſophantium ingenia.

Ipſa philoſophia ſua incrementa promouet.

§. XIII. Ipſa porro philoſophia, quae tempore emendatae eccleſiae, ex exilio rediit, meſſem ſuam maturauit, ſuisque adiuuit viribus, vt melius coleretur. Nempe cum ſub regno Scholaſtico ingenia etiam acuta et polita, ſitu obducta hebeſcerent, quia ratiocinandi facultatem mali commatis ars ſophiſtica, quam peſſima illa dialectica tradebat, corruperat, pulſo hoc ſpectro paulo melior comtiorque rationalis artis vſus poſtliminio rediit, coeperuntque viri docti accuratius rationes inire, deponere praeiudicia, errores conuellere, principia cum concluſionibus accurate connectere, et intelligere, quid diſtent aera lupinis. Quem in finem veterum philoſophorum ſcrinia excuſſa ſunt, et liberiori animo ad philoſophiae augmenta inde collatum eſt, quicquid inſeruire poſſe ſcopo huic viſum erat. Id quod eo facilius fieri potuit, quo iucundius erat, atque honeſtius veteris eruditionis praeſidia ad philoſophiam afferre, cum is maxime doctus crederetur, qui in ſtudio antiquitatis Graecae Latinaeque maxime verſatus eſſet, priſtinamque in hoc quoque eruditionis genere barbariem cuperet pellere. Tandem ipſa quoque fratrum ignorantiae caterua, inuita licet et praeter opinionem philoſophiae elegantioris reſtitutionem promouit. Quamuis enim ſaeuiſſimis perſecutionibus in reformatores, vt doctrinae ſacrae, ita literarum et philoſophiae fureret, et igni ferroque, vel vbi tam crudeliter non poterat, fulminibus, calumniis quin et ſannis et dicteriis inſaniam proderet, vt tam laudabiles conatus ſuppreſſum iret: ita tamen oleum modo camino adiecit, et delirante pſeudophiloſophiae indole prodita, quoscunque pectus forte animusque rectus animauerat, incitauit, vt eo audentius contra irent, ipſaque ſcientia et philoſophia quoque ſui vindicias ſumeret. Quod cum nemini ignotum eſſe queat, qui literariae ciuitatis hiſtoriam callet, hoc loco, vbi ad alia transeundum eſt, exemplis non illuſtramus. Vna Reuchlini hiſtoria infra nobis accurate enarranda, rem in luce clariſſima ponit, plura vero exempla dabit, quae ſequetur tractatio.

Scholaſtici promouent philoſophiam cultiores.

Ordo tractationis ſequentis.

§. XIV. Et hac quidem ratione, hisque ex cauſſis factum eſt, vt ingruente noua purioris doctrinae luce, repurgataque ab innumeris mendis eccleſia, philoſophiae quoque pulchrior redderetur facies, quaeque prius ſqualida et neglecta oberrauerat, honeſtiori cultu quaſi poſtliminio ſuo reſtitueretur loco. Ab iſto tempore, dici non poteſt, quanta philoſophorum ſeges effloruerit, et humanae ſapientiae ſtudium variis modis ſit auctum et amplificatum. Nec errabimus a vero, pronuntiantes, plus prae-

praestitisse in philosophia excolenda seculi XVI et XVII et imprimis nostrorum temporum diligentiam, quam reliquam aetatem omnem, nec habere vel barbaros vel Graecos quod cum nostri seculi ea in re fertilitate et felicitate queat comparari. Luculentis id exemplis euincet, secuturae tractationis argumentum, quod philosophiae fata ab ineunte seculo XVI vsque ad praesentem aetatem, (quantum quidem ad illos philosophos attinet, qui hac vitae scena decesserunt) plenius enarrabit. Facile autem aequus Lector coniiciet, integram et specialem recentioris aetatis philosophiae historiam a nobis expectari non posse; eo quod innumera fere sint, quae in singulis philosophiae partibus ingens, qui recentiori tempore succreuit, philosophorum numerus praestitit: quae enarrare omnia, esset singularum scientiarum philosophicarum specialem condere historiam, non vero generales philosophiae annales exponere, quem nobis solum terminum laboris nostri finemque posuimus; rati, et ex aliorum lucubrationibus in his sacris versatum, et imprimis recentioris historiae literariae probe gnarum haurire posse, quantum sufficit [a]; et hoc operae vix ab vno scriptore praestari posse, cum singularum disciplinarum philosophicarum diuitiae, quas nostro aeuo sibi acquisiuerunt, tantae sint, vt integras tractationes facile compleant. Nobis cum constitutum sit vniuersalem philosophiae historiam tradere, satis pro instituti scopo erit, philosophiae mutationes, emendationes, sectas, systemata celebriora, quaeque alia sunt, sine quibus eius fata intelligi non possunt, accurate exponere, magnorum philosophorum, qui plurimum vel ad reuocandas veteres sectas, vel ad condendas nouas contulerunt, acta enarrare, systematum et opinionum causas et rationes eruere, et imprimis libertatis philosophandi humano generi tandem aliquando restitutae historiam scribere, eaque seligere, quae et momento haud carent, et singularia atque memorabilia sunt, et in historia philosophica negligi vel ignorari haud possunt. Dabimus tamen per singulas quoque disciplinarum philosophicarum classes eorum notitiam, quae memoria digna sunt, quibusque potissimum adiutum est philosophiae studium.

§. XV. Omnem vero totius philosophiae recentioris campum vno quasi lustrantes oculo, eam vel sectariam fuisse, vel eclecticam, comperimus. Aut enim certam quandam sectam elegerunt philosophi, et vel veteres Graecas resuscitarunt, vel nouas et peculiares condiderunt, vel certo modo philosophandum esse definiuerunt: aut abiecto omni auctoritatis praeiudicio noua dare philosophicarum scientiarum systemata, nullius in verba iurantes, nullius opinioni addicti, selectis ex omnium hypothesibus

Recentioris historiae philosophicae generalis διατύπωσις.

a) Praestantiores scriptores historiae singularum disciplinarum philosophicarum indicant STRVVII Bibliotheca philosophica, recentissimis virorum doctorum ACKERI, COLERI, LOTTERI, KAHLII obseruationibus aucta, et viri πολυμαθεστάτου GOTTL. STOLLII Historia literaria. Qui libri cum in omnium manibus sint, consuli facile possunt et debent, nec iis heic quicquam addendum est.

illis opinionibus, quas veras esse credebant, annisi sunt. Illud praesentis Tomi argumentum erit, hoc sequente enarrabitur. Omne vero philosophantium secundum sectae viam, agmen in Aristotelico-Scholasticos, et reformatos philosophos dispesci potest. Tam altas enim radices philosophia Scholastica egit, tamque arctis nexibus cum theologia complicata est, et vtilitati certorum dogmatum κυρίων adeo affinis, vt magna pars, praecipue theologorum in Romanae ecclesiae coetibus, duce Thoma Aquinate, et Ioanne Scoto philosophari in tanta literarum et melioris philosophiae luce non erubuerint. Quos quae causae impulerint, quibus emolumentis in hoc Augiae stabulo detenti fuerint, quare puriora lumina non secuti sint, prouidus et attentus Lector facile ex illis ipse coniiciet, quae in *antecedente Tomo* de philosophiae Scholasticae natura, indole, effectibusque prolixe differuimus. Quae tamen causae non potuerunt impedire ingentem magnorum virorum cohortem, non ex iis solummodo, qui secessum facere ab ecclesia Romana coacti sunt; sed ex ipsis quoque eius coetus sectatoribus, quo minus infausto huic sideri nuntium mittentes ad meliora et elegantiora deflecterent, quae et solidam cognitionem darent, et naturae recessus felicius panderent, et animum a morbis intellectus atque voluntatis securius liberarent sanarentque. Quam sibi metam ponere et ratio iubebat, et tot, quae in Scholastica philosophia se prodebant, absurda suadebant, cum experientia doceret, isto monstro nec veritatem iuuari, nec humanae mentis cognitionem augeri, nec errores debellari, innumera vero damna scientiis inferri. Et haec quidem recte statuisse viros doctos fatendum est: ast cum via esset detegenda, qua securius rectiusque ad hanc metam properare liceret, ibi plerisque aqua haesit, incertis, quid deterioribus substituerent. Nimirum facilius semper fuit deuia agnoscere, erroresque perspicere, et quid desiderandum sit, quid exoptandum, quid reiiciendum, intelligere, quam emendationis rationem modumque assequi, et meliora suppeditare, quibus euitatis istis scopulis ad portum sine offensa tendere queat humana cognitio. Id quod plurimis exemplis sequens tractatio faciet manifestissimum, luculenterque docebit: Id quod imbecillitati intellectus humani tribuendum est, qui, vbi morbos suos videt, medelam tamen difficulter haud raro inuenit. Patet id ex modo, quem reformaturi philosophiam omnem tenuerunt viri doctissimi, qui seculo XVI et XVII vixerunt. In duas enim partes valde inter se diuersas diuisi dum philosophiam iuuare satagunt, in nouos labyrinthos incidunt. Vna pars inepto praeiudicio decepta, ita fontes philosophandi omnes exhaustos esse, putabat, vt nouum quid afferri nequeat, nec aliter philosophari nos posse, nisi electa certa, quam sequamur, secta, iudicabat. Hoc philosophorum genus de suis viribus, licet sine iusta causa, desperans, cum nonnullis optimum ingenium obtigisset, nihil suo Marte tentare ausum est, viamque nondum tritam perhorruit: Graecos itaque philosophos duces sibi eligens, et ex hoc numero

ro vnum anteſignanum deligens, Graecanicam philoſophiam reſtaurauit et recentiorum inuentis auxit et ornauit. Id quod valde promouit Graecae linguae, quod ſeculo XVI egregie floruit, ſtudium, Graecarumque antiquitatum cognitio, de quibus viri iſti eruditiſſimi pulchre merebantur. His enim fulcris nixi ad lectionem philoſophorum Graecorum ſe accingebant, verſiones meliores, quam quae priſtino tempore obtinuerant, conficiebant, et ex his fontibus ſyſtemata veterum philoſophorum Graecorum eruebant, rati, commode ſatis ſe philoſophari poſſe, ſi Graece philoſopharentur, id eſt Graecanica dogmata amplecterentur.

Ariſtotelis philoſophia ſincera reſtituta.

§. XVI. Nemo vero in hoc Graecorum philoſophorum delectu meliore fortuna vſus eſt, quam Ariſtoteles. Is dudum et a multis iam ſeculis toti orbi literario infauſto iugo grauis fuerat, et tyranni inſtar imperauerat, reliquis philoſophis Graecis contemtis et neglectis; eo euentu, vt ineptum plerorumque animos occuparet praeiudicium, inter philoſophos iudicii acumine doctrinaeque veritate et philoſophandi accuratione vnum Ariſtotelem reliquos omnes multis modis antecellere. Hac opinione cum regeretur orbis Scholaſticus, ex quo viri docti prodierunt, qui ineptam illorum hominum docendi viam reiecerunt, non damnandam eſſe Ariſtotelis philoſophiam cum Scholaſticis ineptiis, ſed ad verum vultum reuocandam emendandamque iudicarunt. Nec tamen fefellerunt viros acutos et magna eruditione conſpicuos errores phyſiologiae et theologiae naturalis, ſiue metaphyſicae Ariſtotelicae; eos vero velut naeuos aliquos non obſtare putarunt, quo minus corpori cetera pulchro honos haberetur, facileque illas erroneas Ariſtotelis opiniones emendari, rectiora eorum loco conſtitui, vel a noxis quoque et ſuſpectis ſibi caueri poſſe crediderunt. Quibus euitatis nec meliorem et ad differendum de ſapientia quauis aptiorem philoſophandi rationem eſſe, Peripatetica ſtatuerunt, et ſcientiarum omnium aedificia his fundamentis ſuperſtrui poſſe exiſtimarunt. Ita vero ſe ſeruire Ariſtoteli, quod in Scholaſticis vehementer culpauerant, minime perſpexere, perſuaſi libertatem philoſophandi ſe tenere, ſi alios philoſophos veteres interdum conſulerent, et ex illorum ſyſtematibus illa decerperent, quae facile cum Peripateticis in concordiam redigi poſſent. Cuius rei exemplum valde memorabile exhibet PHILIPPVS MELANCHTHON[b] vir ſummus, quem Scholaſticae philoſophiae acerrimum hoſtem fuiſſe, in antecedentibus demonſtrauimus. Is enim fateri non erubuit, *Ariſtotelis philoſophiam eam eſſe, qua tuto omniumque* optime philoſophaturi vti poſſunt. Dabimus verba eius, vt de mente eius Lector ipſe iudicare valeat. Ita vero: *Eruditam philoſophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullae res ſubſunt. Ideo dixi vnum quoddam philoſophiae genus eligendum eſſe, quod quam minimum habeat ſophiſtices, et iuſtam methodum retineat: talis eſt Ariſtotelis doctrina. Sed huic*

b) Declamat. T. I. de vtilitate phil. p. 333 ſeqq.

tamen aliunde addenda est illa praestantissima philosophiae pars, de motibus coelestibus. Nam reliquae sectae sunt plenae sophistices, et absurdarum et falsarum opinionum, quae etiam moribus nocent. Nam illae hyperbolae Stoicorum sunt omnino sophisticae, bonam valetudinem, opes, et similia non esse bona. Commentitia et ἀπάθεια, falsa et perniciosa opinio de fato. Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat, omnia casu contigisse: tollit primam caussam, et dissentit in totum a vera physicorum doctrina. Fugienda est et Academia, quae non seruat modum et sumit sibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere student, hos necesse est multa sophistice collegere. Quanquam is, qui ducem Aristotelem praecipue sequitur, et vnam quandam simplicem ac minime sophisticam doctrinam expetit, interdum et ab aliis auctoribus aliquid sumere potest. Vt enim Musae cum cantu certassent cum Sirenibus, easque vicissent, ex pennis earum coronas sibi fecerunt; ita et in sectis, et si vna maxime probanda est, tamen interdum ex aliis aliquid veri decerpamus, quo nostra sententia exornetur. Quibus verbis satis luculenter exprimit, qua ratione eclectice philosophandum esse putet, nempe vt alii philosophi fasces Aristoteli submittant. Ex quibus explicandum est, quod alio loco [c] magis speciose et ex vero differit: *Nolo philosophando quenquam nugari, ita enim fit, vt communis etiam sensus tandem obliuiscare. Sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae, tum ad mores formandos attinentia. Inprimis hic eruditione Graeca opus est, quae naturae scientiam vniuersam complectitur, vt de moribus appositе ac copiose dicere queas. Plurimum valent Aristotelis moralia, leges Platonis, poëtae, atque ii sane, qui et optimi sunt, et in hoc legi possunt, vt animos erudiant, Homerus Graecis fons omnium disciplinarum, Virgilius ac Horatius Latinis.* Haec Melanchthon, qui Aristotelicorum sinceriorum post reformatas literas recte princeps atque dux inter Germanos habetur, et innumeros ea in re discipulos habuit: idque potissimum in Scholasticis ferre non potuit, quod *homines hi, libidine ingeniorum siue amore litium ducti inciderint in Aristotelem, eumque mancum et lacerum, et qui alioqui Graecis obscurus, καὶ τευλοζίᾳ similis videtur, Latine sic redditum, vt etiam Sibyllae furentis coniecturas exerceret. Huc tamen,* addit, *incauti homines impegerunt, sensim neglectae melioris disciplinae, eruditione Graeca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri coepta. Hinc prodiere Thomae, Scoti, Durandi, Seraphici, Cherubici, et reliqua proles numerosior Cadmea sobole. Accedit insuper, quod non solum contemti veteres studio nouorum, sed omnino, si qui in eam supererant aetatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, vt dubites, num alia re argutiarum auctores plus nocuerint, quam quod vecordes tot millia veterum scriptorum ad internecionem vsque aboleri passi sunt.* Hac, quam Melanchthon fouebat, sententia de Aristotele a Scho-

c) l. c. de studiis corrigendis p. 496.

Scholasticis vindicando sibique et orbi philosophico restituendo, tempore susceptae emendationis ecclesiae occupabantur magni viri, ipseque Melanchthon in caussa fuit, vt posthabito Lutheri de Aristotele iudicio, Stagirita tamen, licet emendatus, obtineret. Haec vero caussa est, cur inter philosophos seculi XVI tot viros magnae eruditionis summaeque famae liceat cernere, qui philosophiam non ex spinetis dumetisque Scholasticorum, sed ex Aristotelis nemoribus exstruxerunt, lectisque et accurata interpretatione excussis obscuri philosophi scriptis veram eius mentem eruere explorareque sunt conati, quos Aristotelicae philosophiae interpretes rectius, quam philosophos dixeris. Hos intelligimus nomine Peripateticorum genuinorum, eo quod veram et domesticam Peripati doctrinam, explosо Aristoteliciſmo Scholasticorum adulterino, restituerunt. Ex hac classe multi infra occurrent viri summi, et Romanensium et Protestantium coetibus addicti, qui Graecae linguae et antiquitatis artisque criticae, quibus ornamentis valde delectatum est seculum XVI, praesidiis adiuti in explicando Aristotele puro natiuoque vultui restituto haud infeliciter desudarunt, quamuis in philosophia ob hoc studium sectarium tantum non praestiterint, quantum praestare poterant, si hoc iugum virili conatu excussissent, abiecissentque auctoritatis et antiquitatis praeiudicium.

Aliae Graecorum sectae excultae.

§. XVII. Non placuit omnibus Aristotelis philosophia, videruntque nonnulli magnos errores, et naeuos deformes, qui illam occupabant. Ausi itaque a magna philosophantium turba secedere, in ipsa via aberrauerunt, rati, non aliam philosophiam sequendam esse, quam sectariam. Ad sectas igitur Graecanicas reliquas diuerterunt, quas vel casus obtulerat, vel praeiudicia commendauerant, vel inclinatio animi suaserat, quamuis raro ratio subesset, nec de eligenda sententia institueretur consultatio. Ita ad eum ipsum lapidem offensum, ad quem impegerunt veteres, quos ideo reprehendit ORIGENES d), cuius verba recentioris quoque philosophiae fata eleganter adumbrant: *Quis eorum, qui se contulerunt ad philosophiam aut forte fortuna sectae alicui deditus, aut a magistro inductus, aliter se ad eam applicat, quam si credat illam praestantiorem ceteris? non enim expectat, donec auditis omnium philosophorum opinionibus earumque varietatibus, tum singularum adstructionibus aut subuersionibus, ita demum electionem faciat, Stoicusne malit fieri aut Platonicus, an Peripateticus, Epicureusue aut cuiuscunque sectae philosophicae: sed ratione quapiam, aut potius, etiamsi hoc inficientur, impetu feruntur ad exercendam disciplinam.* In hoc vero Graecanicarum sectarum studio sine accurato delectu suscepto Pythagoreo-Platonica secta ipso resuscitatae philosophiae initio nonnullis magnis ingeniis valde se commendauit. Quam seculo XV in Italiam a Graecis exulibus delatam Mediceae gentis patrocinio fixam sibi sedem acquisiuisse supra enarrauimus; cuius docto-

d) Adu. Celsum p. m. 10.

doctores cum audiuiſſent viri nonnulli docti, eam inter Germanos Gallosque propagauerunt. Exiguo tamen tempore durauit hoc philoſophandi genus, vel quod obſcurus Pythagoras diffuſusque Plato videretur, neruisque carere crederetur, eorum philoſophia, vel quod ſyncretiſmus Platonico-Peripateticus, qui caput iterum attollebat, eam mature ſupprimeret, Ariſtotele more ſuo ex hac concordia victoriam reportante. Seculo tamen XVII inter Anglos magni quidam viri in Oxonienſi academia Platonicum philoſophandi genus reuocauerunt, quorum rationes cauſſasque, quibus adducti Platonicos Peripateticis praetulerunt, infra afferemus. Videtur tamen Platonica philoſophia in cauſſa fuiſſe, vt nonnulli ad Parmenidem deficerent, vel quod luculentius eum de naturalibus philoſophari putarent, quam Platonem, ſpectris magis et vmbris, quam principiis ſolidis in phyſica animos paſcentem, vel quod odio Ariſtotelis, cuius principia notionesque vagas, incertas, falſas faſtidiebant, ducti meliorem partem, quam eligerent, non haberent. Certe haec ratio valuit, cum Ionicae philoſophiae ſyſtema naturale ex cineribus a nonnemine reuocaretur, quamuis impietatis eſſet ſuſpectum. Nempe hoc pacto oſtendendum erat, licet deteſtabili errore nonnunquam ſcateret phyſiologia Ionica, peius tamen errare Ariſtotelicam, quamuis omnis erroris atque periculi expers haberetur. Et ex hoc Peripateticae diſciplinae contemtu Stoicae quoque philoſophiae, praecipue quae de moribus et officiis praecipit, reſuſcitatio exorta eſt. Adeo enim ethicae Ariſtotelicae ſterilitas nonnullos offendit, ſeueriora et maiora, quam quae ciuilem quandam felicitatem tangerent, poſtulantes, vt triſtem Stoae rigorem et auſteritatem Ariſtoteli ad aulae mores eleganter compoſito, illique ethicam ſuam attemperanti praeferrent. Qua ratione veteris philoſophiae ſeueritas reſtitui coepit, licet Cynicos mores ipſumque nomen omnes perhorreſcerent. Ipſa porro Epicuri philoſophia a tot ſeculorum contemtu et maledicentia vindicata eſt, aſſertusque Gargettio philoſopho honos, poſtquam vetus illud, quod eius famam preſſerat, praeiudicium euiluit, inuentusque eſt magnus ſeculo XVII philoſophus, qui, Epicurea philoſophia nouo lumine colluſtrata, eiectisque impiis erroribus atomiſticum ſyſtema in naturalem philoſophiam introduxit, tantaque felicitate et ingenii acumine ex illo rerum naturalium myſteria explicuit, vt ſuo magis nomine, quam inuiſa Epicuri appellatione eius phyſiologia ſe multis commendaret.

Seceſſus, quem alii a philoſophia Graecanica fecerunt.

§. XVIII. Neque tamen omnium omnino hominum oculos ita caligaſſe cenſendum eſt, vt non intelligerent, ſectariam philoſophandi rationem humani intellectus naturam non decere, libertatique, ad quam honeſta ingenia nata ſunt, eſſe contrariam, illosque qui vnius philoſophi, licet magni et acuti, ſenſa ſimplici obſequio recipiunt, interpretes magis eſſe philoſophorum, quam ipſos philoſophos; parum autem iſta philoſophandi ratione veritatem iuuari, naturam cognoſci, et animum emendari poſſe.

ri posse. Recte id perspexerunt praestantissima ingenia nonnulla, quae probe viderunt, nullam sectarum Graecarum ita veritatem omnem fuisse assecutam, vt vni illi fidere, eiusque systema integrum recipere liceat; obseruaruntque, quamuis nulla secta sit, quae non veritates quasdam viderit, ipsius tamen doctrinae aedificii structuram veritati non inniti, nec istis φιλοσοφεμένοις veri sitienti animo fieri satis. Nouam itaque viam tentandam, meliusque philosophandum esse, recte statuerunt. Verum quod multoties euenire videmus, vt qui viam ante non tritam tentant, in deuia abripiantur, rectamque semitam non inueniant, id in hac quoque re accidisse fatendum est. Quidam enim cum perspicacia insolita vsi omnium sectarum errores, difficilesque, quibus earum asseclae implicarentur, labyrinthos detexissent, incertitudinem veri intellectusque humani imbecillitatem accusantes et ad academiam mediam et Pyrrhonis castra deficientes, Scepticismum veterum, reuocauerunt, eumque in finem rereductis in lucem Academicorum et Pyrrhoniorum obiectionibus, illustratisque et vulgatis eorum scriptis; et accurate enarrata historia vel omnem prorsus scientiarum certitudinem, vel tamen philosophicarum disciplinarum in dubium vocauerunt. Qua in re quamuis prudentius, quam veteres Sceptici agere sibi constituerent, quicquid tamen obiectionum ingenii acumen et subtilitas, vel foecunda quoque imaginationis inuentio suppeditabat, magna alacritate exposuerunt, et omnium philosophorum placitis innumera obiecerunt dubia. Quod cum impietatis quandam suspicionem apud alios excitauisset, et dogmatici quoque atro colore scepticismum denotarent, laudabilis scopi excusatio praetensa valdeque commendata est Academicorum modestia culpata dogmaticorum superbia, iactatus ingens Scepticismi vsus, quem in fidei mysteriis corroborandis habet; eo quod depressa rationis auctoritate, ostensaque incertitudine, et obiectionum numero, fides triumphare, saluaque esse religio, et quod nonnulli quoque intendebant, ecclesiae decreta possint, neglectis aduersariorum telis, quae ex philosophiae pharetris vibrabant. Immo Scepticismo velut ense quodam tecto nonnulli vsi sunt, quo in viscera Peripateticae philosophiae altius penetrarent, et quam leuis sit illa philosophandi ratio ostenderent. Ex altera parte nonnulli, quibus philosophia Graeca displicuerat, ad Iudaeos dilapsi sunt, apud quos cum arcanam quandam philosophiam deprehendi audiuissent, magna sibi mysteria promittentes, auide Cabbalisticam philosophiam excolere rimarique coeperunt. Quam cum nec intelligerent, nec amare possent alii, Mosen potius scriptis suis cosmogoniam explicantem sequendum esse statuentes, philosophiam quandam Mosaicam excitauerunt, vel oraculorum diuinorum scaturigines philosophiae quoque caussa nobis patere statuentes, philosophiam Christianam commenti sunt. Quin et alii altius, quod sibi persuadebant, rem exorsi, meliusque sapientes, Mosen, scripturam, Cabbalam

lam et ingenii sui somnia in vnam massam confusa, velut philosophiam aliquam theosophicam mundo obtrudere conati sunt. Quod quam malo euentu, magnoque ecclesiae et orbis philosophici detrimento factum sit, dici vix potest. Abiecto enim et rationis et reuelationis principio, cum internum aliquod lumen creparent, et huic fundamento vano et incerto mira hypotheſium aedificia, enthusiasmo vicinia, et ad eum prona via ducentia inaedificarent, rati pulchre magis pieque quam ipsam scripturam de rebus diuinis et humanis se praecipere; ingens disciplinarum confusio exorta, et intolerabilis syncretismus inter theologiam, philosophiam, et medicinam, tot monstris imaginationis corruptae et desipientis, grauis et detestabilis introductus est, quo, quae et natura sua, et obiecti conditione et principio cognoscendi diuersissima sunt, admixtis miris commentis nugisque velut theosophia quadam conciliata inter se et coalita incautis vendita sunt. Cum tamen oculos mundus aperiret, difficiles nugas Siculasque gerras nullo labore vidit et contemtas habuit. Aliam itaque philosophantium concordiam ineundam esse facile persuaserunt sibi illi, qui indignabantur quidem, somnia nobis et imaginationis deliria pro philosophia quadam diuinitus edocta tradi: nouum tamen iter ingredi non audebant. Hi sectas Graecas facile inter se conciliari, sicque inito syncretismo et pace inter dissentientes facta, vnam quandam philosophiam erigi posse, quae veritates vel omnium sectarum, vel quarundam contineret, opinati sunt, sicque mire veterum placita vel inter se, vel cum Christianis quoque mysteriis composuerunt. Quo tamen remedio tantum abest vt laboranti sub iugo sectario philosophiae medela allata sit, vt potius malum augeretur. Pestilenti enim isto syncretismo, qui semper veras philosophandi rationes corrupit, euersa vera sectarum sententia, ineptae opiniones obtrusae, tenebras inter et lucem pax inita, omnisque veritatis cognitio multis modis impedita est. In tanto itaque philosophantium dissensu, totque labyrinthis cum verum non inueniri, tantisque moliminibus parum iuuari, animum eius sitientem cernerent nonnulli, omnem prorsus philosophiam reiecerunt, et a falsis et ineptis philosophandi modis et generibus malo ratiocinio ad ipsam philosophiam concludentes, eam eiiciendam prorsus esse, et captiuandam rationem sub obsequium fidei contenderunt, et sic, cui lucem dare non poterant, oculum lippum coecumue, prorsus eruerunt abieceruntque, omnium pessime de philosophia meriti, cui cum reuelatione amice conuenire, vnus, ex quo ratio et reuelatio fluxit, fons abunde demonstrat.

Restituta philosophia eclectica.

§. XIX. Indignandum sane humani generis conditioni est, qua veritatem, quae omnis felicitatis fundamentum esse debet, tam incertis viis sectari, nescio quae fati necessitas coëgit. Miserta tamen hominum per tot opinionum syrtes iactatorum, totque naufragiorum miseriis infelicium diuina prouidentia, oculos tandem magnis quibusdam viris aperuit, qui iudicii

iudicii acumini atque ingenii solertiae ingentem simul iunxerunt animum. Probe erat perspectum viris his acutissimis, nec sectariam philosophiam veritatem ex ratione cognoscendam satis detegere, nec reliquos labyrinthos, quos ab illa discedentes extruxerant, filum nobis ostendere, quo ex illis egredi liceat. Non iniusta vero eos occupabat fiducia, fore, vt cum Graecarum sectarum auctores proprio Marte nouam sibi philosophandi viam quaesiuissent, abiectoque omni auctoritatis praeiudicio ex aliorum opinionibus ea sibi tantum delegissent, quae placuissent, reliqua vero ex proprii ingenii fundis et meditatione sua adiecissent; ipsi quoque ratione non destituti, nec attentione et quaerendi studio carentes, multis vero, quibus veteres caruerant, subsidiis instructi, meliorem philosophandi viam detegerent. Eiurarunt itaque laudabili consilio praeiudicia, examinatisque philosophorum veterum et recentiorum placitis, notatisque errorum fontibus et causis, verum a falso seligere, et quid probandum, quid reiiciendum sit, dispicere coeperunt. Illa vero, quae placuerant, cum pauca essent, ipsi principia scientiarum philosophicarum excolentes, adhibita accurata ratiocinatione et meditatione veri fontes ostendere, deriuare conclusiones, experientiam iungere, sicque noua philosophicae doctrinae aedificia construere sategerunt, posthabito omni sectae affectatione et studio. Et hac quidem ratione illa postliminio humano generi restituta est felicitas, qua omnia quidem sectarum capita et conditores gauisi sunt, quam vero inuidit sectatoribus docentium ambitio, et discentium timiditas ac obsequium, per tot vero secula captiuam tenuere superstitio et praeiudicia prorsus indecora. Nempe post tot seculorum sectariam philosophiam eclectica tandem philosophia caput seculo XVII extollere, et vindicare humani intellectus dignitatem coepit. Quanquam enim, quae in Aegypto obtinuit philosophia, eclecticae appellationem sibi vindicauerit, suo tamen loco accurate demonstratum est, nomen eam illud non meruisse, nec prudenti veritatum per singulas sectas sparsarum electione, sed inepto et detestabili dogmatum toto, quod aiunt, coelo inter se diuersorum conciliatione philosophiam minime emendasse, corrupisse autem et deformasse. Nostro itaque aeuo haec felicitas seruata est, quam restituere tentarunt magis, quam valuerunt, Hieronymus Cardanus et Iordanus Brunus Nolanus, primus vero philosophiae sobriae vindex, fauente Numine apparuit magnus Verulamius. Qui non contentus vlcera receptae philosophiae tetigisse, meliora ostendit, et quamuis nouae philosophiae systema non condidisset, quo pacto tamen plerarumque scientiarum philosophicarum mysteria recludi possent, exposuit, animumque ista philosophandi libertate viris doctis addidit, vt intentatum iter sine duce prosequi auderent. Ab eo tempore non defuere orbi philosophico viri summi, qui ingenii acerrimi solertia et animi magnitudine, quibus gaudebant, vsi, philosophiam elegantiori habitu et nitidiore vultu in theatro hoc mundi collocarunt, quorum tamen auctoritatem et eruditionis

opinionem interdum sectario studio nouas vires addidisse merito dolendum est. Haec vero emendatio philosophiae non modo ad vniuersum eius complexum relata est, sed et singularum disciplinarum philosophicarum partes reformatae sunt. Cum enim pauciſſimis datum esset, vniuersae philosophiae campum renouare, certum tamen tractum suis studiis purgare conati sunt. Et hac quidem ratione tum in rationali philosophia multa immutata, et imprimis dialecticae Aristotelicae nouae inuentiones surrogatae sunt; tum naturali philosophiae parti alia prorsus et venustior facies data, mundique systemata alia et verisimiliora cusa, totque experimentorum fide naturae arcana detecta sunt, vt in hac vna scientia plus praestitisse seculum XVII et XVIII censendum sit, quam omnis philosophantium aetas. Rariſſimo enim exemplo, cui par non habuit antiquitas, ingens eruditorum numerus in eo studio incomparabili conspirauit, vt mutuo labore atque diligentia naturae mysteria detegerent, initaque societatum philosophicarum communione naturalem philosophiam promouerent: reges autem atque principes, digna tanto eruditorum studio aemulatione, nec sumtibus nec fauore pepercerunt, vt honestiſſimi conatus ad maturitatem quandam perducerentur. Ita vero factum, vt in toto philosophiae ambitu, nulli parti maius studium tribueretur, quam philosophiae naturali. Fecit tamen haec physicae felicitas, vt ingenia ad excolenda quoque reliqua philosophiae capita excitarentur. Hinc et metaphysicae pars nobiliſſima, quae de Deo et spiritibus agit, insignes mutationes passa est, et ciuilis philosophia praecepta vidit veteribus incognita: emendandae autem voluntatis formandorumque morum institutiones nouae passim sunt exhibitae. Maxime autem nobiliſſima philosophiae practicae pars, quae de officiis tradit, exculta est, cumque tenuia quaedam, et ineptis fundamentis nixa Stoici tantum praecepiſſent, noua disciplina, quae iuris naturalis fundamenta explicat, inuenta est, qua quid homines debeant, quid ciues, quid familiam deceat, quid singulos homines, quaeque iura gentes inter se obligent, definitum est. Et hoc quidem pacto ita mutata atque emendata philosophia est, vt, si comparetur cum seculis prioribus, veterem philosophiam recentiori multis numeris cedere, sit pronunciandum. Ex qua breui historiae recentioris philosophiae σύνοψει luculenter patet, quam ampla nobis tractationis materies suppetat, et quibus capitibus rerecentioris philosophiae fata enarranda sint. Nempe exponenda nobis historia est Aristotelico-Scholasticorum recentiorum, et Aristotelicorum genuinorum; hisque iungendi, qui philosophiam Pythagorico-Platonicam, Parmenideam, Ionicam, Stoicam, Democritico-Epicuream renouauerunt. Porro emendationes philosophiae non tacendae, quas Sceptici, Mosaici, Christianae philosophiae assertores et theosophici afferre tentarunt. His vero addendi syncretistae, hostesque philosophiae. Et ista quidem hoc tomo enarrare, sicque primam recentioris philosophiae partem hoc fasce complecti animus est. Altera pars sequenti tomo eclecticae philosophiae tum generalis tum specialis complectetur historiam, et appendicis loco exoticam quoque philosophiam contemplabitur. CAPVT

* *

CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIS ARISTOTELICO-SCHOLASTICIS RECENTIORIBVS.

§. I.

Philosophia Scholastica tota non ex orbe philosophico electa.

Quanta industria, quotque laboribus viri magni et iudicii atque ingenii laude florentes Scholasticam philosophiam eiicere ex orbe philosophico conati fuerint, quantaque felicitate et euidentia, eius vanitatem, futilitatem, inanemque subtilitatem, et quae ex hoc foetu adulterino exorta sunt, damna scientiarum demonstrauerint, in antecedentibus prolixe exposuimus. Plurimum hanc diligentiam apud viros recti pectoris et sincerae mentis, cui veritas re omni alia potior fuit, valuisse, tota, quae suscepta, et a nobis breui compendio delineata est, philosophiae reformatio atque commutatio ostendit. Ast cum nihil sit in rebus humanis ab omni parte beatum, factum tamen est, vt inuenustus pullus a quamplurimis retineretur, nouisque plumis augeretur, qui, quamuis ingenio ad meliora discenda eligendaque non destituerentur, philosophiam Aristotelico-Scholasticam [a] ob commoda publica et priuata retinere maluerunt. Id quod primo quidem intuitu mirandum videri queat, causas vero arcanas considerantibus facile euenire potuisse, est manifestissimum. Nempe ita arcte cohaeret Scholastica theologia cum philosophia Scholasticorum, et vtrique emolumentum curiae Romanae, totiusque, quam illa fulcit, hierarchiae ecclesiasticae, tantis tamque arctis nexibus implicatum est, vt impossibile fuerit, sine detrimento armaturam hanc, qua pro receptis dogmatibus bella geri posse haud infeliciter plerique credebant, abiicere, nuntiumque mittere studio, quod tanta vtilitate cultoribus suis laborum praemia offerebat. Quaesitus itaque malo huic, quod medicinam respuebat, color est, ne, quae magna testium, etiam domesticorum nube rationibusque luculentissimis et inuincibilibus demonstrata erat Scholasticae philosophiae deformitas bonas mentes deterreret, sicque

a) Quamuis magnus recentiori aetate eorum sit numerus, qui Aristotelico-Scholasticam philosophiam excoluerunt, nemo tamen huius sectae historiam condidit, et Scholasticos recentiores enarrauit. Id quod potissimum contemtui adscribendum est, quo ineptum philosophiae genus prosecutus est, quisquis elegantiorum literarum iucunditatem et ornamenta suspicere sectarique didicit. Hinc de Scholasticis philosophis recentioris aetatis ibi tantum quaedam dicta sunt, vbi historia theologiae polemicae enarranda fuit, cui tela subministrauit istud pseudo-philosophiae genus. Vnus MORHOFIVS recentiores ex hac classe nonnullos adduxit, Polyhist. lit. T. II. L. I. c. 14. p. 82. qui consulendus. Quoniam tamen plerique, qui Scholasticam philosophiam cum theologia iunctam excoluerunt, ex religiosorum ordinum familiis fuere, facile eorum historia ex notissimis eorum libris hauriri potest, qui literariam historiam horum ordinum religiosorum scripsere. Tacemus eos, qui recentiorum theologorum Romanensium enarrationem dederunt, v. g. AVBERTVM MIRAEVM in Auctario suo, L. ELL. DVPINIVM in Bibliotheca noua ecclesiastica, similesque in vulgus notos.

hoc Palladium theologiae ipsique ecclesiaeque eriperetur. Hinc condemnatus quidem abusus est, reiecta inutilis curiositas, excusata spinosa subtilitas, vsus vero eximius quam Scholastica philosophia in sacris disciplinis haberet, ambitiosis verbis explicatus atque collaudatus est, sicque palpus oculis incautis obtrusus, qui non videbant, abusum sanae philosophiae ipsam Scholasticae philosophiae naturam constituere, eiusque indolem talem esse, vt sublato abusu, nihil fere ex Scholastica philosophia remaneat. Quod licet manibus palpare possit, quisquis mediocri attentione vtitur, placuit tamen multis, veterem cantilenam repetere, et inconditos vultus hoc potissimum colore pingere. Respondit id Luthero acriter in Scholasticam theologiam et philosophiam inuehenti Parisiensis theologus HIERONYMVS HANGESTVS [b], cuius verba laudat LVD. ELLIES DVPINIVS [c]: *Non omnis*, inquit, *theologia Scholastica conuitiis ea propter est lacessenda, quod professorum nonnulli sophisticis eam quaestionibus deformant; non omnis schola professoribus his assurgit, qui risui potius atque contemtui sese exposuerunt.* Vnde laudatus vir doctus, vt hanc contumeliam ab ecclesia, cui erat addictus, depelleret, ad academiae Parisiensis commentarios prouocat, in quibus narratur, *Parlamentum Parisiense, vt abusus quorundam theologorum tollerentur, qui neglecto euangelio desertisque doctoribus ecclesiae, theologiam in sophisticen immutarunt, legem anno cIↃ IↃ XXX tulisse, qua cautum sit, vt omnes scholae theologicae sequantur methodum in cap. nonne, et in tota dist. 37. c. 3.* [d] *quae a profanis studiis ecclesiasticos arcet, praescriptam.* Verum haec aut dicis gratia fuisse dicta, aut frustra praecepta, nec mutauisse scholam consuetudinem suam, ipse vir eruditus, qui haec profert, qua erat integritate, negare non potuit, adduxitque elegantem locum MELCHIORIS CANI [e], „qui „miseram Scholae doctrinam vocat, quae detracta scripturae sacrae auctoritate syllogismis contortis de rebus diuinis philosophatur, immo ne de „rebus quidem diuinis, sed nec de humanis, verum de rebus, quae nihil ad „nos attinent". Qui et porro addit: „Intelligo etiam in schola fuisse non„nullos, quasi ad discordiam natos, qui tum optime se disseruisse putant, „cum contra doctores dixerint, vt non tam verum inuenisse velle videan„tur, quam aduersarios conuincere, concertationibusque et rixis totas „chartas implere. Atque hos, sunt in ecclesia multi, tanquam milites „auctoritati vel tuentur vel impugnant, et tota eorum de re theologica „disputatio partium studium est, contentio atque dissidium". Et alio loco [f]: „In hoc disciplinarum genere theologiae professoribus et honesto et necessario duo illa vitia maxime vitanda sunt, quae Cicero commemorauit. „Vnum

b) In tr. de academiis adu. Lutherum.
c) De methodo studii theologici c. 3. p. 40.
d) Verba Gratiani ab Hieronymo accepta haec sunt: „Nonne vobis videtur in vanitate sensus „et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac „noctibus in dialectica arte torquetur? qui phy„sicus perscrutator oculos trans coelum leuat, et „vltra profundum terrarum et abyssi in quod„dam inane demergitur" etc. Conf. c. 4.
e) LL. Theol. L. VIII. c. 1.
f) L. IX. c. 7.

„Vnum ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus. Qua „in re etiam in theologia multum peccatur. Vt illi, qui D. Thomae Sco„tique opiniones vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pu„gnant, ac pro aris et focis. - - Alterum est vitium, quod quidam ni„mis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles „conferunt, easque non necessarias. Quo in genere multos etiam e no„stris peccare video, vt eas quoque quaestiones latissime persequerentur, „quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed hac in re prudens tamen, „vt Platonis Aristotelisque discipulum agnoscere possis. Qui nec quic„quam nisi opportunis et loco et tempore tractarunt, nec quaestiones vl„las prosecuti sunt, quae iuuenum ingenia obruerent, non iuuarent. „Nostri autem theologi importunis vel locis longa de his oratione disse„runt, quae nec iuuenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim „ferre possit disputationes illas de vniuersalibus, de nominum analogia, de „primo cognito, de principio indiuiduationis, sic enim inscribunt, de „distinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo de infinito, „de intentione et remissione, de proportionibus et gradibus, deque aliis „sexcentis huiusmodi, quae ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tar„do, nec his intelligendis parum temporis et diligentiae adhibuissem, ani„mo vel informare non poteram. Puderet me dicere, non intelligere, si „ipsi intelligerent, qui haec tractarunt". Satis manifeste ex hoc testimonio domestico intelligi potest, non praeter rem Scholasticis obiici, quod recentiori aetate inconditum doctrinae genus seruauerint. Nam quae Dupinius ad emolliendam obiectionem affert, „culpam pessimorum fructuum „in philosophiam et dialecticam non esse conferendam, nec inde occasio„nem sumendam eas condemnandi, cum philosophia proprie loquendo „nihil aliud sit, quam ratio exculta atque perfecta, adeoque philosophia „bona ad religionem permultum prodesse queat": recte quidem se habent, si de philosophia bona et sobria, quod ipse vult, intelligantur, ad philosophiam vero Scholasticam applicari non posse, quilibet, praeiudicii expers, manibus palpat, ipseque vir doctissimus fassus est, „libidinem ri„xandi, et puerilem quandam ostentationem decipiendi aduersarium, iis „plerumque adhaerere, qui in philosophiam scholasticam totos se immer„gunt; intellectum enim eorum subtilitatibus hisce sensim adsuescere, ama„re eas, occupari his vnice, suauiterque acquiescere : hinc immensam „istam rixandi libidinem oriri et ostentationem vere puerilem, victrices „semper laureas nectendi, suumque aduersarium omnibus disputationibus „vincendi et ad silentium redigendi: hunc scopum, hunc finem esse omni„um fere de rebus quoque seriis disputationum, idque se non solum de „Scholis, sed de ipsis celebratissimis auctoribus intrepidum pronunciare".etc. Ex quibus larga manu datis sole meridiano clarius est, Scholasticos recentiori quoque aetate non defiisse. Plurimis haec testimoniis roborari possemus, virorum summorum, qui hanc scabiem in Italiae, Germaniae,

Hispa-

Hiſpaniae ſcholis hodienum obtinere conqueſti, hos eccleſiae ſuae naeuos deteſtati ſunt, ſi id ageremus. Legenda tamen quae prudenter ſobrieque ex Germanis monuit VDALRICVS STAVDIGEL [g], ex Hiſpanis vero nuper candide faſſus eſt eruditiſſimus MAIANSIVS [h].

Cauſſae retentae philoſophiae Scholaſticae.

§. II. Cauſſas vero, cur non obſtante tanta melioris philoſophiae, et elegantioris literaturae luce, inconditum pſeudo-philoſophiae genus hactenus obtinuerit porro explorantibus, praeter vanitatem humani ingenii, quod ſibi in his difficilibus nugis vehementer placet, et neſcio quam acuminis laudem affectat, eorum potiſſimum conditio alleganda eſt, qui tempora ſua inutili et inepto ſtudio tribuunt, quique magnum ſibi ex eo emolumentum promittunt. Vt enim taceamus, ad haereticos obtundendos ex his pharetris tela ſibi deſumſiſſe lignea, thraſones immodicos, ratos ſapientiam diuinam ſtramineis humanarum nugarum machinis opus habere, egregieque defendi poſſe; ipſa profeſſionis ratio, cui nomen plerique addixerant, in cauſſa fuit, vt has porro partes ſectarentur, quamuis amoeniora et praeſtantiora illis monſtrauiſſet virorum doctorum diligentia. Plerique enim vel ipſi religioſorum ordinum familiis voto addicti erant, vel doctores tamen eiusmodi habuerant, qui ex his coetibus monachorum erant deſumti. Inter hos vero ſummam oportebat eſſe auctoritatem Alberti M, Bonauenturae, et aliorum, et imprimis Thomae Aquinatis et Ioannis Scoti, qui cum plerique ſanctitatis laude florerent, et coelitum choro additi eſſent, omnes autem maximam ſuae, cui adſcripti fuerant, genti ſacrae celebritatem conciliaſſent, ita imperium inter ſuos obtinuerunt, tantoque praeiudicio Venerationis diſcipulos eorum, qui ab ordinum ſuorum affeclis pendebant, occupauerunt, vt hi dubitare de eorum philoſophia non auderent, illam vero ſibi gloriam vindicarent, quam ex fideliter retenta defenſaque non ſine libidine et ſubtilitatis affectatione Thomae Scotique philoſophia et theologia ſibi promittebant. Id quod eo altius animis ſe inſinuauit, cum philoſophia horum Scholaſticorum, qui in partes diſceſſerunt, grauiſſimo dogmati de auxiliis gratiae, et controuerſiis de eo obortis ſe immiſcuiſſet. Inde enim factum, vbi ſemel a ſimplicitate apoſtolicae doctrinae in Scriptura S. traditae erat receſſum, et Scholaſticae tricae Paulinis dogmatibus ſurrogatae, vt ſine Scholaſtica philoſophia de celeberrima quaeſtione, quae toties Romanam eccleſiam commouit turbauitque [i], diſceptare, partesque ſemel arreptas defendere poſſet nemo. In qua quaeſtione tuenda cum Dominici et Franciſci familia diuerſa et oppoſita quidem caſtra ſequerentur, eorumque monachorum partes ſub Thomiſtarum et Scotiſtarum ſymbolis pro re nata alii ordines ſacri

g) In praef. ad Io. MABILLON. tr. de ſtudiis Monaſticis Latine conuerſum.

h) In vita Immanuel. Martini, eius epiſtolis praemiſſa.

i) Teſtes damus IAC. HYACINTHI SERRII ſiue vero nomine AVGVSTINI LE BLANC ex vna parte, ex altera vero THEODORI ELEVTHERII ſiue LIVINI DE MAYER ſcripta ad hiſtoriam controuerſiae de auxiliis gratiae pertinentia. Conf. quae in compendio eleganter narrat Cel. PFAFFIVS Primit. Tubingenſ. P. I. p. 86 ſeqq.

saeri susciperent, magna inde doctrinae Scholasticae exorta est aemulatio, et bella incruenta inde enata sunt, quorum tamen historia alio loco enarranda est. His, quae Ignatio Loiola auctore surrexit societas Iesu vbi accessit, et non theologiae modo atque philosophiae tradendae curam suscepit, sed et palmam in hoc stadio emetiendo aliis praeripere conata est, et pro curiae Romanae decretis militare his armis coepit, nouis viribus ex semine relicto succreuit, et in vberrimam segetem efflоruit pseudo-philosophiae Scholasticae lolium. Et hac quidem ratione factum est, vt, cum vbique locorum melior iam philosophia emersisset, in academiis tamen, quae Romanae curiae obsequio mancipatae sunt, et ex sacris istis ordinibus publicos doctores accipere solent, itemque in monasteriis, philosophia Aristotelico-Scholastica conseruata sit, et haud raro egregie aucta. Ab illis enim, qui hoc doctrinae genus in scholis publicis tradiderunt, praeiudicium insulsum enatum est, esse philosophiam Scholasticam orthodoxum et catholicum philosophiae genus; quam gloriam equidem his hominibus minime inuidendam esse putamus, experientia tamen edocti nouimus, non omnes ita desipere viros eruditos, qui in monasteriis et academiis philosophiam docent, vt his tricis terere tempus, naeniisque istiusmodi deludere hiantes iuuenes velint, sed surrexisse nostro potissimum tempore viros strenuos, cordatos, acutos, qui condemnata et abiecta morologia Scholastica per omnes fere philosophiae partes pulchrius philosophari, et praeiudicia vetera exuere decorum putauerunt. Immo non nostri solummodo aeui ea felicitas est, sed diu iam inter theologos et philosophos Romanae ecclesiae tesseram fidei sequentes fuere, qui melius saperent, et scholasticam philosophiam atque theologiam abiiciendam esse contenderent, licet moderate sententiam dicere eos coëgerit Scholasticorum recentissimorum auctoritas [k]. Et Melchioris Cani quidem, qui ex Dominici familia theologus Hispanus fuit, a quo talia vix exspectari poterat, verba supra adduximus [l], qui licet haereticorum aciem istis culicum telis frangi posse credat, de auctoritate tamen Scholasticorum doctorum ita prudenter et candide differit, vt fastidiuisse virum doctissimum ineptum doctrinae genus nullumque ei pretium statuisse, luculenter appareat. Cuius rationibus cum vsi sint magni Galliae theologi Ioannes Launoivs [m] et Lvdovicvs Ellies Dvpinivs [n], quorum ille ad deprimendum foetum adulterinum iucundum atque eruditum libellum *de varia fortuna Aristotelis in academia Parisiensi scripsit*, coniiciet ex eo Lector, quae de Scholastica philosophia et theologia eorum fuerit sententia. Quo melioris philosophiae sensu et emendandae tandem aliquando eruditionis desiderio egregie iudicii acumen commendauit, illustre Benedictinae familiae soda-

Condemnata tamen philosophia Scholastica et derelicta tandem.

k) Egregia multa de hac catholica philosophia monet Cel. Hevmannvs Act. phil. Vol. II. p. 281. dignus, qui legatur.

l) Conf. Bvddevs Isagog. ad hist. theol. L. II. c. 1. §. 15. p. 407.

m) De fortuna Aristotelis c. XIX. p. 350.

n) Loco supra citato.

ſodalitium, cuius teſtes eſſe poſſunt exempla haud pauca, et praecipue candida viri ſummi IOANNIS MABILLONII ſententia [o], Germanis ab editore, eiusdem profeſſionis viro, tam graui inuectiua in Scholaſticam philoſophiam commendata, vt alios taceamus. Vnde merito patriae noſtrae gratulamur, quod in ea hodie quoque in monaſteriis ſcholisque inueniantur, qui Newtonum, Gaſſendum, Carteſium, Leibnizium, Wolfium, Vasqueſio, Sancheſio, Conimbricenſibus huiusque furfuris Scholaſticis aliis praeferunt, vel vbi inuidia premente, in hoc ſtadio currere impediuntur, in id connituntur, quod in votis nuper habuit, alter ordinis ſui Mabillonius Cl. BERNARDVS PEZIVS [p], *vt poſtquam philoſophiae Ariſtoteleae ac theologiae Scholaſticae ſat litatum fuerit, ad ſacram Criticam, ad illuſtrandos ſacros patres, ad diſcutienda ſelecta hiſtoriae eccleſiaſticae capita, ad eruenda ex pulueribus et vmbris veterum auctorum monumenta, in quae San-Mauriani tanto eccleſiae commodo tantoque cum omnium doctorum hominum applauſu incumbunt, maiorem ſuarum curarum ac ſtudiorum partem traducant.* Aliorum virorum doctorum ex Romana eccleſia loca de abiicienda philoſophia Scholaſtica heic, vbi ὡς ἐν παρόδῳ iſta tantummodo tangenda ſunt, praeterimus, conſulendi autem ſunt, quos nominat magni nominis theologus CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS [q].

Enarrandi Scholaſtici recentiores, ſed paucis.

§. III. Ex dictis vero liquet, magnum eſſe, etiam poſt renatas literas, reſtitutamque orbi literato philoſophandi libertatem, Scholaſticorum recentiorum numerum, integrosque poſſe contexi eorum catalogos, qui philoſophiam Ariſtotelico-Scholaſticam ſpiſſis interdum voluminibus et taedioſis commentationibus explicuerunt: ſic vt quartam Scholaſticae philoſophiae aetatem illos conſtituere, recte non nemini [r] ſit obſeruatum. Verum hos recenſere omnes, et in eorum conatibus philoſophicis enarrandis ingratam deuorare moleſtiam, idem eſſet, ac arenoſa litora ſine emolumento, ſine meſſe ſperanda arare, tempusque ac otium perdere: adeo pauca ſunt, quae ad philoſophiae incrementa attulere, adeo iniucunda ſterilisque tota illa eſt tractatio. Quoniam tamen in vniuerſalis hiſtoriae philoſophicae inſtitutionibus eorum mentio quaedam facienda eſt, eos non omnes negligemus, ſed praeſtantiores celebrioresque ex hoc ſcriptorum genere auctores, quos ingenii ſubtilitas extulit, nominabimus, paucisque, vt in hoc argumento decet, eorum hiſtoriam exponemus. Sequemur autem ad iuuandam lectoris memoriam eum ordinem, vt ſecundum

o) loc. cit.

p) Praef. ad Biblioth. Benedictino-Mauriſanam.

q) Introduct. in hiſt. theol. literar. P. I. Lib. II. §. 1. p. 199. Silendum autem hoc loco non eſt, Celſiſſimum Iuuauienſium principem et archiepiſcopum ad emendandam Salisburgenſem academiam, et reuocanda elegantiora ſtudia melioremque philoſophiam animum adieciſſe. Quod eo magis orbi literato gratulandum eſt, quo pauciores in hac ſchola fuiſſe, qui praeter ſcholaſticam ſtribiliginem, de melioribus literis ſolliciti eſſent, ex graui et docta inuectiua conſtat, quae nuper contra pſeudo-philoſophos edita eſt, hoc titulo: Δαιδαλμονος Φιλοφωμαίυ, vindiciae aduerſus Sycophantas Iuuauienſes Coloniae (ſeu verius Venetiis) 1741. 4. quibus nigro ſale perfricuit auctor ineptos homines, et Muratorii V. C. vindicias eleganti eruditione adornauit.

r) Vid. BVDDEVS Comp. hiſtor. philoſ. obſervationibus illuſtrat. c. V. §. 6. p. 350. 351.

dum religiosae professionis et sodalitatum tesseram eos recenseamus. Quamuis enim inter Protestantes quoque seculo potissimum XVII, quod vere eristicum in orbe ciuili et literario fuit, extiterint, qui suis labris hanc lactucam adaptarunt, pauci tamen illi sunt, et ignobilis plerique nominis, qui vero Scholasticam philosophiam edocti nominis inter eos celebritatem consecuti sunt, ipsum Aristotelem Scholasticis praetulerunt, hincque alio loco infra adducendi sunt. Dabimus itaque ex Romanae ecclesiae gremio Scholasticos Dominicanos, Franciscanos, Cistercienses et Societati Iesu adscriptos. Non negamus quidem, aliorum quoque sodalitiorum religiosorum in hoc stadio emetiendo diligentiam conspicuam fuisse, et dedisse nobis Scholasticos philosophos, e. g. S. Augustini, S. Benedicti, et Philippi Nerei sodales; verum exiguus eorum est numerus, si cum reliquorum ordinum Scholasticis comparetur, hoc loco, vbi potiora tantum breuitatis caussa commemoramus, non considerandus *. Accedit nonnullos horum, cum ob auctoritatis praeiudicium inter suos regnans, emendatioris philosophiae praecepta suis quasi vestimentis ornata discipulis suis tradere non auderent, tectius rem aggressos, recentioris philosophiae obseruationes habitu Scholastico, tractationeque atque methodo Scholis suis accommodata, protulisse in lucem, sicque inuidiam maleuolorum euitauisse [s]. Tacemus vnum alterumque ordinem religiosum a colendis literis seueriores plane abstinuisse, et ignauo torpuisse otio, id quod de Praemonstratensi fatetur CASIMIRVS OVDINVS [t], *ignauiam atque ignorantiam ordinis huius fuisse proprias et eximias dotes, quibus a crepundiis ad nostra vsque tempora ab aliis distinctus sit.* Alii relicta vni alteriue ex suo ordine ad tuendam cathedram philosophicam et theologicam, doctrina Scholastica, criticae sacrae et ecclesiasticae, colligendis illustrandisque veterum monumentis sacris, explicandis praestantioribus historiae literariae sacrae capitibus, immo illustrandae quoque veteris orbis et medii aeui historiae, vel sacris quoque oraculis exponendis operam commodauerunt suam, et pauca, quae ad philosophiam spectant, attigerunt. Quo in campo summa cum laude versata est Benedictinorum in Gallia congregatio, quae S. Mauri auspiciis regitur; cuius sodalitii tot literarum meritis, optimisque elegantissimae doctrinae operibus parta gloria illustris literariam historiam cum post Bernardum Pezium enarraret, PHILIPPVS CERVIVS [u], vnum tantum inter tot scriptores sui ordinis celeberrimos auctorem habuit, quem philosophiae nomine laudaret [x], praestantissimi ingenii et acuminis philosophum FRANCISCVM LAMI, cui praeter librum *de cognitione*

*) Consuli vero possunt indices scriptorum ex his ordinibus, quos nominat FABRICIVS in Bibl. Lat. mediae et STRVVIVS Intr. in hist. lit. T. VII. c. 7. §. 24. seqq.

s) Exemplum esse poterit acuti ingenii philosophus EVSEBIVS AMORTIVS canonicus regularis S. Augustini Pollinganus, qui in systemate suo philosophico recentiorum obseruationes habitu Scholastico indutas adduxit.

t) Praef. comm. de Script. eccles.

u) Bibliotheque historique et critique des auteurs de la congregation de S. Maur. 1726. 8.

x) p. 185. seqq. conf. PEZ. Bibl. Bened. Maur. P. I. c. 41. p. 281. BAYLE lettres T. II. p. 520. 577. edit. Marchand. NICERON Memoires T. III. p. 355.

ne sui ipsius, elegantes diatribas philosophicas, debemus, in quibus atheorum impietatem, et imprimis Spinozae ineptias euertit [y], itemque philosophiam primam, siue *prima elementa scientiarum*, *introductionis loco ad cognitionem solidam exposita*, quibus subiunctum *tentamen logicum* [z]. Ex quibus eius libris manifestum, euitasse virum acumine philosophico celebrem spineta Scholastica, et meliorem philosophiam fuisse sectatum. Tacemus, quae in controuersia Mallebranchii scripsit, vel physici argumenti edidit, alibi enumeranda.

Scholastici recentiores Dominicani.

§. IV. Vt vero heroas inter Scholasticos recentiores Lectori contemplandos sistamus, initium facimus a Dominici familia, quae Thomisticam scholam presso pede sequendo accurationis et orthodoxiae philosophicae laudem sibi prae ceteris arrogauit. Nec diffitendum protulisse hunc ordinem religiosum magna nonnulla ingenia, et fuisse satis diligentem in Scholasticae doctrinae studio, sic vt pulchra dare potuisset, si maluisset his ineptiis seria et meliora praeferre, et oculos aperuisset, ad videndam nuditatem philosophiae et theologiae Scholasticae, quam ex hoc ipso ordine consodalibus suis demonstrauit Melchior Canus. Ast tam venerabilis illi est, tamque carissima Thomae Aquinatis Praedicatorum albo adscripti memoria, vt omnem fere operam suam viri quidam acuti ingenii et haud proletariae eruditionis in eo posuerint, vt doctrinam Thomisticam propagarent, eamque acerrimis proeliis defenderent. Quod magnis imprimis animorum motibus factum est, ex quo de auxiliis gratiae disceptatum est, vt supra dictum. Eminent vero inter multos, quorum notitiam facile suppeditabunt historiae literariae Dominicanorum scriptores toties nobis citati [a], Dominicus a Soto, Franciscus de S. Victoria, Dominicus Bannez, Franciscus Sylvester, Miachaël Zanardus, Ioannes a S. Thoma, et qui philosophiam Aristotelico-Scholasticam cum Platonica raro exemplo iunxit Chrysostomus Iauellus.

Dominicus Sotus.

§. V. DOMINICVM SOTVM, siue A SOTO Hispania genuit, Segotia in lucem edidit anno cIↃ CCCC XCIV, vnde eius mentionem inter doctos viros Hispaniae fecit NICOLAVS ANTONIVS [b]. Parentes nactus humiles, paupertatem quidem primo inter impedimenta studiorum expertus est, mox virtutis et doctrinae magistram habuit, cum Complutensem Scholam adiisset: in qua Thomam de Villanoua praeceptorem, Sauedram condiscipulum habuit. Haustis philosophiae et theologiae iuxta methodum Thomisticam mysteriis in academia Parisiensi supremos honores theologicos obtinuit, inque Hispaniam redux, et in Burgensi coenobio Dominici sodalitio adscriptus praeceptori Thomae a S. Victoria in academia Salmanticensi in cathedra publica successit. Magna vero cum eius eruditionis esset existimatio, Carolo V imperatori a sacris confessionibus esse,

y) Le nouvel atheisme renversé, Paris 1696.
z) 1706. lingua Gallica.
a) Conferendi imprimis IACOBVS ECHARDVS, et de Hispanis NICOLAVS ANTONIVS, et ANDREAS SCHOTTVS.
b) Bibl. Hispan. T. I. p. 255. SCHOTTVS B. H. Tom. II. p. 234. conf. IAC. ECHARD. de Scriptor. Dominic. T. II. p. 171.

esse [c], et anno cIↃ IↃ XLV concilio Tridentino interesse iussus est [d]. Aulae vero pertaesus ad Salmanticensem professionem rediit, naturaeque debitum soluit anno cIↃ IↃ LX, lampade Melchiori Cano tradita. Praeter scripta theologica, quibus magnum inter suos nomen meruit, enumerata a SCHOTTO, ANTONIO [e], ECHARDO [f], FABRICIO [g], et ab ipso quoque SOTO [h] in Aristotelem et Porphyrium more Scholastico commentatus est: eorum catalogum dedit DAN. GEORG. MORHOFIVS [i], qui videndus. Maxime vero memorabilis Sotus est ob libros VII. *de iustitia et iure Salmanticae anno cIↃ IↃ LVI* editos, quibus postea libri *de iuramento et adiuratione* accessere, quo habitu *Venetiis* quoque *anno cIↃ IↃC* prodierunt. In ea tractatione si non primus naturalis iuris scientiam tentauit, quod nonnulli Francisco Victoriae vindicant, inter primos tamen fuit, qui dispersas Scholasticorum de hoc argumento sententias collegit, atque integram tractationem exhibuit, vnde pronuntiauit HENR. BOECLERVS [k]: *ad omnium, qui ante ipsum scripserunt, in hoc genere doctrinas ducem et indicem esse posse.* Nihil vero, quod sobriam philosophiam redoleat, in hoc argumento praestitit, cum mallet Scholasticos sequi, quam suae mentis aciem consulere. Methodus quoque Scholastica confusam tractationem reddit et incertam, luculento argumento, ad seueram argumenti nobilissimi considerationem Scholasticam philosophiam prorsus esse ineptam. Habuit discipulum Franciscum Toletum, cuius in sequentibus facienda est mentio. Non confundendus autem est cum Petro Soto [l] et Francisco Soto [m] huiusque nominis aliis. Huius Soti praeceptor fuit FRANCISCVS DE S. VICTORIA, a Cantabriae vrbe ita dictus, quam patriam habuit. Haustis apud Parisienses philosophiae et theologiae praeceptis, susceptaque Praedicatorum ordinis professione, philosophiam et theologiam publice in Salmanticensi academia docere iussus est, tanta eruditionis Scholasticae opinione, vt BARTHOLOMAEVS A MEDINA Salmanticensis itidem professor, et eiusdem ordinis sodalis, de eo scripserit [n], *eum praeclarum eruditione, ingenio, eloquentia, abdita Thomae arcana discipulis patefeciſſe, vt se ipsum superasse videatur, et Hispaniam primus theologizare docuerit.* Scripsit is libros *de potestate ciuili et ecclesiastica*, aliaque laudata ANTONIO [o], MORHOFIO [p], LOPEZIO [q] aliis. In his scriptis suis iuris gentium praecepta passim tradens minus quam ceteri, desipuisse visus est; suntque, qui suspicentur, eo Grotium in multis fuisse vsum, quanquam raro illi allegetur [r]. Nec id diffitetur, vir doctus, qui *Vindicias Grotianas* nobis dedit [s], qui librum *Relectio-*

Franciscus de S. Victoria.

c) MIRAEVS in Auctar. c. 548. p. 101.
d) Ibi patribus congregatis librum de natura et gratia dedicauit.
e) loc. cit. f) l. c.
g) Bibl. Lat. med. T. II. p. 163. DVPIN. Bibl. eccles. T. XVI, p. 32.
h) In recognitione operum suorum ad calcem comment. in quartum sententiarum.
i) Polyhist. T. II. L. I. c. 14. §. 26. p. 93.
k) Praef. ad GROTIVM de I. B. et P. p. 23.
l) Vid. MIRAEVS l. c. p. 101.
m) Vid. ALEGAMBE Bibl. script. S. I. p. 254.
n) Apud MORHOF. l. c. p. 92.
o) l. c. SCHOTTVS p. 232. p) l. c.
q) Histor. Ord. Praedicator. P. IV. L. I. c. vlt.
r) MORHOF. l. c. s) p. 619.

num Victoriae, in quibus hoc argumentum tetigit, *theologis pariter ac iureconsultis maximo vsui esse posse monet, adeo quippe accurate et subtiliter differentis de rebus morum, vt sine admiratione legi non possit.* Quod vtrum de homine Scholasticae philosophiae principiis methodoque velut cynosura vtente dici possit, reueraque in dissertationibus *de bello, de vsuris* aliisque, quae in illis *Relectionibus* continentur, de Victoria praestiterit, iudicent, qui legerunt: rarissimae vero sunt, et magno olim, teste MORHOFIO [t] pretio venditae. Habuit discipulos Dominicum Sotum, Melchiorem Canum, Ferdinandum Vasquium et Didacum Couarruuiam, Hispanos, quos vltimos Grotium quoque frequenter legisse idem testatur ANONYMVS [u]. Obiit anno cIↃ IↃ XLVI.

Dominicus Bannez.

§. VI. Eadem quoque academia Salmanticensis publicum doctorem habuit DOMINICVM BANNEZ, Mondragonii in Biscaia natum, ordinis Praedicatorum, qui illustre inter Hispaniae theologos et philosophos Scholasticos nomen obtinuit. Thomae enim, et quem ille secutus esse censetur, Augustini dogmata magno acumine defendit. Is post primariam viginti annorum apud Salmanticenses professionem rude donatus, dum in patriam iter suscepit, sub annum cIↃ IↃ CIV, Methymnae campi fatis concessit [x], et praeter scripta theologica, *Institutiones* quoque *dialecticas* reliquit [y]. Inter Scholasticos, quos Italia protulit, Ferrariae natus est

Franciscus Silvestrius.

FRANCISCVS SILVESTRIVS, tanti inter consodales suos existimationis, vt ordinis sui generalis constitueretur, obiitque, si MIRAEO [z] fides, anno cIↃ IↃ XXVIII, postquam diu in Bononiensi gymnasio docuerat. Valde is a suis extollitur, luculentumque eius elogium scripsit LEANDER ALBERTVS [a]. Praeter scripta theologica, VOSSIO [b], FABRICIO [c] aliisque enarrata, et *Commentationem in* THOMAE *librum aduersus gentes*, scripsit quoque *Quaestiones in tres libros Aristotelis de anima*, quas *additionibus et quaestionibus philosophicis* illustrauit MATTHAEVS AQVARIVS, in Neapolitano gymnasio doctor publicus [d]. Inter Italos porro Scholasticae philosophiae laude clarissimum nomen adeptus est

Michaël Zanardus.

MICHAEL ZANARDVS Bergomensis ex Vrgnano S. theologiae lector. Non enim D. Thomae doctrinam modo feliciter illustrauit, et inter eius commentatores eminuit, sed philosophiam quoque Aristotelico-Scholasticam acutis tractationibus enucleauit, editis libris, *de triplici vniuerso, de physica et metaphysica, commentarioque cum quaestionibus et dubiis in octo libros Aristotelis;* de quo, qui librum euoluit testatur MORHOFIVS [e], *eum esse diligentem in dubiis mouendis iisque resoluendis, quibus vti possint, qui in hoc scientiae genere disputaturi sint ex*

t) l. c. Extant in bibliotheca Augustana, vid. ELEHINGERI Catal. p. 220. vbi integer titulus exhibetur.
u) loc. cit.
x) MIRAEVS de Script. sec. XVII. p. 265.
y) vid. ANTON. l. c. MORHOF. l. c.
z) l. c. VOSSIVS de Hist. Lat. L. III. p. 676.
a) De viris illustribus Ord. Praedic. Lib. IV. p. 141.
b) l. c.
c) Bibl. Lat. med. T. II. p. 554. 597.
d) Venet. 1629. conf. MORHOF. l. c. p. 95.
e) l. c. p. 92. GHILINI Theatr. vir. doct. etc.

ex principiis Aristotelicis: eidem quoque methodo insistere in metaphysicis, in quibus principia Thomae ab antiquis et recentioribus impugnatoribus defendat. In quo nihil ille peculiare habet ab aliis sui generis scriptoribus, qui omnes eadem chorda oberrant. His IOANNEM A S. THOMA iungimus, Olysipponensem, ex Praedicatorum quoque ordine theologum atque professorem Complutensem, postea Salmanticensem, quique Philippo IV, Hispaniarum regi, a confessionibus sacris fuit. Is quam viam, in philosophia more Scholastico tradenda, tenuerit, ex *cursu philosophico Thomistico, ad exactam, veram, et genuinam Aristotelis et Doctoris Angelici mentem constat.* In eo enim de dialecticis, physicis et metaphysicis perspicue et luculenter breuiterque scholae suae dogmata, teste MORHOFIO [f] explicat; qui tamen vbi non contemnendam sane operam posuisse auctorem in hoc opere iudicat, non cogitauit, scholae huic propriam fuisse inanem subtilitatem Scholasticam, nec Thomam, quem tamen is vnum sequitur, Aristotelem vbique recte explicuisse, fuisseque accurate assecutum. Tribuunt ei alii quoque *systema logicum*, *artemque logicam*, et *naturalem philosophiam*, quae annon cum isto opere eadem sint, dicere non possumus, qui librum non vidimus. *Ioannes a S. Thoma.*

§. VII. CHRYSOSTOMVM IAVELLVM Canapitium Italia protulit natum anno M CCCC LXXXVIII, qui susceptа Dominici religione apud Bononienses circa annum cIↃ IↃ XXX theologiam et philosophiam docuit, scriptisque philosophicis Lugduni vno fasce editis [g], inclaruit. Is imprimis inter recentiores Scholasticos notatu dignus est, quia non modo inter eos magna nominis eius est existimatio, qui frequenter ad eum prouocant, sed et vniuersam fere philosophiam Aristotelis commentariis suis illustrauit. Qua vero is methodo vsus sit, ex *Quaestionibus in libros physicos* patet, in quibus dubia Aristotelis et commentatoris eius, Auerrois, se resoluturum promittit iuxta Thomisticum dogma. Ast cum Aristotelis doctrinam scientiae magis adaptatam, Platonis autem religioni conuenientiorem crederet, raro inter Scholasticos exemplo animum quoque ad Platonicam philosophiam applicuit, cumque antea *dispositionem moralis philosophiae secundum Aristotelis philosophiam* edidisset, *moralis* quoque *philosophiae dispositionem secundum Platonem* [h] concinnauit, cuius summam accurata recensione exhibent *Acta philosophorum* [i]. Imo *ciuilis* quoque *philosophiae ad mentem Platonis dispositionem* conscripsit [k], et his demum subiecit *Institutiones philosophiae Christianae.* Quae vero eius mens de Aristotelis et Platonis philosophia fuerit, omnium optime ex eius *praefatione in dispositionem moralis philosophiae Platonicae* discitur, vbi inter alia ita differit: *Etenim Aristotelis disciplina nos quidem doctos ac subtilissime de moralibus, sicut de naturalibus differentes* *Chrysostomus Iauellus.*

f) Polyhistor. l. c. p. 91.

g) Tribus tomis 1580. integrum titulum habes in Cat. Bibl. Aug. Ehingeriano p. 591. conf. p. 578. vbi eius commentarii Aristotelici enumerantur.

h) Ven. 1538. fol.

i) Vol. III. p. 210. seqq.

k) Ibid. subiuncta est Dispositioni morali.

tes efficere poteſt : at moralis Platonica ex vi dicendi atque paterna adhortatione veluti prophetia quaedam, et quaſi ſuperum vox inter homines tonans, nos procul dubio ſapientiores, probatiores vitaeque felicioris reddere valet. - - Plato in omni diſciplina ſua non tam philoſophicum quam propheticum ſtilum ſeruare videtur: more enim piiſſimi patris, diuini vatis, ac ſacerdotis a corporis illecebris expiatos ad diuina nos rapere contendit. Merito igitur, vt cunctis bene rectèque viuere cupientibus moraliſſimae ac purgatiſſimae doctrinae ſpeculum proponerem, poſt doctrinalem Peripateticam religioſam ac piam diui Platonis ante omnium oculos velut ornatiſſimam virginem ſtatuendam decreui. In ſequentibus quoque conſilii ſui rationes has fuiſſe, ait, *vt expoſita et morali Ariſtotelis, et diuina ac Chriſtiana philoſophia Platonis, moralem philoſophiam, quoniam quam proxima eſt diuinae ac Chriſtianae, ſeque habet ad eam, vt luna ad ſolem, locaret mediam inter Peripateticam atque Chriſtianam, quo per ipſam cunctis facilior acceſſus pateret ad Chriſtianam atque diuinam: et vt huiusmodi ſapientes, qui ſoli diuinae legis auctoritati non facile cedunt, nec contentantur, ſaltem Platonicis rationibus atque inſtitutis Chriſtianae religioni ipſique veritati admodum conſentaneis acquieſcant.* Ex quibus verbis patet, Iauellum in eadem de Platonica philoſophia opinione fuiſſe, quam Platonicos ſeculi XV fouiſſe ſuo loco diximus. Ex quo colligimus, eum forte in illorum ſcholis fuiſſe educatum: vnde haud pauca non inepte ex mente Platonis affert, quamquam interdum a ſyncretismo Platonico-Peripatetico decipitur; multa quoque perperam Platoni tribuit, ſic vt facile ſentias Ariſtotelicam philoſophiam notitiae Platonicae philoſophiae alienum interdum colorem induxiſſe. Forte et magna, qua Patres Platonem proſequuntur veneratio Iauellum ad hunc ſyncretismum compulit, et apologiam pro Platone, quam ſe inſtituiſſe dicit, ſcribere coëgit.

Scholaſtici ex Franciſci ordine.

§. VIII. Franciſcanorum ſodalitium in caſtris Scoti militare conſueuit, quem inter prima ordinis ſui ornamenta numerat, et ſubtilius, quam ipſum Thomam, philoſophiae et theologiae Scholaſticae myſteria explicuiſſe contendit. Quare poſt renatas quoque literas et reſtitutum philoſophiae nitorem magiſtro, ſuo pertinaciter adhaeſit, Scholaſticosque philoſophos dedit, nominis fama inter ſuos valde celebres. Inter

Ioannes Ponzius.

eos IOANNES PONZIVS eſt, Corcagia Hibernus, S. theologiae lector iubilatus, et in Collegio Romano primarius profeſſor, qui philoſophiam quoque Pariſiis docuit. Edidit is *Curſum integrum philoſophiae ad mentem Scoti, primum editum in collegio Romano fratrum Minorum Arbernorum, poſtea ab ipſo auctore in conuentu magno Pariſienſi recognitum, inſuperque morali philoſophia, variisque additionibus locupletatum* [1]. In quo libro totus Scholaſticus quoad rem et methodum eſt, et Scoti ſcholam contra inſultus aduerſariorum defendit. Hunc, conque-

ritur

1) Lugdun. 1559. fol. vid. Morhof. l.c. p. 88.

ritur BARTHOLOMAEVS MASTRIVS [m], sua quaedam descripsisse; id quod facile quidem fieri potuit; inter Scholasticos vero vix plagii nomen meretur, eo quod communi consuetudine omnes se mutuo exscribant tradantque naenias easdem. Idem MASTRIVS cum BONAVENTVRA MELLVTO, in Sicilia ordinis sui prouinciali, Aristotelem Scoto vindicandum esse, huncque vera ratione Peripateticam dialecticam explicuisse, contendit, editis *disputationibus in organon Aristotelis, quibus ab aduersariis veteribus Scoti logica vindicatur* [n]. Lepidum est, quod in praefatione, teste MORHOFIO [o], tractandum sibi sumsit, doctrinam Scotisticam non humanitus tantummodo probatam fuisse, summorumque virorum elogia, quae adducit, meruisse, sed coelitus quoque confirmatam esse; ex quo vngue de toto leone iudicandum. Alia eiusdem scripta philosophica idem laudat MORHOFIVS, qui videndus.

Bartholomaeus Mastrius et Bonauentura Mellutus.

§. IX. Melioris commatis esse visus est MORHOFIO [p], IOANNES LALEMANDET, Burgundo-Sequanus, ordinis Minorum S. Francisci de Paula, per Germaniam, Bohemiam et Morauiam prouincialis, et iubilatus professor Viennae, vbi circa medium seculum XVII inclaruit. Huius extare, dicit Morhofius *Decisiones philosophicas, tribus partibus comprehensas* [q], quarum prima de Logica agit, secunda de physica, tertia de metaphysica, librumque esse vtilissimum, quoniam quasi per compendium proponat omnem doctrinam Thomistarum, Scotistarum et Nominalium. Et quod ad Nominales attinet, distinctissime illorum proposuisse sententias earumque differentias a ceteris, suo interposito iudicio, vt ab alio auctore non factum. Conciliatorem autem agere inter Thomistas et Scotistas, ea tamen libertate vsum, vt neutri se sectae interdum applicaret, suasque sententias proponeret atque stabiliret, destructis communium opinionum fundamentis. Logicae adiectum esse examen dialecticae Aristotelicae, Nominalium, Realium, Rameae ac Lullianae, deque illis vtilissima attulisse, deque initio Nominalium et de eorum differentia a Realibus prolixe agere; mentionem quoque facere veterum quarundam sectarum Scholasticarum nunc abolitarum etc. Vehemens haec Morhofii relatio nobis desiderium excitauit videndi libri, in vicinia editi, eo quod historiae Nominalium tantopere obscurae lucem inde accendi posse claram sperabamus. Verum omni licet adhibita industria eius tamen copia facta nobis haud est. Ex qua libri etiam in natali solo raritate coniicimus, propter defensas Nominalium partes eum euiluisse, hancque sectam si non totam exspirauisse, certe ad incitas redactam momentum non amplius inter Scholasticos recentiores mereri, id quod dudum obseruatum IACOBO THOMASIO [r]. Nam idem fatum aliis quoque Nominalium libris euenisse, vt

Ioannes Lalemandet.

m) Praef. libri citandi.
n) Venet. 1646. 4. vid. MORHOF. l. c. p. 89.
o) Loc. cit.
p) Ibid.
q) Monach. 1645. 1646.
r) De secta Nominal. Or. XII. p. 274.

vt contemti neglectique rariſſimi facti ſunt, conſtat [s]. Lalemandeto iungimus MARTINVM MEVRISSE, Royenſem, apud Pariſienſes theologiae et philoſophiae doctorem publicum, cuius *Metaphyſicam ad mentem doctoris ſubtilis* [t] tribus libris comprehenſam valde laudant ſui [u]. Tum CLAVDIVM FRASSENIVM Minoritam Peronenſem, et in maiori conuentu Pariſienſi philoſophiae profeſſorem, et ordinis ſui diffinitorem generalem, magnae inter ſuos exiſtimationis virum, quam vero valde turbauit agitata cum Natali Alexandro controuerſia, et obiectum ob *Diſquiſitiones Biblicas* plagium, de quo alibi dicendum. Nobis hoc loco memorandus eſt, ob editam Pariſiis * *philoſophiam academicam ex ſelectiſſimis Ariſtotelicis ac Scotiſtis rationibus et ſententiis, breui ac perſpicua methodo adornatam.* In quo libro perſpicuitatem laudat MORHOFIVS [y]. Ex his paucis de reliquis Ordinis Minorum philoſophis faciendum eſt iudicium. Plures enim adducere nec inſtitutum poſtulat, nec e re Lectoris eſt.

Martinus Meuriſſe.

Claudius Fraſſenius.

Scholaſtici Ciſtercienſes.

§. X. Ciſtercienſium ordo, theologiae ſe magis aſceticae addixit, Bernardi et Norberti exemplis excitatus, (quos Scholaſticam philoſophiam et theologiam transuerſis oculis fuiſſe intuitos, ſuo loco monitum) quam his Scholaſticorum myſteriis, vt ex catalogis ſcriptorum Ordinis Ciſtercienſis ab ANGELO MANRIQVEZ [z] et CAROLO DE VISCH* concinnatis, conſtat. Cum vero Scholaſtica theologia, non obſtante laudatorum abbatum indignatione, vires in eccleſia ſumeret, et imperium obtineret, haec quoque familia his ſacris initiari ſe paſſa eſt, et vt eam fulciret, philoſophiae quoque Scholaſticae operam locauit ſuam, inque ea famam quoque haud incelebrem conſecuta eſt. Ex multis pauca more et inſtituto noſtro damus, libaſſe has lautitias contenti. Inter Hiſpanos Ciſtercienſes Scholaſticae ſubtilitatis laude floruit ANGELVS MANRIQVEZ, Burgis ex nobiliſſima Manrique gente natus. Qui cum ingenium nactus eſſet et fertile et acutum, in Hortenſi coenobio Ciſtercienſium religione ſuſcepta, tanta induſtria eoque ſucceſſu philoſophicis et theologicis ſcientiis ſe immerſit, vt teſte CAROLO DE VISCH [a], *profundiſſimis quibuscunque theologis et vniuerſitatum profeſſoribus admirationi eſſet, et non populo magis facundia eius placeret, quam externis regionibus ac prouinciis probata fama ſcriptisque eruditio.* Orator itaque ſacer in celeberrimas Hiſpaniae vrbes et in aulam quoque Philippi IV, anno MDCXXXVI vocatus, magnisque etiam in rebus conſiliarius adhibitus eſt, a Ciſtercienſi quoque per Hiſpaniam congregatione Salmanticenſi collegio praefectus. Sed et huius vrbis Academia, quae inter Hiſpanas eminet, ob eruditionem Scholaſticam eum ſcientiarum harum principem

Angelus Manriquez.

s) Exemplum eſſe poteſt SALABERTI Logica in Nominalium via, de cuius raritate in antecedente Tomo quaedam diximus.
t) Pariſ. 1623. 4.
u) Vid. MORHOF. l. c. p. 90.
x) 1657. y) pag. 88.
z) In Annalibus Ciſtercienſibus.
*) In Bibliotheca ſcriptorum ordinis Ciſtercienſis.
a) Loc. cit. p. 21.

cipem sibi sociauit primumque Scoti, ac deinde Thomae Aquinatis cathedrae praefecit, tanto suae gentis applausu et calculo, vt concordi scriptorum eius aetatis consensu communis illius temporis magister, doctor angelicus, et Salmanticensis Academiae Atlas appellaretur. Quae eius celebritas ei tandem generalatum sui Ordinis et tiaram episcopalem Pacis Augustae conciliauit. Ordini is suo famam comparauit cum variis scriptis historiam eius illustrantibus, inter quae *Annales Cistercienses* [b] eminent, tum commentariis Scholasticam theologiam et philosophiam explicantibus, quorum syllabum exhibent DE VISCH [c] et ANTONIVS [d], qui videndi. Inuidendis eum elogiis extollunt Hispani, vt sunt laudatores immodici, ex quibus colligimus, in intima eum huius scientiarum generis mysteria ex sententia suorum penetrasse. Obiit anno M D CXLIX.

§. XI. Gomezia gens multos viros doctos Hispaniae dedit [e]. Ex eis de philosophia Scholastica praeclare meruit BARTHOLOMAEVS GOMEZ, Vallis Paradisi in Hispania monachus Cistercienſis. Hunc ingenio fuisse acuto et ad disciplinas quaslibet capessendas quodammodo natum, scribit CAROLVS DE VISCH *f.* Ad Meyrense, celeberrimum Ordinis sui, philosophicum collegium missus summo cum applausu philosophiam diu docuit, parique profectu ac fama theologiam quoque illi iunxit: hisque meritis ita se suis commendauit, vt monasterii sui prior tandemque abbas, totiusque congregationis diffinitor crearetur. Laudat impense eius commentarios logicos, physicos, et metaphysicos velut doctos solidosque CAROL. DE VISCH [ff], qui videndus. Idem MARSILIVM VASQVESIVM ex hoc ordine praeclarum Scholasticae doctrinae professorem commendat; qui suscepto ordine apud Romanos philosophiam et theologiam diu docuit in Tusciae prouinciae monasteriis, ac postmodum etiam publice in academiis Florentina ac Ferrarienſi: praeterea archiepiscopi Florentini et Ferdinandi I. magni Hetruriae ducis theologus, vir magni nominis et praeclarae inter suos famae, denatus anno MDCII. Is *in vniuersam Aristotelis philosophiam Tomos octo commentariorum*, et eiusdem generis librum *in ethicam Aristotelis* reliquit, de quibus eius scriptis, vt et libro de auxiliis valde commendato videndi NIC. ANTONIVS, CAR. DE VISCH [g], aliique. Hunc a Gabriele Vasquesio celeberrimo itidem philosopho Scholastico distinguit ordo: ille enim Iesuitarum partes amplexus est, hic Cistercienſium. In eadem Hispania in theatrum philosophicum prodiit PETRVS DE OVIEDO, (cum Francisco Ouiedo Iesuita non confundendus) Hortensis monachus, sanguine, moribus et doctrina, iudice C. DE VISCH [h], illustris, et politico pariter ac ecclesiastico regimine clarus. In S. Claudii collegio Galetiae primum,

Bartholomaeus Gomez.

Marsilius Vasquez.

Petrus de Ouiedo.

b) Tomis IV. Lugd. 1642 seq. fol.
c) Loc. cit.
d) Bibl. Hisp. nou. T. I. p. 71 seqq.
e) Vid. quos nominat KOENIG. Bibl. p. 353.
f) l. c. p. 52. ANTON. l. c.
ff) Loc. cit. g) Il. cc.
h) Ibid. ANTON. l. c. MANRIQVEZ loc. cit. Tom. II. in calce.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mox publice in Complutenſi academia philoſophiam docuit, deinde a Philippo III, Hiſpaniarum rege, ad archiepiſcopatum Dominicopolitanum in Hiſpaniola Indiae Occidentalis parte euectus, indeque translatus ad cathedram Quitenſem, in regno Peruano, anno MDCXLVI autem archiepiſcopus Charchenſis in eodem regno creatus quinquennio poſt obiit. Huius *Commentaria in dialecticam, logicam et phyſicam* Ariſtotelis valde extollunt Ciſtercienſis hiſtoriae literariae ſcriptores DE VISCH, MANRIQVEZ, IONGELINVS aliique.

Ioannes Caramuel Lobkowviz.

§. XII. Nemo tamen inter Ciſtercienſes philoſophantes praeclarius de philoſophia meruiſſe viſus eſt, quam IOANNES CARAMVEL LOBKOWIZ, ſingularis ingenii homo, interque praecoces et paradoxos eruditos numerandus, qui ſuo tempore diuerſiſſima virorum doctorum meruerunt iudicia cenſurasque. Natus [i] eſt Madriti X. Cal. Iun. anno MDCVI, et adoleſcens adhuc mathematicarum diſciplinarum ſtudiis totum ſe immerſit [k]. In quo ſcientiae genere cum Ioannem Efronitam patriarcham montis Libani praeceptorem haberet, eius eruditionem immenſo diſcendi ardore ſuperauit, tanta felicitate, vt problematibus ſoluendis, planetarumque motibus determinandis ſufficeret, quamuis nondum Latina noſſet, ſi fides NIC. ANTONIO [l]. Tabulis vero motuum coeleſtium compoſitis, futurae eruditionis ſpecimen luculentum edidiſſe aſſerit CAROLVS DE VISCH, cui ſi credendum, dubitandum omnino eſt de eo, quod Antonius retulit, vt recte obſeruatum HADR. BAILLETO [m]. Humanitatis vero ſtudiis addictus dici non poteſt, quanta celeritate inſtitutiones grammaticae atque poëticae artis didicerit, et ad rhetoricam tranſierit, nec male eum ac ſine meditatione tempus in his ſcientiis collocaſſe, ex nouis, quae orbi literato contemplanda exhibuit, ſyſtematibus intelligi poteſt, et vel inde diſcitur, quod Ouidiana vena centum vnius horae ſpatio verſus fundere conſueuerit. Verum aliis quoque inuentionibus atque obſeruationibus prodigioſam iuuentutis eruditionem et ingenii ſingularis foecunditatem demonſtrauit, quas tamen enarrare huius loci non eſt. Dabunt, quantum ſatis, hiſtoriae literariae Caramuelis interpretes. Ex Hiſpania in Belgium delatus, cum philoſophiae et theologiae myſteria omnia pernouiſſet, magnae doctrinae fama vbique admirabilis viſus eſt. Semper enim noua tentabat, et ingenii miracula explicare moliebatur. Quae cauſſa fuit, cur vindicata TRITHEMII fama a necromantiae ſuſpicione eius *Steganographiam* cum clauibus, quibus coniurationum myſteria in iis contenta commode referari poſſunt, ediderit. Facundia autem eius tanta tamque accepta fuit, vt a rerum Hiſpanicarum in Belgio moderatore ſummo expeteretur, qui ipſi a concionibus aulicis eſſet. Ille vero aulae ſplendori Muſarum otia praeferens, munus hoc recuſauit, et in Dunenſi coenobio Brugis tum translato monaſtica Vota, Ciſter-

i) Patre Belga, matre Germana.
k) NIC. ANTON. Bibl. Hiſp. nou. T. I.
l) pag. 178.
m) De praecoci eruditione puerorum p. 347.

Ciſtercienſium formulis firmauit. Tum Louanium in bonarum artium et pulcherrimarum diſciplinarum emporium delatus, tanto eruditionis fulgore omnium oculos perſtrinxit, vt anno MDCXXXVIII ſuprema laurea theologica ornaretur. Ordinario autem ſtudiorum curſu non contentum Caramuelis ingenium, orientalium quoque linguarum, et praecipue Sinenſium, diſcendarum ſtudio totus occupatus fuit, et noua atque ſingularia per omnem fere encyclopaediam molitus eſt. Quibus rariſſimi et inſoliti ingenii ſpeciminibus ita ſe vbique commendauit, vt et principibus eſſet gratiſſimus, et ipſi ſummo pontifici valde commendaretur, cum edito *Theologiae dubiae* libro, qui atheorum atque impiorum quorumuis obiectiones continebat, et valde ſuſpectum Caramuelem reddiderat, ita ſe Romae defendiſſet, vt ipſum pontificem, totumque, qui praeſentes erant, cardinalium collegium in ſtuporem verteret. Et fortaſſe galerum cardinalitium prodigioſa illi meruiſſet eruditio, niſi liberius Romanae aulae vitia perſtrinxiſſet. Epiſcopus tamen Satrianus conſtitutus eſt, in Bohemiam quoque delatus. Inerat ei ingenium vere paradoxum, ſciendique immenſa cupido: nullum enim diſciplinae genus fuit, in quo nouam ipſe viam non tentauerit, ſpretis veteribus, magnaque ſui fiducia nouis promiſſis. Fatendum tamen imaginationis foecunditatem, et ingenii luxuriam iudicii maturitatem ſuppreſſiſſe, et in externis eum magis haeſiſſe emendandis mutandisque, quam in ipſis ſcientiis ſuae integritati reſtituendis, imparatumque fuiſſe a veteris eruditionis praeſidiis, quam contemſit magis quam intellexit [n]. Vnde qui eius acumen et eloquentiam laudarunt, deſiderarunt iudicii accurationem, et exorbitantis imaginationis moderationem [o]. Ex quo intelligi poteſt, quam in theatro philoſophico perſonam Caramuel ſuſtinuerit. Qui licet totam diſciplinarum catenam innouare ſibi conſtituiſſet, quo nomine inter reformatores philoſophiae referri meruit, fatendum tamen, eum nouam magis ſcholaſticam philoſophiam nobis dare voluiſſe. Immenſo autem ſtudiorum ardore et inexpugnabili induſtria vſus, innumeris libris ſcribendis [p] animum adiecit, quorum ſeriem ſeu catalogum ipſe conſcripſit, et publicauit Francofurti, ſubiungendum ſuae *Theologiae fundamentali* [q], ex quo quam prolixa vaſtaque fuerit Caramuelis eruditio, intelligitur. Totam illam cateruam ſcriptorum in nouem claſſes, ſiue curſus diſtribuit, liberalem, mathematicum, muſicum, chiroſophicum, philoſophicum, theologicum, Scholaſticum, moralem philoſophicum, moralem theologicum, ſcripturarium. Quibus claſſibus tot noua ſcientiarum genera, tot tantasque veterum emendationes, immutationes et augmenta promittit, vt facile Hiſpani hominis magniloquentiam ſentias. Quae tamen hoc loco referre omnia paginae anguſtia inſtitutique limites non patiuntur. Quae autem in philoſophia immutare ſategerit, omnino hic enarranda ſunt, in qua nouum

n) Conf. HENR. BORCLER Bibliogr. crit. p. 609.

o) Vid. qui ei oppoſitus eſt liber, cuius titulus: Anti-Caramuel.

p) Inter polygraphos referendus ob plurima ſcripta. Conf. VAL. ANDREAE Faſt. Louan. p. 143.

q) Eum totum exhibet C. DE VISCH p. 178. ſq.

uum eruditionis Scholasticae vultum fingere conatus est. In cursu scilicet mathematico, mathesin promisit audacem, in qua omnes controuersiae logicae, physicae et metaphysicae solo circino et regula dilucidandae sint. In cursu musico philosophiam musicam offert, quae ab effectis regreditur ad causas, et vocis sonorae considerationem secundum decem praedicamenta instituit. In cursu chirosophico omnes scientias veteres pugno se comprehensurum promittit, daturus quoque chirodialecticam, quam definit contentiosam et bellatricem facultatem veritatem propugnandi manu clausa. Cursum vero philosophicum, a grammatica speculatiua exorditur, recte monens, multa huc pertinere, quae solent in logica tradi: id quod de logica Aristotelica est verissimum. Logicam ipsam vero in vocalem, scriptam et mentalem diuidit, prout nempe ratiocinia vel voce, vel scripto, vel mente comprehenduntur: in quo Caramuel ex parte recentiores assecias habuit, qui hermeneuticam et methodologiam ab ipsa ratiocinandi arte distinguunt, et velut peculiares eius partes considerant. Vidit quoque satis acute Caramuel, conuertentes conuersasque propositiones, quas calamus et lingua distinguit, si pure sint mentales, coincidere: inque syllogismo intellectuali vtramque praemissam coëxistere, adeoque denominationem locum habere in vocibus et scriptis, non in mente: et quia omnes syllogismi, imperfectos quos vocant, aut conuersione terminorum, aut praemissarum transpositione ad perfectos reduci possint, ideo in intellectu nonnullos esse imperfectos: vnicum vero et simplicem syllogismum mentalem concinnatum in Barbara esse vertumnum quendam logicum, quendam Proteum dialecticum, qui ad viginti et triginta etiam formulas et modos vocaliter possit reduci. Et hinc summam intellectus potentiam et summam linguae impotentiam nosci posse. Talia multa in reformatore dialectico se comprehendisse innuit. Huic subiicit seueram argumentandi methodum reformando abusui haud paucarum vniuersitatum destinatam; item paralogicam, quae entia rationis extare negat, et illa sola esse entia labii monet, vt semel proscribantur a gymnasiis chimaerae et figmenta rationis, et securiores nascantur consequentiae. A logica ad metaphysicam progressus, metalogicam constituit, in qua vniuersalium et praedicabilium doctrinam explicat; illi comitem iungit philosophiam primam, in consideratione et examine primorum principiorum et axiomatum ex iis enatorum occupatam: itemque metaphysicam puram, quae systematis praedicamentorum coordinationem et contextum tradit. In ea disciplina scholam instituit nominalem, explicandis nominibus philosophicis et detegendis innumeris logomachiis in philosophia et theologia destinatam, tum realem, ens variis modis realibus inter se distinguentem; porro modalem, formalem, expressiuam, negatiuam, actionalem, localem, magneticam et chemicam. In ea, vt specimen, Lector, habeas nouae philosophiae, Scholasticae agit de ente chemico, eius praedicamentis decem, de principiis et causis chemicis,

de

de coelo et mundo chemico, de anima vegetatiua, ſenſitiua et rationali chemice conſiderata, immo de theologia quoque et vaticiniis chemicis, ex quibus intelligatur, in ordine rerum immaterialium dari aliquid ſpirituale, quod ſit analogum luci corporeae. His addit παραδοξώτερα ſcholam infinitam, circa infinitatem, immenſitatem et aeternitatem occupatam; ſcholam euchariſticam, ſacramentum venerabile philoſophice conſiderantem, ſcholam miraculoſam, et ſcholam deiformem. Verum nec ab heterodoxa metaphyſica conſiderandisque atque refutandis philoſophorum ſyſtematibus phyſiologicis abſtinuit, et hiſtoriam philoſophiae criticam promittit: iudicaturus de Democrito, Empedocle, Pythagora, Platone, Ariſtotele, Virgilio, Thoma, Scoto, Lullio, Ramo, Paracelſo, Lorca (quem inter Ciſtercienſes Hiſpanos in pretio eſſe et propter dogma de gratia et peccato, totam dialecticam, phyſicam et metaphyſicam, immo vtramque theologiam, naturalem et moralem alterare dicit.) De Ioanne Marco, Mannagetta, Carteſio, Helmontio, Valeriano, aliisque. Inter quas eius cenſuras ſunt nonnullae, quae ſatis probant, non defuiſſe Caramueli ingenium excellens, et multam veri cognitionem, qua plus praeſtitiſſet, ſi obruere multitudine rerum et nouaturientis animi luxuria iudicii aciem noluiſſet. De Ariſtotele enim pulchre: *In magno tametſi olim honore apud ethnicos, apud catholicos damnata fuerunt eius dogmata, proſcriptaque ab ordinibus religioſorum, et quia humana omnia caduca, et inconſtantia, iterum reuocata et euecta a Scholaſticis, ſed tandem iterum excuſſimus ſeruile iugum, et veritatem vnam potius hodie, quam totum Peripatum curamus.* De Carteſio autem, tum vix ſurgente vaticinatur, *pauculis opinionibus decircinatis aut ſublatis, ceteras irrepere, et fore aliquando communes.* Sed et reliquae eius cenſurae legendae ſunt, dignae quae excutiantur, quaeque ſatis probant, Caramuelem plus valuiſſe in iudicandis aliorum opinionibus, quam propriis iudicio ſubigendis. Metaphyſicam ſequitur phyſica, quam conſtituit naturalem, elementarem, coeleſtem meteorologicam, vegetatiuam, ſenſitiuam, humanam, angelicam, mediam, diuinam, et mathematicam. Et ſimili fere modo moralem philoſophiam ordinat, ita vt orthographiam moralem, grammaticamque moralem faciat, vbi declinationes, coniugationes, caſus, numeri, tempora etc. moralium occurrunt. Grammaticam quoque ſacramentalem excitat, faſſus, plerasque diſputationes ſacramentales eſſe grammaticas. Tum theſaurum moralem, logicam moralem, ad leges et regulas primum reductam, praxin iudicialem, metaphyſicam moraliter examinatam, phyſicam et medicinam moraliter examinatam: politicam ſpeculatiuam et hyperethicam, in qua de virtute, peccato, beatitudine, poena et Deo tractatur. Et ab his demum ad theologiam tranſit. Quam ideam ſyſtematis Caramuelis accurate conſiderantes reapſe id ſperamus pronunciaturos eſſe, quod ſupra de Caramuele diximus.

§. XIII.

Scholastici ex societate Iesu.

§. XIII. Maxime vero inter ordines religiosos, qui Romanae ecclesiae subiacent, societas, quae Iesu nomen gerit, in hoc philosophiae genere magnam famam meruit. Ea enim vt literaturae genus omne, ita philosophiam quoque docere a moderatoribus iussa, reliquorum diligentiam propagandaeque eruditionis studium multis se superasse parasangis dudum sibi visa est. Multum hac gloria superbit, qui *Apologiam pro societate Iesu* scripsit PETRVS STEVARTIVS [r], ipse ab iis, quibus talia cordi sunt, legendus, conferenda autem, quae passim ex hac ipsa ecclesia viri docti monuerunt [s]: nobis enim haec prolixe exponere institutum vetat. Illud laudi celeberrimae societati merito tribuendum, praeclare illam de Scholastica philosophia et theologia meruisse, et superare eam reliquos ordines numero philosophantium. Magnum vero eorum catalogum texere heic liceret, si Scholasticae philosophiae historia esset scribenda: verum generali tractationi insistentes celebriores tantum nonnullos adducemus; reliquos enim facile huius particulae historiae literariae cupidus ex PHILIPPI ALEGAMBE, PETRI RIBADENEIRAE et NATHANAELIS SOTVELI *Bibliotheca scriptorum societatis Iesu*, quos praecipue auctores sequimur, discet. Praeripuerunt autem aliis philosophiae Scholasticae laude famam Petrus Hurtado de Mendoza, Gabriel Vasquez, Paulus Vallius, Balthasar Tellez, Franciscus Suarez, Franciscus Toletus, Antonius Rubius, Franciscus de Ouiedo, Rodericus de Armaga, Franciscus Alphonsus, Franciscus Gonsalez, Thomas Comptonus, Ioannes Baptista Ricciolus, et collegium Conimbricense, celeberrima inter suos nomina. De quibus singulis strictim quaedam dicemus, ne eorum merita in Scholasticam philosophiam vilipendisse videamur.

Petrus Hurtado de Mendoza.

§. XIV. PETRVS HVRTADO DE MENDOZA Hispaniae prouinciam Biscaiam natale solum habuit. Susceptis in societate Iesu votis anno MDXCV, philosophiam primo Pampelonae, deinde theologiam Valdaleti et Salmanticae triginta annos docuit, munere simul qualificatoris quem vocant, siue censoris sacrae inquisitionis functus, denatus anno MDCLI. Scripsit *Commentarios in vniuersam philosophiam*, teste ALEGAMBE [t] sexies recusos, ex quo prima vice anno MDCXXIV prodiere. Magnae illum inter suos auctoritatis esse, inde intelligitur, quod passim ad eum alii prouocent. Non confundendus autem est cum aliis huius nominis, et imprimis, qui celebre quoque nomen eruditione theologico-Scholastica sibi comparauerunt, Antonio de Escobar Mendoza, Petro Gonzalez, Ferdinando et Francisco de Mendoza, Didaco Hurtado comite de Mendoza, cui plurimum inter Hispanos debent elegantiores literae et matheses, et cum aliis, quorum notitiam suppeditabit NICOLAVS ANTONIVS [u]. Συμπατριότην is habuit GABRIELEM VASQVEZ inter celeberrimos philosophos et theologos suae scholae numerandum. Natus

Gabriel Vasquez.

r) pag. 42. s) Vid. inter plura alia Auis aux plenipotentiaires a Soisons. t) pag. 677. u) In Bibliotheca Hispanica noua Tom. II.

tus is Bellomontii, in Complutensi academia philosophiam et theologiam didicit, et ob ingenii et eruditionis praestantiam vix XXV annos natus, vtramque in eadem schola docuit, variisque collegiis etiam Romae professor datus est, rebus humanis ereptus, Compluti an. MDCIV quinquagenarius. Quanta philosophicae et theologicae eruditionis laude atque existimatione inter suos vixerit, ex elogiis larga manu a SOTVELO [x] suppeditatis discimus. Inter *opera* eius *Tomis X* comprehensa extant etiam *Disquisitiones metaphysicae*, separatim quoque Antverpiae [y] excusae, in quibus eas potissimum disputationes metaphysicas persequitur, quae ad theologiam solent transferri; vnde magna subtilitate quoque de Dei existentia, de vnione personali, de duabus naturis in Christo, de distinctione personarum in diuinis, deque similibus agit. In his more suorum alios Scholasticos nonnunquam refutat, si non solidiora, certe subtiliora et acutiora ipse daturus [z].

§. XV. PAVLVS VALLIVS Romanus fuit, vbi in Iesuitarum collegio philosophiam et theologiam docuit, deposuitque mortalitatis exuuias Perusii anno MDCXXII. Acumen philosophicum autem demonstrauit in *Commentario in Logicam Aristotelis*, *Lugduni* [a] edito, in quod vastissimum opus eum coniecisse omnium pene Scholasticorum dogmata, ea quoque diligentissime contulisse et congessisse ait MORHOFIVS [b]. Editurus etiam erat similes commentarios in reliquas philosophiae partes, sed morte praeuentus exsequi consilium non potuit [c]. *Paulus Vallius.*

In Lusitania Olyssipone editus est BALTHASAR TELLEZ, an. MDXCV, qui in patria primo quidem rhetoricam, mox philosophiam, et deinde theologiam docuit, prouincialis quoque ordinis sui per Lusitaniam factus, praefuitque rector collegio in patria cum fatis concederet anno MDCLXXV valde senex. Docuisse etiam in Academia Conimbricensi auctor est MORHOFIVS [d], qui valde laudat eius *Summam philosophiae vniuersae*, ab ANTONIO BERTIERIO editam apud Parisienses [e], eo quod vsum in theologia habeat, quoniam immiscuerit quaestiones theologicas, quae illo tempore inter philosophos quoque agitabantur. Thomam autem vbique secutus, Scholasticorum sequiorum sententias iunxit, et spinoso argumento aliquid elegantioris literaturae, praecipue in physica adsperfit. Magna porro ingenii atque eruditionis celebritate inter Hispanos vixit FRANCISCVS SVAREZ, Granatensis, nobili genere anno MDXLVIII editus, qui cum iurisprudentiae se tradere cupiuisset, ad Iesuitarum societatem pertractus est, hocque stadium inuitus initio ingressus magna postea felicitate et eruditionis celebritate emensus est. Magno enim applausu philosophiam et theologiam Segouiae, Romae, Compluti, Salmanticaeque *Balthasar Tellez.* *Franciscus Suarez.*

x) p. 272.
z) Conf. MORH. l. c.
a) 1620. fol.
y) 1618. 8.
b) Loc. cit.
c) Bibl. Soc. I. p. 655.
d) l. c. p. 95.
e) 1644. Vol. duobus.

caeque docuit, tandemque a Philippo II ad Conimbricenſem cathedram vocatus, Eboraeque theologiae doctor creatus viginti annos publicus profeſſor inclaruit, tantis elogiorum plauſtris oneratus, vt pene ſupra humani ingenii modulum extolleretur: vt ex iis diſci poteſt, quae collegerunt *Bibliothecae ſcriptorum S. I.* auctores. Recte vero in eo, quam raro exemplo demonſtrauit, modeſtia literaria laudatur, cuius ſpecimen eſſe poteſt, quod ſcripta ſua, antequam ederentur, diſcipulis legenda et examinanda tradiderit, quodque ab amaritudine et dicacitate ſibi temperauerit. Adeo vero meditationibus intentus fuiſſe dicitur, vt fere extra ſe raperetur. Obiit ſeptuagenarius anno MDCXVII. Frequenter autem ſcripta eius philoſophica ab iis leguntur, qui hoc philoſophiae genere delectantur. Inter ea ſunt *Diſputationes metaphyſicae* multoties recuſae. Diligentiae laudem ei vindicant XXIV tomi ſcriptorum, quorum ſyllabum exhibet ALEGAMBIVS *f*. Plura de eo praeter ANTONIVM *g* MIRAEVM *h*, MORHOFIVM *i* aliosque dabit, qui vitam eius conſcripſit ANTONIVS IGNATIVS DESCAMPS *k*.

Franciſcus Toletus.

§. XVI. Porro inter Ieſuitas Hiſpanos eminuit FRANCISCVS TOLETVS, Cordubenſis, qui vitalem auram primum hauſit anno MDXXXII. Dominicum Sotum in Salmanticenſi academia praeceptorem nactus, iunctis diligentiae et ingenii praeſtantiſſimi viribus in philoſophiae Scholaſticae myſteria tam cito tamque feliciter penetrauit, vt annos viginti tres natus in eadem ſchola philoſophiae tradendae ſufficeret. Delecta anno MDLVIII ſocietate Ieſu, recens tum condita, Romam ire iuſſus eſt, philoſophiam Ariſtotelico-Scholaſticam, poſteaque theologiam Thomiſticam traditurus, quod vtrumque magno applauſu factum eſt, illique celeberrimam famam peperit. Facundia quoque memorabilis Pio V, P. M. eiusque ſucceſſoribus per XXIV annos a concionibus ſacris fuit, prudentiamque et fidelitatem tanto ſtudio et feruore ſedi Romanae comprobauit, vt non modo pontificis legatus ad Germanos et Polonos mitteretur, ſed et cardinalium collegio adſcriberetur *l*, vnde eius notitiam dare ſolent, qui literariam purpurae eccleſiaſticae hiſtoriam ſcripſerunt. Vix vero annum vnum iſto axiomate coruſcauerat, cum conſilium caperet illo ſe abdicandi, prohibitus tamen a pontifice eſt, qui frequenter eius conſiliis vtebatur. Tandem naturae debitum exſoluit anno MDXCVI, tum ob dignitatem, tum ob eruditionem magnificis laudibus elatus. Inter quae eius encomia dignum eſt lectu, quod ei ſcripſit IAN. NIC. ERYTHRAEVS *m*, qui imprimis perſpicuitatem eius laudat, et obiiſſe ait, multis aureorum millibus relictis. Inter ſcripta plurima, quae magna eruditionis laude edidit, ſunt etiam *Introductio in logicam*, *commentarius in vniuerſam*

f) Loc. cit.
g) loc. cit.
h) De Script. Sec. XVII. p. 285.
i) Loc. cit.
k) Edita eſt Perpignani 1671. 4.
l) Intuliſſe ſocietati hunc honorem primus, dicitur in eius epitaphio apud MIRAEVM l. c. p. 236. et SCHOTTVM Bibl. Hiſp. T. I. p. 296.
m) Pinacothec. I. p. 136.

sam Aristotelis logicam, *libri octo de physica auscultatione*, *libri duo de generatione et corruptione*, *libri tres de anima;* in quibus cum non scholastice modo, sed Peripatetice philosophari constituerit, magnam eo nomine gratiam apud Aristotelicae philosophiae amatores iniit [n]: quemadmodum, *Summa casuum conscientiae* inter scripta moralia Romanae ecclesiae vehementer laudari solet [o]. Toleto ex eadem Hispanorum gente iungimus ANTONIVM RVBIVM, Compluti Iesuitarum societati an. MDLXIX aggregatum, in qua literarum sede primo philosophiam docuit. Missus postea in Indiam Occidentalem, in Metropoli Indiae australis, Mexicana vrbe, triennio philosophiam, et duodecim annos Thomisticam theologiam professus est. Redux summis theologiae honoribus auctus Compluti reliquos vitae dies docendo exegit, fatis concedens anno MDCXV. Dignus ideo, qui memoretur, quod eius imprimis opera Scholastica philosophia inter Americae gentes personuerit. Inde enata *Logica Mexicana* ab eo edita, librique physici *de auditu*, *de coelo et mundo*, *de generatione et corruptione et de anima.* De quibus eius scriptis eorumque editionibus videsis ANTONIVM, RIBADENEIRAM, MORHOFIVM in libris notissimis.

Antonius Rubius.

§. XVII. Fuerunt et alii inter societatis Iesu philosophos, qui ex Hispania oriundi in hoc eruditionis genere palmam reportarunt, Laudatur eo nomine RODERICVS DE ARRIAGA Lucronensis ex Castilia natus anno MDXCII. Is philosophiam Valdoleti et Salmanticae docuit; a superioribus autem in Germaniam missus [p], in vniuersitate Pragensi Scholasticae philosophiae mysteria tredecim annos tradidit, duodecim annos cancellarii munere, et viginti annos praefectura generali studiorum vsus. Romam ter missus apud Vrbanum VIII, Innocentium X, gratiosus et Ferdinando III imperatori quoque charus fuit. Mortalitatem deposuit Pragae anno MDCLXVII [q], relicto *Cursu philosophico et theologico Lugduni* [r] edito. Curiosius elegantiusque hoc opus scriptum esse iudicat MORHOFIVS [s], quam ceterorum in hoc genere, praesertim cum ad obseruata recentiorum respiciat, exemplum Francisci Suarezii secutus. Quibus addimus, eum recentiorum obseruationes non modo consuluisse, sed multoties quoque adhibuisse probauisseque, repudiatis Scholasticorum opinionibus. Quas licet, praecipue in physicis, haud raro dimisisset, methodum tamen Scholasticorum vbique adhibuit, nempe vt obiectionum pondera exponeret, et ad illas responderet. Quod cum interdum minori felicitate feciſſet, occasio inde enata PETRO DE VILLEMANDY [t], eum Pyrrhonismi reum agendi,

Rodericus de Arriaga.

n) Vid. MORHOF. l. c. p. 90.

o) Vid. Io. FRID. MAYER Bibl. script. theol. Moral. pontif. p. 107.

p) Eo tempore fimbrias suas valde societas in Bohemia dilatauerat, occupatis monasteriis, quae restitui iusserat edictum Ferdinandi II, qua re magnam sibi apud alios ordines inuidiam conflauit. Vid. Theologie morale des Jesuites p. 69 seqq.

q) AERGAMBE p. 728. ANTON. p. 219. BAYLE T. I. art. Arriaga p. 353.

r) 1669. fol.

s) Loc. cit.

t) Scepticisme debell. c. 2. p. 13.

eo *quod in philosophicis et theologicis scriptis ita singula quaeque tractet, vt aliorum fere omnium opiniones variis rationibus infirmare studeat, suas autem leuissime fulciat.* Verum perperam hoc ei obiici recte obseruauit PETRVS BAYLE [u], cum id praeter intentionem et opinionem suam illi acciderit: nec rarum quoque est inter Scholasticos, qui cum more suo innumera dubia nectant et congerant, ita interdum mole obiectionum obruuntur, vt responsionum exitum et pondus vel ipsi non videant, vel lectores tamen non perspiciant. Illud sane dolendum, virum acutum et doctum, cui recentiorum philosophorum obseruationes non sine cura lectae et obseruatae sunt, maluisse in dumetis Scholasticis haerere, professionis suae vinculis impeditum, quam saniorem philosophiam sequi. Multus ideo in eo notando fuit Ioannes Marcus Marci.

Franciscus Alphonsus.

§. XVIII. Inter huius quoque religionis sodales ex Hispania oriundos celebratur FRANCISCVS ALPHONSVS, Complutensis doctor, vbi post philosophiam duodecim annos theologiam docuit, tantamque in tradenda philosophia auctoritatem obtinuit, vt eius philosophica scripta in omnibus fere huius societatis collegiis obtinerent. Edidit *Cursum philosophicum* quinque tomis constantem, quorum primus summulas, secundus logicam, tertius physicam, quartus libros de generatione et corruptione, quintus libros de anima et quaestiones metaphysicas complectitur. Ex qua distributione librorum intelligitur, Aristotelem eum ducem, sed more Scholastico sibi delegisse [x]. Comitem huic damus FRANCISCVM GONSALEZ, Sanctae crucis natum, qui diu in collegiis sui ordinis Hispanicis philosophiam professus est, Romam postea vocatus, vbi poenitentiarii pontificii munere functus est, denatus anno MDCLXI, relicta *Logica tripartita, vocali, reali, rationali, ex mente Aristotelis, S. Augustini et Thomae, itemque, philosophia, de physico auditu, et metaphysica*, quae vno fasce comprehensa [y], *cursum philosophicum* constituunt. His vero Hispanis philosophis CONIMBRICENSE COLLEGIVM addendum est, ex Lusitaniae Iesuitis enatum. Eorum enim nomine vsus EMANVEL GOES S. I. edidit *Commentarios in libros Aristotelis physicorum, de coelo, meteororum, ethicorum, paruorum naturalium, de generatione et corruptione, et de anima* [z]. Quibus accesserе *Commentarii in logicam Aristotelis* a SEBASTIANO CONTO confecti, et *problemata, quae in collegii Conimbricensis physicis commentariis enodantur* [a]. In quibus commentariis Conimbricensibus eruditionem Peripateticam merito laudes, doleas autem eam Scholastico acumine et subtilitatibus fuisse deformatam.

Franciscus Gonsalez.

Conimbricenses.

Thomas Comptonus.

§. XIX. Non Hispaniae modo hanc ingenii Scholastici subtilitatem datam fuisse, sed inter alios quoque populos pari felicitate societatem hanc

u) l. c. not. B. p. 353. x) Vid. citati. y) Romae 1639. 1645. 1655. 4. z) Colon. 1599. Mogunt. 1600. 4. a) Mog. 1601.

hanc in isto stadio cucurrisse, facile exemplis probari posset, si Gallorum, Germanorum, Italorumque collegia, in quibus huius ordinis sectatores vbique philosophiam profitentur, peragrare animus esset. Verum inutilis is in iucundusque labor est. Duos nobis enarrasse sufficiet, THOMAM COMPTONVM Carletonum, Britannum et IOANNEM BAPTISTAM RICCIOLVM. Ille Cantabrigiae in lucem editus, Audomaropoli elegantiores literas, Leodii autem philosophiam et theologiam docuit, denatus anno MDCLXVI. Is *Promethei Christiani* nomine disciplinam moralem explicuit [b], librosque *de vniuersa philosophia* [c], edidit. Riccioli vero nomen inter mathematicos recentioris aeui celeberrimum extitit. Nam et de astronomia praeclarissime meruit, de quibus tamen meritis eius in matheseos historia edisserendum est, et philosophiam quoque tetigit. Non contemnendam enim tractationem *de distinctionibus entium in Deo et creaturis* scripsit, acumine Scholastico plenam. Natus Ferrariae anno MDXCVIII, philosophiam Bononiae, Parmaeque docuit, priori loco defunctus anno MDCLXXI [d]. Praeter hos, plurimos enarrare Societatis Iesu scriptores, qui de philosophia Scholastica praeclare meruerunt, in procliui esset, si his lautitiis Lector esset detinendus. Verum haec nobis ad grauiora properantibus praetermittenda sunt. Dabit *Index materiarum* qui *bibliothecae scriptorum societatis Iesu* subiunctus est, scriptores logicae, physicae, metaphysicae [e], philosophiae vniuersae, ethicae, politicae, oeconomicae, quem consulere oportet, qui his delectatur, et copiosiora desiderat.

§. XX. Neque tamen, dum hunc Scholasticorum philosophorum catalogum ex societatis Iesu scriptoribus conteximus, putandum est, ita destitutam fuisse illustrem societatem sensu philosophandi exquisitiori, vt non ingenia exhibuerit, quae pulchrius comtiusque philosophari fuerint aggressi. Facilis enim labor esset, eorum non iniucundum dare syllabum, praesertim ex Gallicanis collegiis, in qua gente maturius desipere coeperunt cordati viri. Verum haec non ad philosophiae Aristotelico-Scholasticae historiam pertinent, sed ad reformatae eclecticaeque, et ideo heic locum non habent. Vnum ex Germania nostra philosophum adducimus, in qua semper rigidiori studio adhaesit Scholasticae philosophiae societas ista, FRANCISCVM RASSLERVM, Dillingensium professorem, virum doctissimum et philosophiae sobriae valde addictum. Qui cum aperte suae familiae semitas in philosophando relinquere reformidaret, problematica methodo adhibita Aristotelem et Empedoclem in naturali philosophia ita inter se commisit [f], vt haud obscure cautis et attentis pateret, eum philosophiae corpuscolari fauere, et elementare scholae Pythagoricae systema, quale formauit Empedocles, restituere reformareque

Societas Iesu a melioris philosophiae sensu non tota destituta.

Franciscus Rasslerus.

b) Antverp. 1652. 8.
c) Ibid. 1649. fol.
d) Bibliothec. societ. Iesu p. 416.
e) cap. XII.
f) Edito problemate physico inter Aristotelem et Empedoclem controuerso Dilingae 1685.

fuisse aggressum. Vidisse autem hunc acutissimum virum vanitatem Scholasticae philosophiae, vel ex vna dissertatione *de entibus superfluis* liquet, in qua nomina nihili, et queis nulla in philosophia res respondet, et sine mente sonos ex philosophorum, praecipue, naturalium Schola eiicit, meliorique ratione sapere docet.

Aliorum ordinum Scholastici praetermissi.

§. XXI. Hi ex dictis ordinibus religiosis praeter alios in philosophia Aristotelico-Scholastica inclaruerunt philosophi. Aliorum ordinum diligentiam in eodem stadio absoluendo non desiderari supra iam innuimus, facilisque labor esset, complures athletas adducere, qui in hac arena desudarunt, e. g. ex Carmelitarum discalceatorum auctorem *Collegii Complutensis*, siue *disputationum in Aristotelis dialecticam*, *philosophiam naturalem*, *libros de anima et metaphysicam*, qui est BLASIVS A S. CONCEPTIONE: et eiusdem ordinis sodalem PHILIPPVM A SS. TRINITATE, qui *Summam philosophicam ex mera Aristotelis et Thomae doctrina, iuxta legitimam Scholae Thomisticae intelligentiam* edidit etc. [h] Ast cur hos similesque omittendos in hac nostra tractatione censeamus, supra rationes luculentas exposuimus, rati tam friuole Lectoris patientia abutendum haud esse. Facile restinguet sitim, qui plura haurire cupit, ex scriptoribus historiae literariae Ordinum religiosorum, qui eiusmodi scriptoribus scatent. Quaedam ex iis, licet extemporali tantum diligentia, cumulauit MORHOFIVS [i], quae tamen sufficere possunt, libare magis has cupedias, quam deuorare cupienti.

Parum ex hoc studio emendata philosophia Scholastica.

§. XXII. Emendatam fuisse philosophiam Scholasticam et in meliores pulchrioresque vultus reformatam, persuadere nobis forte possit magna virorum doctissimorum, quam in ea excolenda recentiori aetate posuerunt, diligentia, cum ingenio et acumine iudicii non destituerentur. Verum omnia alia eueniisse, eundemque inuenustum foetum, si pauca quaedam excipias, remansisse, candide fatendum est. Id quod nemo magnopere mirabitur, qui ad ea recte attenderit, quae in *antecedente Tomo* de natura, indole et constitutione philosophiae Scholasticae diximus.

Causae eius rei.

Nempe arcte cohaerere philosophiam et theologiam Scholasticam, sororioque inter se vinculo iunctas, ex vno quasi sanguine concreuisse, iisdemque parentibus genitas, mutuas sibi manus porrigere, ne ipsi forte vtriusque cultores negabunt, certe historia philosophica et ecclesiastica manifestissimis testimoniis euincit. Vna itaque mutata, alteram quoque mutari necesse erat. Ast mutari theologiae Scholasticae faciem, e re horum hominum non erat, qui et sacramenti, quod professi erant, religione, et status hierarchici emolumento constringebantur, vt eam sacrarum doctrinarum faciem, quam theologia Scholastica finxerat, vtilitas confirmauerat, auctoritas Romanae aulae sacram fecerat, quantis possent viri-

g) Ibid. 1685. h) Conf. MORHOF. l. c. p. 99. i) Loc. cit.

viribus laboreque indefeſſo conſeruarent. Ita vero Scholaſticae quoque philoſophiae proſpectum erat, ſine qua natare in iſto pelago non licet: haecque προπαιδεύματα illis inculcanda erant, quibus velut προμάχοις olim vtendum erat ad tuenda recepta eccleſiae dogmata. Hinc tot exempla magni inter nouos Scholaſticos numeri, qui theologiam et philoſophiam inter ſe iungentes vtramque in celeberrimarum academiarum cathedris publica voce tradiderunt, Ariſtotelemque Scholaſticum Thomae Scotoque iunxerunt, hoc duumuirorum inter Scholaſticos celeberrimorum exemplum ſecuti. Non inficiandum quidem inter hos ipſos, de quibus loquimur, viros doctos, fuiſſe nonnullos, qui oculos aperuerunt, quibusque diſplicuit barbaries Scholaſtica, adeoque ad comtiorem faciem reuocare Scholaſticam philoſophiam conniſi, vel Scholaſticos emendarunt, vel nitidius loqui, et elegantius philoſophari docere conati ſunt. Huius generis non vnum recentioris aeui literaria nobis exhibet hiſtoria. Hanc viam ſeculo XVI ingreſſus eſt ANTONIVS POLVS, Venetus, qui publici iuris fecit, *Nouum veritatis lumen in Libb. Ariſtotelis de anima, a nullo vnquam Peripatetico ita perfecte cognitum.* In eo enim libro Ariſtotelem cum interpretibus, maxime ex Scholaſticorum grege conferre, hosque, ne Thoma quidem Scotoque exceptis reprehendere emendareque ſatagit. Verum parum eum promouiſſe, arctius Ariſtotelis veſtigiis inſiſtendo, vel ex vna eius, quam edidit *Digreſſione de circulo lacteo, in defenſionem Ariſtotelis, aduerſus omnes Peripateticos* [k] patet, in qua contra Scholaſticos pro Ariſtotele pugnans circulum lacteum inter meteora referendum eſſe contendit. Quod quam frigidum ſit, quam ineptum, vel pueri norunt aſtronomiae rudimenta edocti. Aliam viam ſeculo XVI ingreſſus eſt HONORATVS FABRI, ex ſocietate Ieſu philoſophus doctiſſimus, qui Bellici apud Bugienſes in Gallia natus anno MDCXXVI, ſocietati Ieſu votis ſe mancipauit, Lugdunique philoſophiam ſex, matheſin octo annos docuit, poſtea vero in aulam Romanam vocatus, poenitentiarii pontificii in baſilica Vaticana munere functus eſt, et ſuperiori ſeculo expirante obiit [l]. Huic debemus, *Philoſophiam vniuerſam per propoſitiones digeſtam cum ſuis momentis rationum* [m], itemque *logicam analyticam* [n], *metaphyſicam demonſtratiuam* [o], *dialogos phyſicos de motu terrae et marino aeſtu* [p], item *phyſicae, ſeu rerum corporearum ſcientiae tomos V,* [q] aliaque enarrata a SOTVELO [r]. In his aliam, et diuerſam a Scholaſticis philoſophandi viam ingreſſus eſt philoſophus Gallus, qua nec Ariſtotelem contemnit, nec Scholaſticos negligit, ſed vtriusque potius philoſophiae ſe attemperat, ita tamen, vt recentiores quoque conſulat, exque eorum, maxime Carteſianorum, obſeruationibus lucem inferre Scholaſticae philoſophiae conetur, oſtendens, in quibus conueniant, in quibus diſcrepent, quaque ratione conciliari poſſint.

Tentata emendatio

ab Antonio Polo

et Honorato Fabri.

k) Venet. 1578.
l) Bibl. ſcriptor. S. I. p. 350
m) Lugdun. 1646. fol.
n) Ibid.
o) Ibid. 1648.
p) Ibid. 1655.
q) Ibid. 1669. 1670. 4.
r) Loc. cit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſint. Ita vero nec Scholaſticam philoſophiam emendauit, et ad ſalubriora conſodales reuocare potuit, qui Carteſianiſmi eum ſuſpectum reddentes, (qui illo tempore adhuc recens vehementer Ieſuitarum ſodalitio inuiſus fuit, vt infra dicendum) valde eius diligentiam improbauerunt, ita vt coactus fuerit *tribus epiſtolis*, *de hypotheſi ſua philoſophica* [s], contra eorum accuſationes ſe defendere: nec meliorem philoſophiam ſectantibus placuit, qui licet laudauerint, quod Ariſtotelem Scholaſticorum Arabumque deliriis antepoſuerit, culpauerunt tamen, quod ea magis referat, quae Stagiritam dicere debere cenſuerit, quam quid dixerit. Id quod ſyncretiſtis, qualem ille ſe praeſtitit, plerumque euenire ſolet [t]. Nec in morali philoſophia melior ei ſors obtigit, cum aduerſus Antonii Arnaldi et ſociorum inſultus *doctrinam moralem*, *quae ſocietati imputari* obiiciqué *ſolet*, ſcripto *Apologetico* [u] *dimicaſſet*. Ipſe enim SOTVELVS [x] refert S. congregationem indicis libellum hunc inter prohibitos retuliſſe, quae quoque cauſſa fuit, cur *notis ad notas Wilhelmi Wendrockii ad Ludouici Montaltii literas et ad diſquiſitiones Pauli Irenaei*, quae ſub nomine fictitio BERNARDI STVBROCKII *Apologetico* eius iunctae ſunt, nomen denegauerit ſuum, eo quod in ſimilem cenſum Romae relatae eſſent. Ex hoc vero exemplo luculenter patet, male ceſſiſſe illis induſtriam ſuam, qui in pingendo, ornando, emendandoque hoc foetu philoſophiae monſtroſo operam collocauerunt ſuam. Fatendum tamen Carteſianiſmi et Gaſſendiſmi famam atque celebritatem coëgiſſe Scholaſticos recentiores nouae horum philoſophorum elegantiae aliquid dare, eorumque opprobriis ita cedere, vt nonnulla pulchrius dicerent, dogmata quaedam problematice tantum affererent, et praecipue in doctrina naturali meliorem viam ingredi inciperent, id quod faſſus eſt, et iucunde enarrauit in lepidiſſima contra Carteſium ſatyra P. DANIEL [y]. Nihil tamen in ipſa Scholaſticae philoſophiae natura et conſtitutione immutatum, ſed cum elegantius loqui, et noſtri temporis humanitatem ſpirare edocta eſſet, eo ipſo nomine commendata eſt, nouisque encomiis ita elatum hoc Palladium, vt omnes intelligerent, eſſe e re certorum hominum, haec ſacra accurate ſancteque conſeruari. Quod ne inuidioſius, quam par erat, dictum videatur, legenda eſt elegantiſſimi ſermonis doctrinaeque viri FRANCISCI VAVASSORIS, S. I. quo non caſtiorem dicendi Latineque ſcribendi magiſtrum, et humanioris diſciplinae defenſorem ſocietas Ieſu habuit, oratio [z], *quid ſcripturam Scholaſtice iuuet*. In ea enim vir diſertiſſimus, quod vix oculis credas tuis, omnes ingenii neruos et eloquentiae Veneres colligit, vt demonſtret, vehementer Scholaſticam theologiam et philoſophiam commendari poſſe et debere, eo quod errores refellat, ordinate cuncta digerat, et perſpicue omnia proponat.

Quae

s) Mogunt. 1674. 4. has epiſtolas praetermiſit Bibl. S. I.

t) Vid. Cl. STOLLIVS Introd. in H. L. P. II. c. 4. §. 28. p. 520.

u) Lugd. 1670 ſeq.

x) Loc. cit.

y) Iter Carteſii per mundum P. III. p. 186 ſeq.

z) Extat ea inter Orationes miſcellas Or. X. Opp. p. 240 ſeqq.

Quae ita laudanda existimauit orator, vt in haec verba erumpat, digna sua quidem professione, sed indigna tantae eruditionis viro: *Ecce consecutis temporibus, singulari munere conceſſuque Dei exorta nobis est, diuina quasi lux et magistra intelligendi, quam Scholasticen appellant, quae sacra omnia primum dissoluta, et confusa, postea artificiose digesta componeret, ac theologiam, nondum digne satis vel tractatam, vel cognitam in honorem adduceret.* Certe mirum, haec ad inuidiam magnorum ecclesiae luminum, quae ante exortam disciplinam Scholasticam ecclesiae praefuerunt, scribere potuisse virum disertissimum, et tamen ita sui oblitum fuisse, vt in fine orationis, reuocaturus eam ad modestiam haec illam moneat: *Memento rem Christianam, cui ego te valde vtilem reor, tu fortasse nimium te necessariam putas, ipsa duodecim secula, et eo amplius, opera tua, industriaque caruisse, cum illa interim spatio toto et sua dogmata primo stabiliret, et deinceps omne genus errorum, qui alii ex aliis exisierent ac renascerentur elideret.* Tanti scilicet hic pullus nonnullis videtur, vt ob illum fouendum et vetera omnia, et ipsam veritatem negligendam esse putent. Quo tamen in argumento virum hunc elegantissimae doctrinae, vel oratoris tantum partes explendo, coloremque argumento quaerendo, vel societatis officiis contra animi sententiam satisfaciendo fuisse versatum, nobis est verisimillimum. Illud manifeste notum, regnare hodie in academiis Romanae ecclesiae addictis ineptum philosophiae genus, tantopere licet ab omnibus, quibus sanum iudicium est, explosum, cuius mille testimonia exhibent libelli academici, systemata philosophica, summulae logicae, theses ex vniuersa philosophia, et similia [a] quae, vt fungi, in his aruis enasci hodienum solent; indignantibus viris cordatis [b], ingenia haud raro praeclara et meliori philosophiae ac mansuetiori disciplinae aptissima his tricis naeniisque recti sensus et pectoris hominibus indignis per totam fere vitam detineri *. Immo tantas radices inuenusti foetus auctoritas egit, vt cum studii critici iucunditas, physicarumque obseruationum amoenitas, quaeque alia sunt disciplinarum genera, imprimis autem matheseos studium ingenia comtiora et elegantiora reddidissent, coacti tamen fuerint viri summi, et ab honestiori literatura laudatissimi pollicem inepto scientiae generi premere, suisque eam literis commendare. Quod licet incredendum videri queat, suo tamen exemplo comprobauit PAVLVS PELISSONIVS, quem vel pulchrioris disciplinae sensu, vel honestioris eruditionis copia, vel elegantioris literaturae notitia paucos habuisse eo tempore sibi pares, norunt, qui acta literaria euoluerunt, fassusque est acerrimus literarum iudex P. BAY-

a) Exemplum luculentum afferunt acta philos. Vol. II. p. 290.

b) Vid. Cl. IOSEPHI GRVNVVALDII Medici Bauarici vita Ioannis Adami Morafchii p. 3.

*) Legendae Vindiciae aduersus sycophantas Iuuauienses.

P. BAYLE c. Is enim neſcio qua vertigine actus, immemorque, quae contra barbariem Scholaſticam ex ſua natione declamauerint viri magni, et excelſi pariter animi atque iudicii recti, Proteſtantium coetus ideo, velut nanos et exigui ſenſus homunculos d exagitat, quod Scholaſticam theologiam et philoſophiam reiiciant, cum plurimum illi religio debeat, dogmata vero ea diſcutiat ſumma accuratione, perſpicuitate et certitudine, portasque elabendi occludat haereticis praeteritis, praeſentibus, futuris, ea vero, quae illi obiiciuntur, dedecora, caſu tantum accidiſſe ait, nec accuſari eorum poſſe, Scholaſticos illos quos ingenium elegans et excelſum, ſanctitas vitae et innumera in eccleſiam merita veneratione fecere digniſſimos. Quae omnia ita in ſequentibus vrget, vt abſtractionum, quaeſtionum in vtramque partem diſceptatarum, aliarumque nugarum toties a Romanae eccleſiae doctoribus, quibus candidius pectus et ſenſus accuratior fuit, damnatarum patrocinium contra Leibnizium ſuſcipiat, ad ſereniſſimam Proteſtantis coetus foeminam magna rerum doctarum notitia gaudentem ſcribens. In quibus vero vtrum contra popellum Proteſtantium gigantem ſe, vel vt Goliathum quendam contra Dauidem praeſtiterit, id quod in hac epiſtola affectauit PELISSONIVS, ſobriis mentibus expendendum relinquimus. Id vero fatemur, valde nobis ſuſpectum eſſe Peliſſonium, quod contra animi ſententiam ſcripſerit. Nimis enim manſuetioris diſciplinae et honeſtiorum literarum elegantiae erat innutritus, quam vt haec ex animo dicere potuerit. Neque dubitandum eſſe videtur, virum doctiſſimum, cum a Proteſtantibus ad Romanae eccleſiae caſtra transfugiſſet, et multis valde dubia et ſuſpecta eſſet eius conuerſio, ita ſcribere fuiſſe coactum, vt fidem clero Romano et praecipue Ieſuitis ac epiſcopis Gallicanis probaret, placeretque, defenſurus ἀκροπολιν ſui coetus, contra hoſtem Leibnizium, cuius ingenii excelſi magnitudinem et eruditionem vaſtam ſatis ſentiebat. Verum hoc ὡς ἐν παροδῳ; quae ea fini adduximus, vt clariſſimo exemplo pateret, qua ratione factum ſit, vt in tanta eruditionis et philoſophiae melioris luce Scholaſticae tamen nebulae durauerint, et ingeniis impoſuerint magnis et elegantiſſimis.

Spes tamen ſenſim madum hoc imminutum iri.

§. XXIV. Quamuis autem haec ita ad noſtra vsque tempora ſe habuerint, fatendum tamen, non abiiciendam ſpem eſſe, fore, vt hae tenebrae indies magis diſſipentur, fugatisque his ſpectris atque lemuribus redeat in ſcholas, vbi hactenus illi regnauerunt, philoſophia melior. Cuius lucis auroram, inſtantis diei praenuntiam, noſtra tempora paſſim etiam in gente noſtra, videre merito laetamur, et gratulamur patriae, in qua ſi non prorſus eiecta philoſophia Scholaſtica, melior tamen rationalis, naturalis et moralis philoſophiae doctrina in academiis Romanae eccleſiae addictis, paſſim locorum, etiam in monaſteriis emergit, et negligitur

c) Dict. T. III. art. Peliſſon. p. 641.

d) Le petit peupe dês Proteſtans. Ex hoc vngue leonem diſce; vid. Lettres de Mr. Leibniz et Mr. Peliſſon de la tolerance et des differends de la religion lettre II p. 268. ad calcem Miſcell. Leibniz. a IOACHIMO FELLERO editorum.

tur atque contemnitur Scholasticae philosophiae sterquilinium. Cuius caussae si hoc loco ob instituti nostri rationem enarrandae sunt, rationalis philosophiae cultura potissimum alleganda est, quae hoc seculo XVIII, ad quandam maturitatem succreuit, certatim in id connitentibus philosophis Gallis, Italis, Britannis, Belgis, Germanis, vt accuratae ratiocinationis regulas explicent, inanes et sine mente sonos vocesque cassas ex philosophia eliminent, accuratam demonstrandi viam, dudum a mathematicis receptam, philosophis commendent, incerta principia explodant, et quo pacto sobrie philosophandum, modesteque statuendum sit, exponant. Ita enim vanitas philosophiae Scholasticae tegi, et barbaries eius occultari amplius non poterat, sed oculos aperiri illis oportebat, qui paulo attentius philosophabantur. His accessit sermonis nitor atque splendor quidam et decora ratio in meditationibus animi declarandis adhibita, quae nostrorum temporum ingenia valde commendat, quaeque cum barbaris Scholasticae philosophiae sonis non concordat, eorumque taedium contemtumque necessario parit. Tertiam his caussam addimus, physicae experimentalis incrementa, regiis quoque sumtibus et illustrissimarum societatum philosophicarum industria promota. Ea enim tot obseruationum luce collustrata, ineptas vmbras et incerta Scholasticorum principia, abstractiones, potentias, formalitates, et similia ex orbe philosophico eiecit, effecitque, vt harum nugarum pudeat, quotquot philosophiae nomine se dignos reddere cupiunt. In ipsa quoque morali doctrina accidit, quod Scholasticae philosophiae deformitatem recentiori aetate detexit, et apud candidos viros in contemtum neglectumque adduxit. Nempe cum incertissima sequatur Scholastica philosophia in doctrina morali principia, eo quod nec Aristotelis ethica mores alios fingat, quam ciuiles, nec incertis disputationibus regi possint actiones humanae, illa autem ad argumentum morale traducta essent, lubricam quoque inde atque fluctuantem de actione morali tractationem exsurgere necesse erat. Ea cum valde sufficeret, ad ea dogmata incrustanda, quae regnare in scholis intererat, vt emolumentum inde sequatur amplissimum, dici non potest, quanta inde corruptio moralis doctrinae exorta sit, quamque pestilens prauorum dogmatum seges velut lolium efloruerit. Testes volumus ea, quae de peccato philosophico, de conscientia probabili, de methodo dirigendi intentionem, de reseruationibus mentalibus, de cogitationibus bonis, de attritione, et simili argumento morali in scholis tradita sunt e). Quae quantum impietatis horrorem viris acutis et seuerioris disciplinae pietatisque tenacibus ex ipso Romanae ecclesiae gremio incusserint, quam graues accusationes et denuntiationes ecclesiae pontificique factae inde enatae sint, quanto acumine et eloquentia se accusati purgare annisi fuerint, quibus actis publicis librisque pestilens malum confossum explosumque sit, quid publicae synodi, et nuper demum illustris Sorbo-

e) Conf. in compendio HEIDEGGERI Histor. papatus Per. VII. §. 283. p. 447 seqq.

na [f] de ea re ſtatuerint, hoc loco enarrari non poteſt, quamuis digna ea eſſet ſcena noſtra fabula, cum breuitas nobis, et limites poſiti obſtent. Vnde conſulendi annales eccleſiaſtici, eorumque virorum doctorum hiſtoria, qui ex inſtituto has controuerſias enarrarunt [g], et imprimis ſcripta in hoc argumento edita palmaria BLASII PASCALIS *Epiſtolae prouinciales*, contra Ieſuitas, et PIROTI atque DANIELIS *Apologiae pro Ieſuitis* [h] ſcriptae. Hac vero occaſione clariſſime apparuit, quos fructus foedos et immaturos ferat philoſophia Scholaſtica, et quam neceſſarium ſit meliora illi ſurrogare. Cumque iuris naturalis doctrinam vel plane neglexerint, vel incertiſſima methodo exiliter explicuerint Scholaſtici, reſtituta diſciplina nobiliſſima Hugonis Grotii, Samuelis Pufendorfii aliorumque ſummorum virorum iudicio, oſtenſaque praeſtantiſſima, quam in controuerſiis publicis et illuſtribus habet, vtilitate, inuitati ſunt in his academiis elegantiora ingenia vt neglectis tricis Scholaſticis, et inutilibus diſputationibus, quae vſum in republica habent plane nullum, meliora deligerent, et nouas huius diſciplinae inſtitutiones [i] conderent. Quibus praeſidiis, ſpes laeta eſt, philoſophiam Scholaſticam indies magis eiectum, ſaniorem et pulchriorem ſtabilitum iri.

* *

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIS GENVINAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM SECTANTIBVS.

§. I.

Philoſophia Ariſtotelica natiuo vultui reſtituta.

MIſeram et exſanguem philoſophiae Ariſtotelico-Scholaſticae faciem eſſe, et marcidos vultus referre, licet a magnis ingeniis comatur, pingatur, ornetur, ex hactenus dictis notiſſimum eſt. Quid igitur mirum, eam viris doctis diſplicuiſſe, indignamque viſam eſſe, cuius in amoribus delicias quaerat philoſophantium chorus? Hinc de meliori philoſophandi genere exorto ſeculo XVI diſpicere coeperunt fortioris pectoris et acutioris ſenſus eruditi, qui contemtis nugis Scholaſticis, quas cum nucibus relinquendas eſſe pueris ſtatuebant, ſolidiori ratione ingenio

f) Vid. Corpus morale Sorbonnicum, quod doctiſſimis obſeruationibus illuſtrauit et ſimul hiſtoriam literariam notiſſimae controuerſiae enarrauit Cel. CHR. MATTH. PFAFFIVS, Tubing. 1718. 4.

g) Vid. nominati a Io. FABRICIO Hiſt. Bibl. ſuae T. VI. p. 197. BVDDEO Sel. I. N. et G. praef. §. 5. et Iſagog. in Hiſt. theol. L. II. c. 4. §. 10. p. 712. Vie de Mr. Arnaud p. 145. BAYLE, in Arnaud. Nicolle, etc. PFAFFIVS l. c.

h) Entretiens de Cleandre et d' Eudoxe.

i) Tales nuper plaudentibus Muſis edidit Cel. Io. ADAM. ICKSTATTIVS.

ingenio satisfaciendum esse pulchre videbant. Horum vero pars fere maxima relicto tramite Scholastico, Aristotelem tamen sequi eiusque placita a Scholasticis vel non satis intellecta, vel corrupta misere et truncata restituere et ad genuinos magistri sensus reuocare coepit. Quod vix aliter fieri potuisse, magnam, quam in orbe literato obtinuerat Aristoteles, auctoritatem expendentibus erit clarissimum, causasque intuentes facili negotio intelligent, non difficile fuisse Aristoteli, seruare, quod inter philosophos obtinuerat imperium, nec ausos fuisse viros doctos in dubium vocare doctrinam tot seculorum consensu et applausu receptam, tot ingeniorum maximorum studio exultam. Neque vna modo ratio fuit, cur insanum praeiudicium, optimum philosophiae genus exhibere disciplinam Peripateticam, plerorumque animos fascinauerit, sed plurimae conspirauerunt causae, effeceruntque, vt qui omnium accuratissime secundum Aristotelem philosophabantur, optime quoque, reliquisque melius in stadio philosophico currere crederentur. Quae res digna est, vt paulo attentius consideretur, discantque rei ignari, qui fieri potuerit, vt tale philosophiae genus magnis ingeniis se probauerit, quod tot modis deficere, coruosque, quod aiunt, hiantes deludere maximorum philosophorum industria sole meridiano clarius demonstrauit.

Causae retentae et restitutae philosophiae Aristotelicae.

§. II. In his vero causis insignis quae seculo XVI obtinuit, venerationis Aristotelis detegendis imprimis ad antecedentia tempora respiciendum est. Reformandae enim philosophiae initia iam ante hoc seculum incidisse, extulisseque caput viros doctos, a quibus contemta est Scholastica philosophia, ex supra dictis constat. Ast hi alium tamen, praeter Aristotelem ducem non elegerant, huncque explicandum suaeque integritati restituendum esse statuerant. Qui cum ob insignia, quae vindicandis literis et humaniori literatura restituenda sibi comparauerant, merita summam nominis famam atque auctoritatem consecuti fuissent, opinionem iusto maiorem apud seculi XVI eruditos obtinuerunt, recte et prudenter eos, vt in eruditionis honestioris omnis, ita in philosophiae quoque restitutione fuisse versatos. Quod praeiudicio adeo firmatum est Aristotelis imperium, vt tentare nouum quid, vel eius philosophiam mediocri conatu refellere, ineptum impiumque crederetur, et sufficere putaretur, si verae eius opiniones et genuina Lycei decreta explicarentur. Nec obiici potest, quod ipsi in *primo libro* luculenter demonstrauimus, Platonicam quoque philosophiam tempore renascentium literarum, maxime vero seculo XV, progressus habuisse quam exoptatissimos, et cum Aristotelica de principatu haud infeliciter decertauisse: tantam quoque ob summam quam apud veteris ecclesiae doctores consecuta est, famam et vtilitatis opinionem, nactam esse auctoritatem, vt vix verisimile videatur, Aristotelem tanti esse factum, vt noua seculi XVII philosophis vincula iniiceret, et captiuam duceret philosophandi libertatem. Secus enim se rem habuisse, paucosque seculo XVI fuisse,

Aristotelica philosophia cur prae Platonica surrexerit?

qui reſtitutum Platoniſmum ſectati fuerint, ex iis, quae infra ea de re dicturi ſumus, luculenter patebit, conſtabitque vix numerum habere eos, qui Platonem ſibi ducem elegerunt, ſi cum ingenti illa cohorte comparentur, quae in Ariſtotelis verba iurauit, eiusque iugo collum ſubmiſit. Cauſſae vero eius rei in promtu ſunt, et euenire aliter non potuit, quam vt Platoniſmus recens incruſtatus cito decreſceret, duraret vero et immenſum augeretur Ariſtotelicae philoſophiae amor atque exiſtimatio. Vt enim Platonica philoſophia ſurgere poſſet, effecit potiſſimum gentis Mediceae patrocinium: ea enim fugientes ex Graecia et ad Italos dilapſas Muſas recepit, aſylumque Graecis philoſophis patefecit exoptatiſſimum. Qui cum more monachorum Graecorum recentiorem Platoniſmum ſecum adportauiſſent, ille ſub tutela Hetruſcorum principum caput efferre et laetis ſurculis germinare coepit, et haud infelicibus ſucceſſibus vſa eſt fortuna academiae Florentinae. Aſt conculcatis turbatisque vehementer rebus Mediceae domus, vt ex Florentina hiſtoria notum eſt, res ſimul clientum, qui Platonicam philoſophiam excolere coeperant, euerſae ſunt, deiectisque proceris arboribus, humilia quoque fruticeta calamitatem ſenſerunt expectatione maiorem. Ita vero euerſa Platonicorum fortuna, Ariſtotelicorum partes illis valde aemulas ſuccreſcere viresque ſumere neceſſe erat, quae cum diu de principatu cum Platonicis decertauiſſent, tandem victoria potitae ſunt. Neque haec ſola cauſſa fuit, ſed ipſa quoque recentior ſecundum Platonem philoſophandi ratio egregie Ariſtotelicae philoſophiae incrementa promouit. Illa enim ad theologiam potiſſimum reſpiciens, in qua Platonem regnare, et proxime ad reuelatam doctrinam accedere, vetus fuit in eccleſia opinio, in hac modo philoſophandi parte verſata eſt, contemto Ariſtotele, cuius metaphyſica ſterilem quendam campum aperire in doctrina de Deo videbatur. Aſt naturalem philoſophiam, quam exigua felicitate tradiderat Plato, vix curabat, paucisque nec adeo pulchre tangebat. Aliter vero rem inſtituendam eſſe rati ſunt, qui naturalem diſciplinam ſeculo XVI in Italia maxime, reſtituere ſategerunt, quorum magna pars ſalutarem artem profeſſa eſt, et ſummae eruditionis fama inclaruit. Hi enim relicta metaphyſica et theologia naturali ſacri ordinis hominibus, cum naturalem philoſophiam, fugatis eiectisque gerris Scholaſticis, reuocare coepiſſent, neque in ſcriptis Platonicorum inueniſſent, vnde eam iuuari poſſe crederent, occupati tamen ſpiritu ſectario, magno ſtudio ad Ariſtotelem digreſſi ſunt. Quem philoſophum cum accuratius in naturalis philoſophiae campo verſatum, ſubtiliusque philoſophatum eſſe crederent, in eius decretis atque placitis reſtituendis magno cum honore et philoſophiae emolumento verſari ſe poſſe iudicarunt. Cumque obſcuritas Stagiritae haud leues difficultates obieciſſet, tantum tamen abeſt, vt intactam Ariſtotelis philoſophiam reliquerint, vt potius eam ipſam ob cauſſam vehementer inflammati ſint accenſique ſtudio et labore improbo Ariſtotelica dogmata perquirendi ſicque eruditionem,

qua

qua gaudebant, criticam, demonstrandi extollendique. Quam illis laudem nemo inuidere poterat Platonicus, cum in confesso esset, naturalem philosophiae partem longe maiori felicitate tetigisse Aristotelem, quam Platonem, spectris suis Pythagoricis hanc disciplinam turbantem magis quam dilucidantem. Ipsi vero Platonici hanc surgentem Aristotelis fortunam syncretismo isto, quem inter Platonem atque Aristotelem struxerant, viriliter promouerunt. Fatebantur enim, non differre in ipso systematis fundamento Aristotelem a Platone, quamuis hic plenius multo atque elegantius de Deo rebusque diuinis praecepisset, quod auide arripientes, qui ex dictis caussis Platonem contemnebant, eo acrius Aristotelis vestigia presserunt, quo certius sibi persuaserunt, hac ratione, fatentibus Platonicis, errare se non posse, tutoque praeteriri Platonem, quem soliditate, accuratione et profunditate philosophiae facile vicerit Aristoteles. Et ita quidem Platonis philosophia quae vix emersérat, iterum depressa est, et vix vnus alterque Platonem cum Aristotele in societatem admisit, vt infra exemplis Iacobi Mazonii, Francisci Piccolomini, Scipionis Agnelli aliorumque constabit. Nec tam fortis fuit medicina, quam pro restituendis Platonismi viribus adhibuit Francisci Patricii diligentia, et eruditio, vt caussae Platonis suppetias ferre posset. Quamuis enim et doctrinae et acuminis copia haud vnum Aristotelis philosophiae vulnus inflixisset, vt infra docebimus, vbi huius philosophi conatus exponemus; victoria tamen potitus haud est, altioresque fixit radices Aristotelis amor, quam vt isto turbine euelli potuisset. Immo miro quidem fato magis confirmatus, Platonismus suppressus est. Hunc enim cum vtcunque hactenus syncretismus inter Platonem et Aristotelem stabilitus conseruasset, tanta postea Platonicam philosophiam inuidia secuta est, vt non modo Patricius non obstante elegantissima eius eruditione magnisque de historia Lycei meritis contemtui esset, sed nemo quoque eius partes amplecteretur. Donec seculo XVII Petrus Gassendus eius telis vteretur, ad debellandum Aristotelem, qui tamen nec Platoni fauit, sed Epicurum suo modo restituere constituit, vt suo loco dicetur. Hac itaque ratione facile fuit, Aristotelem vincere, imperioque potiri.

§. III. Praeter hanc alia quoque caussa, si fatendum, quod res est, et scapha scapha nominanda, alleganda est, quae validissimis fulcris imperium Aristotelis confirmauit, nempe influxus quem philosophia Peripatetica habet in certa dogmata mordicus retenta a coetibus Romanae ecclesiae symbolis addictis, ex quibus haud vnum illis emolumentum enasci solet, qui doctrinae custodiendae tradendaeque praefecti sunt. Postulat quidem nobilissimum argumentum prolixiorem campum, dignumque esset integra tractatione, quam limites nobis positi excludunt, quaeque in historia theologiae dogmaticae et polemicae dari debet. Nos parca manu ea tantum seligimus, quae ad rem praesentem in luce ponendam dictu necessaria

Aliae caussae conseruatae retentaeque philosophiae Aristotelicae, in ecclesia Romana.

ceſſaria ſunt, et omitti plane non poſſunt. Nempe rerum in eccleſia geſtarum et imprimis hiſtoriae doctrinae Chriſtianae non ignaros minime latet, ex quo Scholaſtica philoſophia in eccleſia regnare coepit, humanis viribus in rerum ſpiritualium negotio nimis tributum eſſe, et contemtis Auguſtini vel in ſpeciem ſaltem laudatis decretis de gratiae diuinae operatione et effectu frigidam ſuffudiſſe plerosque doctores, ſi non ipſis Pelagii erroribus, certe Semipelagianiſmo, ab eo tempore regnum, inuitis et ſuſpirantibus piis, affectanti [a]. Quam labem cum forti manu tetigiſſent, et hoc vlcus ſanare tentauiſſent, qui medendis eccleſiae morbis reformandaeque eccleſiae medicam manum adhibuerant, tantum abeſt, vt, quod intimos artus obſederat, venenum eiiceretur, vt potius pro eo retinendo, tanquam pro aris focisque dimicaretur, quique contrariam partem tuebantur, Vatiniano deprimerentur odio. Teſtes omni exceptione maiores volumus annales eccleſiaſticos, pontificum decreta, acta publica, colloquiorum et conciliorum monumenta aliaque, ex quibus rem in ſe notam confecerunt demonſtraruntque viri nonnulli doctiſſimi. Nos huc quidem, limitum noſtrorum memores non excurrimus, idque modo monemus, corruptam moralis doctrinae faciem laxamque illam actionum moralium regulam, qua ex voto et pro menſura emolumenti certorum hominum conſcientiae regi poſſunt, quamque tot ſcriptis acerrimis confodere anteſignano ANTONIO ARNALDO aggreſſi ſunt, viri acuti doctique, rem tandem omnem in apricum poſuiſſe, et prodidiſſe luculenter, qua inſignis vtilitatis ſpe illecti viri etiam graues et eruditi, repugnante ſcriptura ſacra, et refragante ipſorum conſcientia humanis viribus in rebus ad animae ſalutem pertinentibus tantum detulerint. Huic vero rei praeſidium cum ex ſacrorum oraculorum doctrina accerſi non poſſet, philoſophia in ſubſidium vocata eſt. Cum autem nec Platonica, nec Stoica humanarum virium patrocinium recipere ſatis valeret, vt nuper a viro quodam doctiſſimo non ſine magna partis aduerſae indignatione flammis vltricibus prodita demonſtratum [b], Peripatetica philoſophia egregie in auxilium adhibita eſt. Eius enim moralem imprimis partem totam peſſimam eſſe, gratiae inimicam dudum monuit B. LVTHERVS [c], et iam ſuo tempore eleganter pieque oſtendit S. AVGVSTINVS [d], qui obſeruat quoque, Dialecticam Ariſtotelis corruptioni humanae mentis detegendae valde refragari. Qui vero metaphyſicam et ethicam Ariſtotelicam accurate conſiderat, claris, niſi fallimur, rationibus conuictus deprehendet, vtramque gratiae operationi admodum aduerſari, et tribuere homini, quod denegat oraculorum ſacrorum fides. Nam dum rebus humanis Deum eximit Ariſtoteles ſupremaeque ſphaerae alligat, humanam vero mentem extrinſecus illabi, nec ad ipſum hominem proprie pertinere ſtatuit, in illo, quod diuini fontis veſtigium habeat, relinquit nihil. Ex qua hypotheſi metaphy-

a) Conf. BVDDEVS pec. Differt. de hoc argumento.

b) Parallele de la doctrine des payens avec celle des Ieſuites et de la conſtitution du Pape Clement XI.

c) Loco ſupra laudato.

d) Contra Iul. L. II. c. 10. L. V. c. 14.

metaphysica ineptum ethicae Peripateticae systema surrexit, tradens, virtutis vim in ipso homine quaerendam, mediocritatem affectandam, ex qua splendida humanarum virium vitia progenerantur, felicitatemque ciuilem et honestatem humanam sectandam esse; quae omnia huic principio inaedificauit Stagirita [e]: *Virtutem consilio et voluntate fieri, indeque spontaneam actionem esse*, cuius principium in nobis sit, vt suo supra [f] loco iam obseruatum. Talis cum esset Aristotelis philosophia, ambabus manibus eam arripuerunt, quorum intererat, in ecclesia triumphare humanarum virium patrocinium, sine quo constare tot dogmata nequeunt, quae vt conscientiis praeter diuinarum paginarum praecepta obtrusa sunt, ita fautores suos ditare apta sunt. Et haec vera quoque caussa est, cur potissimum in Italia, inque conspectu curiae Romanae philosophia Aristotelica tantum philosophantium applausum nacta sit, curque ad hunc vsque diem Stagiritam exterminare noluerint illi, qui pro sedis Romanae auctoritate et commodis religionis sacramento deuincti pugnant.

Seculi XVI studio critico adiuta fortuna Aristotelis.

§. IV. Sufficere haec ad commendationem Aristotelis apud illos poterant, qui munerum, dignitatum, commodorumque illecebris persuasi a receptis opinionibus deflectere nolebant, et tamen Scholasticas quisquilias perosi meliorem philosophandi viam ingredi tentabant. Verum nouam iis rationem suggessit, animumque valde addit seculi XVI in orbe literario genius. Ille enim totus criticus erat, et linguarum eruditarum, maxime Graecae et Latinae historiae veteris, antiquitatum et similium notitia superbiebat, adeoque plus ad artem criticam, quam ad philosophiam adspirabat. Qua animorum inter eruditos inclinatione, antiquitatis, literaturaeque veteris, praecipue Graecae, studium ita seculo XVI promotum est, vt vix aliud tempus maiora in hoc eruditionis genere specimina ostenderet, quique in republica literaria famam consequi cupiebant, aliis disciplinis, quas munera publica iniungebant, hoc quoque studium adiicerent, et eo maxime inclarescere satagerent. Ita vero factum, vt, qui hanc artem criticam sibi excolendam sumserant, cum philosophiae explicandae munus ipsis esset iniunctum, potissimum ad Aristotelem deducerentur. Is enim cum et ipse in se obscurus valde sit, et breuitate sententiarum difficilis, multa quoque veterem eruditionem respicientia admiscuerit, textus vero eius temporis iniuria valde mutilatus truncatusque et ineptis grammaticorum curis interpolatus sit, iucundissimum et patentissimum campum artis criticae studiosi nacti sunt, ingenii in hoc philosopho explanando et illustrando ostentandi, et variae eruditionis laudis sibi acquirendae. Nam ita genuina a spuriis discernere, obscuris lucem accendere, veterum opiniones, ad quas respexit Aristoteles, exponere, breuitati paraphrasi consulere, et veterum Peripateticorum eruditionem in partes pertrahere suam-

e) Magn. Mor. L. III. c. 5.

f) Tom. I. p. 837.

ſuamque facere, atque hoc pacto nomen magnum mereri licebat: eo quod ab his praeſidiis aetas Scholaſtica fuiſſet imparatiſſima, qui vero immortalem ſibi reſtitutione humanae diſciplinae et politioris literaturae nomen fecerant, eodem doctrinae genere inclaruiſſent. Cuius exempla in ſequentibus plurima occurrent, nos hoc loco modo ad Petrum Victorium, Marcum Antonium Muretum, M. A. Maioragium, Iulium Pacium et Franciſcum Robortellum prouocamus, qui cum Peripateticae philoſophiae notitia eminerent, artis potiſſimum criticae praeſtantia ſummam ſibi in ea parauerunt nominis gloriam. Haec vero ſtudia dum ſeculi XVI diligentia vrget, valde quidem Ariſtoteles iuuatur, genuina eius ſententia eruitur, breuitas luculenter illuſtratur, et ſic vera Ariſtotelis mens exponitur, parum vero ipſi philoſophiae affertur auxilii, ipſaque illa ars critica quae Peripatetica ſcripta tantopere commendauit, grammatica magis fuit, quam philoſophica, et ad textum potius reſtituendum explanandumque, quam ad philoſophicam Ariſtotelis illuſtrationem pertinuit. Certe vbi quoque non ad verba tantum, verum ad mentem et dogmata Stagiritae reſpexerunt viri docti, interpretes magis egerunt Ariſtotelis, quam philoſophos Ariſtotelicos. Id quod oculos aliis aperuit, vt cum iſta critica eruditione parum adiuuari philoſophiam cernerent, tandem ipſi quoque philoſophari ſecundum Ariſtotelem inciperent, qua ratione Ariſtotele Petrus Pomponatius cum diſcipulis inter primos vſus eſt. Et ita quidem factum, vt ſeculo decimo ſexto et decimo ſeptimo dimidio vbique Ariſtotelis philoſophia regnaret, et magnopere ſibi pariter atque aliis placerent, qui Ariſtotelem eiusque philoſophiam integritati reſtituerent.

Cauſſae cur inter Proteſtantes retentum genuinum Ariſtotelis ſtudium.

§. V. Ex hoc ipſo vero fonte ratio haurienda eſt, cur Ariſtotelis philoſophia inter Proteſtantes quoque caput extulerit, curque non obſtante graui detrimento, quod ex hac philoſophia in doctrinam Chriſtianam defluxerat, Ariſtoteles tamen illis ſe ita commendauerit, vt diu in his quoque coetibus vnus ille regnare potuerit, vt ex dicendis conſtabit. Quamuis enim infenſum in Ariſtotelem ſeruauiſſet animum Lutherus, qui probe perſpexerat, quantae ex hac philoſophia corruptelae in Chriſtianam doctrinam inuectae ſint, Philippus Melanchthon tamen, cum ipſe totus quoque honeſtioris diſciplinae cultu occuparetur, et virorum ſummorum, qui in Italia Ariſtotelem ad natiuos ſenſus reuocauerant, exemplo excitaretur, ita admitti poſſe Ariſtotelem ſtatuit, vt in ordinem redactus, ſolique philoſophiae relictus, nihil negotii cum ſacris diſciplinis haberet, ſua tamen philoſophandi accuratione, diſſerendique acumine et artificio praeclare iuuentutis ſtudia iuuaret; vt infra ex inſtituto probabimus. Qua ratione non modo Lutherum faciliorem et fauentiorem Ariſtoteli reddidit, ſed cum totam fere Germaniam partes ſeptentrionales diſcipulis ſuis repleuiſſet, Peripateticam quoque philoſophiam vbique locorum in coetibus Proteſtantium confirmauit, eo tamen diſcrimine, vt a ſacra diſciplina arce-

arceretur, ad quam metaphysicam Aristotelicam seculum XVII demum introduxit, vt infra dicendum. Quod exigua philosophantium vtilitate factum esse, merito dolendum, indignandumque est Philippo, viro cetera optimo, et de literatura elegantiori inter Germanos immortaliter merito, quod abiecto licet auctoritatis et antiquitatis studio, cum proprio Marte philosophandum fuisset, maluerit sectariam philosophiam eligere, et ea duce interpretem magis Aristotelis, more seculi sui, agere, quam suo ingenio, quod nactus erat optimum, philosophari. Ita nempe cum inter coecos luscus imperaret, mallentque philosophi claudum habere antesignanum, quam nullum, Aristoteles, non obstante primo ecclesiam emendantium feruore, ex ecclesia eiectus per posticam iterum admissus est, et inter Protestantes quoque egregie res promota esse iudicata est, si extirpatis spinetis, quae Scholasticorum diligentia et subtilitas plantauerat, reuocarentur flores Peripatetici, quamuis fructu, nucleoque carentes. Haec vero vna et sola ratio est, cur inter Protestantium coetus, quibus parum intererat, imperare Aristotelem, decorum vero erat, in philosophia quoque iudicii libertatem cum veritate coniungere, sectaria tamen Aristotelis philosophia, vsque ad Baconis, Grotii, et Cartesii tempora, et vltra, obtinuerit, et cur haud minor inter eos numerus sit, qui magna eruditionis opinione secundum Aristotelem fuere philosophati. Ex dictis autem nobis non monentibus intelligitur, cum tota fere respublica literaria Peripateticismo infecta fuerit, sectam hanc reliquas philosophantium numero et celebritate admodum superasse, ceterosque, qui ab Aristotele diuortium fecerunt, iunctos simul omnes hanc tamen Aristotelicorum genuinorum turbam numero non vincere. Hos vero hac in tractatione enumerare omnes, et impossibilis labor est et inutilis, et ad specialem magis Peripateticae philosophiae historiam pertinet. Sufficiet autem pro instituti ratione praecipuos ex hoc numero seligere, cum qui inter Romanae ecclesiae assecias Aristotelem ducem sequuti sunt, tum qui Protestantium coetibus nomen dantes sub eius auspiciis militarunt. Hi vero et eruditionis celebritate, et meritorum fama nobile sibi plerique nomen comparauerunt, dignique sunt, quorum historiam paulo accuratius explanemus. Reliquorum, ne nimii simus, strictim, et per lancem quasi saturam recensionem dabimus. Eminuerunt autem doctrinae Peripateticae laude inter Romanae fidei assecias, Nicolaus Leonicus, Petrus Pomponatius, Marcus Antonius Maioragius, Daniel Barbarus, Ioannes Genesius de Sepulueda, Petrus Victorius, Iacobus Zabarella, Alexander et Franciscus Picolominaei, Cyriacus Strozzi, Iacobus Mazonius, Hubertus Gifanius, Iulius Pacius, Andreas Caesalpinus, Caesar Cremoninus. Quorum heroum inter Peripateticos historiam succincte delineabimus, ea traditurі, quae ad rem praesentem spectant, reliqua enim notissimis libris suppeditabunt scriptores historiae literariae g.

g) Maxime elogiorum vitarumque scriptores, v. g. Iouius, Tomassinus, Adamus, similesque. Recen-

Nicolaus Leonicus Thomaeus.

§. VI. NICOLAVM LEONICVM THOMAEVM, iure meritoque primum facimus, qui reiecto Pseudo-Peripateticismo Scholasticorum, genuinam Aristotelis philosophiam restituere orbi literario conatus est. Ante eum enim nemo id tentare ausus erat, adeo omnes Scholasticae philosophiae auctoritas et subtilitatis opinio occupauerat. Fuit is Epirota patre Venetiis genitus, anno MCCCCLVII, vt refert IOVIVS [b], quem eius parentem, dubium non est, in educandis filiis ad exorientem tum politiorem literaturam respexisse. Nam et frater nostri Bartholomaeus Leonicus cognomento Fuscus, iis humanitatis et philosophiae elegantioris praesidiis instructus fuit, vt fratrem Nicolaum adaequasset, nisi praematura eum vitae huic fata eripuissent, id quod ex PIERII VALERIANI [i], relatione nouimus. Docebat eo tempore, vt supra dictum, Florentiae Demetrius Chalcondylas, a quo cum Graecas literas, reliquumque eruditionis apparatum didicisset, dici non potest, quantum cum in eloquentiae studio, tum in philosophia profecerit. Et illius quidem luculentum specimen reliquit, in *variae historiae* libris [k], quos *iuuenis admodum multiplici tum Graecorum tum Latinorum lectione confecerat sepositeratque* [l], inque *Dialogis decem*, quos more Academico vulgauit [m]. In quibus eam eloquentiae rationem adhibuit, quae philosophum decebat, recte id probante ERASMO [n], qui hunc virum non minus integris moribus, quam eruditione recondita (qui illo viuo adhuc superat) laudat. In philosophia autem animum quidem adiecit ad Platonicam philosophiam, quae illo tempore valde efferre caput coeperat; vnde idem Erasmus eum extollit, *quod in adytis philosophiae, praesertim Platonicae, semper religiose versatus ad Platonis ac Ciceronis dialogos effingendos se composuerit:* cum autem Aristotelicam philosophiam rectius et maiori virtute Scholasticae opponi posse cerneret, illam potissimum amplexus est, eo quod purius ex ipso fonte sapientiam Graecam hauriri posse crederet. De quo eius consilio, digna sunt, quae legantur verba IOVII [o], eo quod primi huius restauratoris Aristotelicae philosophiae mentem, quae et reliquorum virorum doctorum in eo stadio currentium sententia fuit, satis luculenter edisserant: *Philosophiam*, ait, *ex purissimis fontibus, non ex lutulentis riuulis salubriter hauriendam esse perdocebat, explosa penitus sophistarum disciplina, quae tum inter imperitos et barbaros principatum in Scholis obtinebat, quum doctores excogitatis barbara subtilitate dialecticorum figmentis, physicas quaestiones non ad veritatis lucem, sed ad inanem disputandi garrulitatem reuocarent, et iuuentus in gymna-*

Recentiori aetate multorum in hoc historiae literariae genere industria eminuit, quorum nomina alibi enumerantur. Nostro tempore laudem inde haud exiguam nactus est eruditissimus NICERONVS, in memoriis virorum doctrina illustrium, quem tamen merito dolemus, narrationis suae fontes nonnisi parce indicauisse, et interdum narrantium fide deceptum fuisse. Vnde malumus paulo vetustiores sequi, nominareque.

h) cap. 91.

i) De literat. infelic. L. II. p. 84.

k) Vid. VOSSIVS de Hist. Latin. L. III. p. 677.

l) Editos vero anno demum 1531.

m) Vid. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. IV. p. 788 seq.

n) In Ciceroniano.

o) Loc. cit.

gymnasio : Arabum et barbarorum commentationes secuta, a recto munitoque itinere in confragosas ignorantiae crepidines duceretur. Ipsum itaque Aristotelem presso pede sequendum, et hac quoque methodo, vt obseruatum FRANC. PATRICIO *, interpretandum esse statuit, ad quod opus eo felicius aptiusque accingere se poterat, quo maior illi inerat sermonis Graeci peritia et antiquitatis atque philosophiae veteris cognitio. Talis cum esset, Patauinae cathedrae praefectus est, in qua diu magno applausu Peripateticam philosophiam docuit [p], et genuinum Aristotelem in hanc Musarum sedem primus introduxit. Neque vero soli iuuentuti studium commodauit suum, sed interpretando quoque Aristoteli scribendisque commentariis philosophicis insudauit; aitque IOVIVS: *Erudite et luculenter commentarios in parua naturalia Aristotelis eum scripsisse;* GESNERVS [q] autem, ex Michaële Ephesio haec argumenta in libros Aristotelis *paruorum naturalium* eum transtulisse refert, et alia quoque eius scripta philosophica enarrat, qui videndus. Ceterum et hoc nomine praeclaram laudem meretur, quod teste iterum IOVIO [r], *vita eius procul a contentione ambitioneque remota fuerit*, et quod PETRVS BEMBVS in eius epitaphio [s] habet, *praeter virtutem bonasque artes tota in vita nullius rei appetens fuerit.* Vnde et *mediocri substantia, ciuilique frugalitate contentus, ita coelebs et felix vixit, vt nemo vel innocentiae, et doctrinae conscientia, vel munditia corporis, vel animi nitore beatior illa aetate haberetur* [t]. Peruenit autem istius frugalitatis beneficio ad LXXIII aetatis annum, obiitque canitie venerandus, quod plerique tradunt, anno MDXXXIII, pro quo tamen annum MDXXXI ponit Cel. MONETA [u]. Cum hoc philosopho Patauino non confundendus est, quod multis, ipsique P. BAYLE accidit [x], Nicolaus Leonicenus Vicentinus, natus anno MCCCCXXVIII, qui per LX amplius annos Ferrariae philosophiam et medicinam docuit [y]; idemque in arte salutari praestitit, quod Thomaeus in philosophia. Primus enim a barbarie in arte medica reuixit et nugari desiit [z], et quod ille in Aristotele suscepit, in Galeno effecit, nempe vt ad Graecos fontes medicinae studiosi reuocarentur. Vnde factum, vt hunc Galeni interpretem, ab HVETIO [a] laudatum nostrum philosophum esse perperam nonnulli crediderint, illiusque scripta huic adscripserint. Obiit nonagenario maior anno MDXXIV, rogatusque qua ratione nullo ciborum habito delectu senectutis vitia eluderet? respondit: *Ingenium perpetua vitae innocentia, salubre vero corpus hilari frugalitatis praesidio facile tuemur.* De scriptis eius praeter

*) Disquis. Peripat. L. III. p. 149.
p) Vid. NIC. COMNEN. PAPADOPOLI Hist. Gymnas. Patau. T. I. p. 302 seq.
q) In Biblioth. p. 521.
r) Loc. cit.
s) Apud N. CHYTRAEVM Delic. itin. loc. cit. p. 152.
t) IOVIVS loc. cit.
u) Vid. Obseruationes ad P. BAYLE Dict. T. IV. art. Thomaeus p. 352.
x) Loc. cit.
y) COMNEN. l. c. p. 297. IOVIVS l. c. SCALIGER. Epist. 19.
z) Vid. REINES. Var. lect. p. 623.
a) De claris interpret. p. 270.

historiae literariae medicorum auctores [b] videndi GESNERVS [c] et NIC. COMNENVS PAPADOPOLI [d].

Petrus Pomponatius.

§. VII. Ineunte seculo XVI, magna Peripateticae philosophiae laude inclaruit PETRVS POMPONATIVS, haud incelebre inter scriptores historiae literariae nomen [e], quod tamen Peripatetica eruditio impietatis opinione commaculauit. Genuit eum Mantua, virorum doctorum feraciſſima [f], vbi patre Ioanne Nicolao Pomponatio Mantuano satus est, vt ipse narrat [g]. Annum diemque natiuitatis ponit LVCAS GAVRICVS, MCCCCLXII, d. XVI. Sept. [h] quo auctore scimus, adeo pusillum corpore homuncionem fuisse, vt quodammodo nanus esset. Verum corpori exiguo magnum ingenium natura indiderat, quod praecoci maturitate elegantiam prae se ferebat, dotesque demonstrabat solito maiores. Studiis itaque dicatus in gymnasio Patauino disciplinarum praecepta a publicis professoribus hausit, inter quos imprimis Petrum Trapolinum * praeceptorem habuit. Ita vero philosophiae mysteriis initiatus acerrimo ingenio in eius adyta penetrauit, vt quid Aristoteli placeret, mature intelligeret. Ad docendam itaque iuuentutem animum adiiciens in Patauina schola ludum aperuit, et veram Aristotelis philosophiam, cum Auerroistica, quae tum temporis in Italia regnauit, comparare coepit. Quod cum magnum iuuenum literarum studia aemulantium applausum meruisset, Alexandrum Achillinum [i] in eum armauit, qui tum temporis Patauii, posteaque Bononiae philosophiam Arabico-Aristotelicam magna eruditionis fama docuit, quique cum mores valde paedagogicos nutriret, a Pomponatio, ingenii amoenitatem prae se ferente ita superatus est, vt discipuli eius Petrum, relicto praeceptore audirent. Id quod more Scholastico, magnam in eum Achillini iram et inuidiam concitauit. Qui cum acerrime disputaret, et haud raro Pomponatium pedem referre, manusque dare compelleret, ab eo tamen miro

b) MANGETVS et MERCKLINVS in Bibl. medicis, FABRIC. l. c. p. 787.

c) Loc. cit.

d) Loc. cit. conf. BAYLE Dict. T. III. art. Leonicenus p. 90.

e) Videndi praeter multos, P. IOVIVS c. 71. p. 164. BAYLE Dict. Tom. III. p. 777 seqq. COMNENVS l. c. NICERONIVS l. c. T. XXV. et historiae atheismi scriptores: Maxime vero, qui peculiari dissertatione de eo egit Io. GOTTL. OLEARIVS Ienae 1709. quem, cum magna cura in hoc argumento versatus sit, consultis tamen fontibus, legendum esse putamus.

f) Celebrata ideo SILIO ITALICO Sylu. L. VIII. Mantua Musarum domus etc.

g) In fine libri de Incantatione, et de fato, vbi se filium Ioannis Nicolai Pomponatii Mantuani nominat.

h) In schemat. tr. IV. f. 57. BAYLE l. c.

*) Vid. de Incantat. p. 3.

i) Alexander Achillinus Bononiensis fuit, et primo quidem philosophiam Patauii docuit, postea eandem vna cum arte salutari in patria Schola professus est. Is potissimum Saracenicam Peripateticorum philosophiam secutus est, et inter celeberrimos Auerrois sectatores numerari meruit. Subtilitate vero ingenii parem vix habuit, indeque disputandi acumine Pomponatio iuueni longe fuit superior. Qui cum interdum in publicis disputationibus Achillini syllogismis irretiretur, ingenii festinitate aduersarium repulit, valde enim superciliosum et Scholasticos mores prae se ferentem Achillinum ingenii amoenitas, quae in Pomponatio fuit, superare facile potuit. Scripsit multa Achillinus et philosophica, enarrata a COMNENO Hist. Gymnas. Pat. T. I. p. 298. et FABRICIO Bibl. Lat. med. T. I. p. 159. et medica, enumerata ab ABR. MERCKLINO in Lindenio renouato P. I. p. 23. Conf. BOECLER. Bibliograph. crit. p. 134. et scriptores historiae liter. Bononiensis, BVMALDVS, ALIDOSI, aliique.

miro saepius artificio victus est. Rem ita narrat Iovivs [k]: *In coronis consessuque doctorum cum exercitatione perutili ad praetoriam porticum disputaretur, ita mirus Pomponatius euadebat, vt saepe ancipiti et cornuto Achillini enthymemate circumuentus, superfuso facetiarum sale aduersarii impetum ex illis gyris et maeandris explicatus eluderet.* Fatemur tamen, in scriptis Pomponatii hanc eius ingenii amoenitatem exulare, quae barbariem seculi XV sapiunt. Ex Patauina vero academia ad Bononiensem se conuertere Pomponatium coëgit bellum, quod inter Venetos et Cameracensis foederis socios magna tum Italiae calamitate ardebat [l]. Ibi similiter philosophiam docuit, eique more illius temporis artem salutarem iunxit [m], cumque Achillinus fatis interea temporis functus esset, eius locum famamque, vti verisimile, occupauit; quamuis nihil ea de re accurate scriptores eius temporis definiant. Ibi hanc eum methodum adhibuisse ait Iovivs [n], vt Aristotelem simul atque Auerroëm explicaret, ita enim postulabant mores istius temporis, suauique ac praeclara voce, et elocutione emendata atque leni in instituendo, volubili et concitata, in infringendo, graui sedataque, cum decerneret, vteretur. Quae res eum iuuentuti scholasticae vehementer commendauit. Cum autem ipsum sibi Aristotelem sequendum statuisset, hancque philosophiam exprimendo a nonnullis ecclesiae dogmatibus dissentiret [o], aculeis autem nonnumquam homines sacros exciperet, cucullatos fratres, velut crabrones, in se concitauit, qui eius contraire conatibus omnibus viribus aggressi sunt, parum tamen promouerunt, cum summa eruditionis eius esset existimatio, isque in doctrina ecclesiae iudicio se submittere, et problematice tantum de Aristotelis mente disputare profiteretur [p]. Eruditionis itaque praestantia, et discipulos nactus est celeberrimos, quorum infra faciemus mentionem, et facultates acquisiuit ampliſſimas, sic vt filiae, quam vnicam habebat, mille ducatorum dotem porrigeret [q]. Suspicamur tamen, non ex sola philosophiae professione, sed ex salutaris quoque artis praxi, et forte ex trino, quod nonnullis iniisse dicitur, matrimonio tantas ad eum diuitias confluxisse. Alii tamen coelibem faciunt [r]: alii tres reliquisse filios contendunt. Obiit ex stranguria, teste Iovio [s], sexaginta tres annos natus, ex quo patet, mortalitatis exuuias eum anno MDXXV

k) Loc. cit.

l) De foedere hoc inter Maximilianum I. Imperat. Iulium II. P. R. Ludouicum XI, Galliae, et Ferdinandum catholicum Hispaniae regem anno 1507. Cameraci inito, quo dura et acerba quaelibet passi sunt Veneti, annales reipublicae ad h. a. consulendi sunt. Dux tum ei praefuit Leonardus Loredanus.

m) Eam se a Petro Roccabonella didicisse ait de fato L. V. c. 6. p. 973.

n) Loc. cit.

o) Inuidiam Pomponatio conflauisse negatam ex Aristotelis mente animorum immortalitatem, monet Iovivs: at incautius eum clerum interdum pupugisse, exemplo satis luculento ex libro de fato, L. V. p. 923. discimus. Ita vero crabrones irritari necesse erat. Quo effectu quibusque litium clamoribus, enarrat P. Bayle l. c. not. C. et nos infra tangemus.

p) Vid. Peroratio libri de incantatione p. 325. Opp.

q) Bayle l. c. ex Gaurico.

r) Naudaeana p. 31.

s) loc. cit. hunc itaque Bayleivs non consuluit, cum diceret, ignorare se eius emortualem; nam ex Gaurico natalem notauerat.

MDXXV depoſuiſſe. Errant itaque [t] qui annum emortualem MDXII, vel MDXXX [u] ponunt. Quamuis autem impie prorſus obiiſſe, ſcripta illi a diuerſis epitaphia innuant [x], eo quod de animae immortalitate ſecundum Peripateticos ſtatuendo futuram vitam poſt funera negaſſet, HIERONYMVS GRATAROLVS tamen, qui opera eius philoſophica recudi fecit, teſtibus allegatis iis, qui eum nouerunt ſuperſtitem, affirmat, pie pro eo tempore vitam cum morte commutauiſſe. Sepultus autem eſt in patria, in ſepulchro cardinalis Herculis Gonzagae [y]. Non deneganda eſt philoſopho Mantuano ingenii praeſtantia, iudicii acumen, doctrinae varietas. Imprimis laudanda eius diligentia, quae cum difficultates quaedam eſſent ſoluendae, eum in anguſtias redegit, et inſomnem inſanumque reddidit. Quam vbi reprehendit P. BAYLE [z], prodit luculenter, ſe verba philoſophi ipſa non inſpexiſſe. Ita pariter modeſtia eius laudanda eſt, et in perferendis inimicorum perſecutionibus patientia. Vnde vero collegerit OLEARIVS fuiſſe auarum, numorumque corradendorum cauſſa tertias nuptias ambiuiſſe, non videmus, et miſera ea ratiocinatio eſt, praeſertim cum incerta ſint, quae de eius matrimonio traduntur. Rectius, niſi fallimur, in eo culpatur, quod cum ingenii acie non deſtitueretur, eam tamen ſectariae philoſophiae et auctoritatis praeiudicio ſupprimere, quam abiectis his impedimentis ſobrie et accurate philoſophari maluerit, et imaginationis feruore ſe in deuia abripi paſſus ſit. Vnde iudicium de eo fieri poteſt, vtrum eum inter philoſophos locum obtinuerit quem ei tribuunt, non ſui tantum temporis homines [a], ſed et noſtrae aetatis viri docti, qui ingens ei philoſophiae acumen [b], argumentorumque ſoliditatem tribuunt. Etſi enim denegari eruditio philoſophica Pomponatio non poteſt, facileque ferendum eſt, quod non nemo dixit [c], non vidiſſe ſe philoſophum quemquam, etiam aduerſus Pomponatium ſcribentem, qui eum non laudauerit, comparate tamen id intelligi debet, ſi cum minorum gentium hominibus conferatur eius eruditio. Satis enim acute et ingenioſe diſputat, et quamuis id ſibi, rei difficultate commotus, non arroget [d], accurate tamen in Ariſtotelis et commentatorum, praecipue Aphrodiſaei mentem penetrat. Aſt vbi ad ipſam veritatem reſpiciendum erat, dici non poteſt, quantum acumen retuderit praeiudiciorum, praecipue auctoritatis Ariſtotelicae, robur, et vana quaedam, atque inepta ſuperſtitio, quae cum ex melancholico potiſſimum temperamento eſſet

t) Lexicographi, KOENIGIVS, MORERI, HOFMANNVS aliique nominati a BAYLIO et OLEARIO ll. cc.

u) FREHERVS in Theatro p. 1441.

x) Exhibentur ea a IOVIO, OLEARIO, KOENIGIO, qui videndi.

y) Luculentum hoc teſtimonium eſt, eum ſine impietatis ſuſpicione fuiſſe mortuum.

z) loc. cit. not. L. Non vero dicit Pomponatius difficultates de fato et libero arbitrio eum ſtultum reddidiſſe, vt putat Baelius, ſed inſanum, id eſt, ſtilo Pomponacii aegrum. Sequentia verba vero, quibus „philoſophum perpetuis curis „et cogitationibus rodi, non ſitire, non fame„ſcere, non dormire, non exſpuere, ab omni„bus irrideri" etc. dicit, id ſolum volunt, ſummam philoſophi diligentiam ab ardelionibus cuculatis contemni: neque ideo culpandus erat Pomponatius. Verum ipſum de fato librum Baelius non viderat, vt ipſe fatetur: et tamen cenſoriam in eum exercet virgulam.

a) GRATAROLVS l. c.

b) Naudaeana p. 51. BAYLE l. c.

c) NAVDAEVS l. c. d) Vid. praef. libr. de fato.

esset coorta, monstra quaedam opinionum illi fecit commendatissima, et eiusmodi dogmata persuasit, quae a sani liberique iudicii philosopho non expectaueris. Quis enim, quaeso, vel in mediocri philosopho, suis facultatibus libere, et vt decet, vtente feret: vaticinia deberi temperamento melancholico? sanctorum inuocatorum auxilia adscribenda esse imaginationi atque fidei aegrotorum, ita vt canis etiam ossa, si simili fide respiciantur, idem efficiant: Excitauisse naturalem imaginationis vim, vel pluuiam miraculosam orantibus concessam, vel apparentem S. Coelestini in aëre imaginem; nasci sub certa constellatione homines, qui naturali vi pollent, tempestatibus, mari, ipsique diabolo imperandi; miraculorum virtutes latere in herbis lapidibusque; statuendum esse maximum astrologiae pretium, et quae alia sunt, his παραδοξωτέρα καὶ ἀσοφωτέρα, quae in libro *de Incantatione* plenis buccis praedicat? Haec enim prorsus eiectam a praeiudiciis iudicandi vim naturalem fuisse, luculenter euincunt. Quare non immerito dicam scripsit D. G. MORHOFIO [e] cel. HEVMANNVS [f], asserenti, *omnes eum Peripateticos argutia superauisse;* cum certum sit iudicii aciem, quam in detegendis veris Peripateticae philosophiae principiis demonstrauit, a superstitione et imaginationis nimium ferocientis aestu, variisque praeiudiciis fuisse suppressam. Acu itaque rem non tetigit, quisquis numum [g] Pomponatii memoriae dicauit, in quo praeter ouem patientiae symbolum aquila, acuminis nota exprimitur. Facilius enim in ineptis illis somniis, quae mira subtilitate persequitur Pomponatius, fanaticum quoddam philosophandi genus, quam sobriam acutamque philosophiam dignoscas. Ipsam vero melancholici temperamenti, quod naturalem ingenii vim apud Pomponatium suppressit, notam attentus Lector deteget in stilo barbaro, inepto, confuso, et Scholasticorum stabulum redolente, ex quo facile taedium legenti obrepit; quas dicendi scribendique ineptias comitatur methodus obscura, Scholastica, spinosa, et obiectionum atque responsionum catenis ita implicita, vt non nisi summa attentione adhibita auctoris mens perspici queat. Quod vitium equidem in Scholasticorum scholis contraxisse Pomponatium, facile nobis persuaderi patimur, parum tamen inde excusari philosophum putamus, cum eo, quo is vixit, tempore, honestior disciplina et elegantiores literae in Italia dudum surrexerint. Nihil tamen magis in Pomponatio reprehendendum, quam ineptus Aristotelis totiusque Peripateticae philosophiae amor, qui monstrosas ei opiniones valde commendauit, quibus factum est, vt aduersarii cateruatim in eum insurgerent, eumque ἑτεροδοξίας postularent. Nempe profunde inspexerat Aristotelis systema Pomponatius, cumque imprimis Alexandro Aphrodisiensi duce vsus fuisset, illo interprete probe

e) Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 55.
f) Act. phil. Vol. II. p. 336.
g) Eius ἔκτυπον praefixit dissertationi suae OLEARIVS, et repetiit HEVMANNVS l. c. p. 689.

probe intellexerat, quae huius philosophi esset de natura animae humanae opinio, quae totius physiologiae Peripateticae constitutio. Eam cum Arabica philosophia, quae eo tempore multis in Italia placebat contulerat, et nec Auerroëm in omnibus sequendum putauerat, neque deserendum in omnibus, ita vero ipso Auerroë peior φιλοσοφεμένοις suis euasit. Satis clare id intelligent, qui Auerrois atque Pomponatii inter se placita comparauerint, nec sine iucunditate videbunt, qua ratione, dum Auerroismum emendare cupiebat Pomponatius, ipso Auerroë factus sit deterior. Obseruauit id iam SPONDANVS [h], tradens: „Pomponatium Iouii praecepto„rem in philosophia, enarrantem Aristotelem et Auerroëm Bononiae, „animas post corporis mortem interituras ex sententia Aristotelis pro„bare conatum, iuuentutem valde corrupisse, se eo tuentem, quod phi„losophice loqueretur, sed aliter cum Christianus esset, sentiret". Quae verba praeter rem carpit P. BAYLE [i], eo quod supponant, Pomponatium Auerroisticam hypothesin de vnitate intellectus humani in omnibus hominibus fuisse secutum, cum tamen Auerroismum hunc ipse in libro *de Immortalitate animae* prolixe oppugnauerit, et velut, monstrosam rectequе a Thoma Aquinate explosam exagitauerit [k]. Hoc enim verum quidem est, nec Auerroistici huius dogmatis accusari illum posse, luculenter locus ille testatur: at nihil hoc impedit, quo minus conspirante veritate dici possit, Auerrois philosophiam Pomponatium in errorem coniecisse, vt dum vnitatem intellectus agentis, immortalis et diuini, velut monstrosam et ab Auerroë Aristoteli temere affictam reiiceret, ipse animam mortalem esse affereret. In ea enim erat Pomponatius sententia: „Auerrois dogma „alienum esse ab Aristotele, verum hoc esse figmentum, et monstrum ab „Auerroë confictum". Ad hanc opinionem eum adduxerat partim odium, quo Auerroistas, et imprimis aduersarium suum Achillinum prosequebatur, partim lectio Alexandri, qui eam, quae in nobis est animam, mortalem esse, et velut formam hominis, soluto corpore perire dixerat. Cum itaque Pomponatius Auerrois et Alexandri placita inter se compararet atque committeret, nec quae ex hypothesi Auerrois pro animarum immortalitate afferebantur, rationes ei satisfacerent, eo quod monstroso dogmate niti cerneret, ipse vero aliam ratiocinandi, quam Aristotelis, artem et philosophiam nullam admitteret, necessario ad hanc de mortalitate animae doctrinam deferri eum oportuit, ratum ita se γνησιωτέρως secundum Aristotelem philosophari. Ex quibus iam intelligi potest, quo sensu verum sit, Auerroismum Pomponatium in errorem seduxisse, et hinc ea emendanda sunt, quae P. BAYLE [l], ex vna parte differuit et nos olim [m] ex altera parte non satis luculenter hac de re diximus. Non ignorabat Pomponatius, hanc doctrinam, immo alias quoque, quae genuinam Aristotelis

h) Ad ann. 1513. n. 20. p. 308.
i) loc. cit. not. B.
k) cap. 3 et 4. l) Loc. cit.
m) In German. Hist. phil. Opere T. VI. p. 167. Ita vero nudatum hostibus exponebat latus Pomponatius, cum Auerroistae intellectui agenti vniuersali immortalitatem asserentes, erroris non essent suspecti.

lis mentem exhibuissent, repugnare fidei Christianae dogmatibus. Id tantum abest, vt negauerit, vt id ipse caute candideque monuerit [n], fassus, *se iis non consentire, qui viam fidei cum Aristotele conuenire credunt; sibi namque videri, has vias incompassibiles esse.* Idque in plerisque etiam Aristotelicae physiologiae capitibus demonstrauit [o], ostendens, *doctrinam Peripateticam non esse veram, sed mancam.* Verum si tamen secundum Aristotelem philosophandum sit, aliter statui non posse, monuit; sed haec tantum ὑποθετικῶς asseri [p], et a se illa modo dici, *quae Peripatetici dicere verisimiliter haberent. Responsiones itaque suas tamdiu tenendas esse, dixit, donec meliores reperiantur, se enim verius nihil quam aliquid ab aliis accepisse. Quantum autem religionem attinet, si quid in suis dictis offendatur, quod sanctae ecclesiae catholicae aduersetur, vel ei minus placeat, illud totum se reuocare, et humiliter eius correctioni se subiicere* professus est, et hac ratione nihil se feciisse autumauit, quod Christianum philosophum dedeceret. Haec licet ipse in scriptis suis assereret, et scripta etiam apologia latius prosequeretur [q], inuidiam tamen declinare non potuit, valdeque conatus impii amicis eius quoque displicuerunt, clerus autem, quem offenderat, exoptatam eius persequendi occasionem nactus, nihil non mouit, vt impietatis reus haberetur. Nec negari potest, Pomponatium dogma hoc de mortalitate animae, in quantum id ex philosophia innotescit, non modo scripto, sed et viua voce docuisse, et pernicioſam sententiam lectionibus suis, quas ad iuuenes habebat, interspersisse: ipse enim, qui ex discipulorum eius numero fuit, id IOVIVS [r] testatur, conquestus *hoc dogmate ad corrumpendam iuuentutem dissoluendamque Christianam disciplinam nihil pestilentius induci potuisse.* Quamuis autem se haec Peripatetice tantum disputare semel iterumque moneret, caussareturque [s], *quaestionem de immortalitate animorum esse neutrum problema, sicut etiam de aeternitate mundi: et nullas rationes naturales adduci posse cogentes animam esse immortalem, sed ex luce et veritate per filium manifestata indubie eam immortalem esse, asserendum esse;* haec tamen dicis caussa tantum profiteri iudicatus est. Et imprimis valde offendit omnes, quod iuuenum animos ante scriptum de immortalitate animae librum hac impietate imbuisset. Cuius argumentum est, quod iam anno MDXIII contra mortalitatis animae assertores trisulcum fulmen vibrauerit Leo X. Iuuenum autem animi cum doctrinam valde vitiis, praesertim in eo vitae genere, quod hi sequebantur, fauentem excepissent, coniici inde nullo negotio potest, eos isto dogmate valde fuisse corruptos, tantoque praeceptore praeeunte ad impietatem declinauisse. Qua de re acerbe conquestus est GVILELMVS POSTELLVS [t], qui, postquam velut atheismi magistrum Aristotelem ac-

n) De Fato L. III. c. 1. p. 753.
o) De Incant. p. 310. 222.
p) Vid. Peroratio libri de Incantatione.
q) Vid. de Incant. p. 222.
r) Loc. cit.
s) De immort. animae c. 15. p. 124.
t) Apud LAVNOIVM de fortuna Aristot. c. XIV. p. 269.

cusauerat, ita inter alia pergit: *Ad haec eo impietatis profecti sunt multi, vt, quod publice isti non auderent, ob legum seueritatem, sub Aristotelis nomine ausi sint profiteri, vt proximis istis annis perditissimus quidam nebulo Pomponatius cum summo Italiae probro ausus sit, scriptis etiam summis pontificibus oblatis, et tantum non suasis conari, vt ex Aristotele demonstraret, mortales esse animos: et ita bellua inualuit in ea impietate, vt etiam in gloria ponant quidam Parisiis eius doctrinae interpretes, se Perreti aut Pomponatii esse discipulos.* Tanta itaque cum ex impio dogmate asserto pernicies timeretur, et imprimis liber iste Bononiae anno MDXVI typis exiisset [u], nec, si Postello fides, plane in aula Romana displicuisset, quod tamen pernegat MOTHAEVS VAYERIVS [v], clerus tot caussis conspirantibus commotus licentiae philosophi Bononiensis obuiam eundum esse statuit. Qui multo magis moleste tulit, patriarchae philosophorum hanc a Pomponatio impietatem tribui, quam, inter Christianos eam disseminari. Venetiis itaque, teste SYLVESTRI [x] liber ignibus addictus est, grexque Christianus publica praeconis sacri voce monitus, vt ab hoc veneno sibi caueret [y]. Ipsi vero Pomponatii discipuli et amici scandalum sublaturi contra praeceptorem scripsere, inter quos maxime Contarenus, postea cardinalis, fuit, cuius responsionem velut doctissimam et vberrimam Pomponatium collaudasse ait IOANNES CASA in *eius vita* [z]; sero vero, si verum est, factum esse oportet. Pomponatius enim opinionem suam non dimisit, sed Contareno aliisque, qui in eum insurrexerant, edita apologia ita respondit, vt nouis fulcris hypothesin confirmaret. Res itaque cum indies deterior videretur, Romam delata est. Vbi licet et Leonem X, P. M. et Petrum Bembum cardinalem Pomponatio, eiusque dogmati fauere nonnulli suspicarentur [a], tanta tamen indignatione librum exceperunt censores publici, vt flammas vltrices Pomponatius non euitasset, nisi Bembi patrocinio esset defensus. Augustinus Niphus autem refutare Pomponatii impietatem a pontifice iussus est, eo quod in concilio Lateranensi hoc dogma PP. obelo iam confixissent [b]. Cui tamen, patrocinio aulae Romanae tutus Pomponatius, *Defensorium* opposuit. Id quod ita male habuisse Petri patrem Ioannem nonnulli referunt, vt eum abdicaret [c]. Tota autem philosophi Mantuani defensio istis potissimum capitibus absoluebatur: Secundum Aristotelem, et, (quod in fer-

u) Recusus est Basileae 1534. vel serius forte vid. Ven. VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 466.

v) Dial. V. quos Orasii Tuberonis nomine Gallice edidit. p. 295. Possunt autem verba Postelli hunc quoque sensum habere: eum oblato libro tantum non persuasisse pontifici et cardinalium collegio, neque ex Aristotele immortalitatem animae posse demonstrari, neque id officere doctrinae Christianae, quae satis luculenter hoc dogma stabiliat. Quod verum esse ex iis patet, quae de responsione Bembi ad patriarcham Venetum refert LE NOBLE Tableaux des philosophes T. II. p. 80. apud BAYLE l. c. not. C.

x) Strigimast. L. V. c. 5. apud SPIZEL. Liter. sel. p. 173.

y) LE NOBLE l. c. vbi excerpta afferuntur ex eius apologia.

z) pag. 184.

a) Vid. nota (v). Nota suspicio atheismi, qua premebantur Leo X, et Petrus Bembus, vid. BAYLE Dict. T. III. art. Leon, not. I. p. 83. et quos laudat.

b) Attulimus decretum concilii Lateranensis in antecedente Tomo. c) OLEARIVS loc. cit.

feruore disputationis constitutus, affirmabat) ex principiis rationis immortalitatem animae demonstrari non posse, certissimum autem fidei dogma esse, proque eo defendendo afferendoque mori se esse paratissimum. Mutauisse tamen Pomponatium mentem [d], vel si dicendum quod res est, poenituisse eum, quod non cautius mercatus sit, et THEOPHILVS SPIZELIVS [e] asserit, et imprimis, qui idem argumentum tractauit, ANTONIVS SIRMONDVS prodit. Is enim vbi in Gallia nonneminem Pomponatii librum, non adiecta refutatione, typis recudi feciſſe obseruat, addit [f]: „Quem repugnante auctore, nescio quis curiosus, aut impius, nouis typis iusserat in lucem exire solitarium et sine responsione Iauelli, quam „ipse Pomponatius scripta ad eum epistola ita olim comprobarat, vt palam „rogarat edici, se quoque suffragante perspersum suo libro venenum hoc „antidoto nisi diluatur, pestiferum esse, ac toti humano generi extimescendum". Quod vtrum verum sit, et si verum, vtrum vel animi sententia professus sit Pomponatius, an ad declinandam inuidiam et calumniam scripserit, dicere non habemus, cum istam epistolam, ad quam prouocat Sirmondus, reliqui ignorent, qui de Pomponatio scripserunt. Illud ex supra dictis certum, eum in Christianae fidei communione atque opinione orthodoxiae fuisse mortuum, et ideo Ganzagae cardinalis tumulo honorifice illatum, quod factum non fuisset, nisi ab imputato crimine se satis purgauisset. Non tamen haec omnia obstare potuere, quo minus atheismi nota etiam post fata Pomponatio a plurimis inureretur, quorum nomina adduxit Cl. REIMMANNVS [g]. Fuerunt tamen, qui philosophi celeberrimi miserti eius apologiam susciperent. Inter quos imprimis editor operum eius GVILELMVS GRATAROLVS Bergomas, Medicus Basileensis est, qui valde *ignaris Pomponatii obtrectatoribus et Aristarchis* succensет, *qui illum de animae immortalitate non bene sensisse nugantur, cum ipse in libro ea de re ante annos XLV* [h] *edito ex Aristotelis mente loquatur: in istis vero, vt legenti amborum librorum postrema et prima capita et alibi etiam clare patet, se vt Christianum decet sentire ac tenere asserit, et ecclesiae iudicio non semel atque iterum se suaque subdit: et testibus iis, qui eum nouerunt superstitem, pie pro eo tempore vitam cum morte commutauit: nam se ac sua ecclesiae catholicae subiecit, sique diutius vixisset, mirum quam fuisset veritatis acerrimus, vt puto, assertor.* Idem sentiunt alii viri docti, aequius de incerta eius mente, statuendum esse rati. Monent enim [i], saluis hypothesibus Aristotelicis et Alexandreis aliter statuere Pomponatium non potuisse, cum totius physiologiae Peripateticae connexio, ita statui postulet. Fassum autem esse Pomponatium, se illi tamen dogmati ex animo

d) Conf. Io. WIERVS de Praestig. daemon. L. VI. p. 569. e) Loc. cit.
f) De Immortal. animae p. 2.
g) Hist. atheismi S. III. c. 4. §. 8. p. 361 seqq. quibus facile plures addi possent.
h) Scripsit haec Gratarolus anno 1567. inque eo falsus est, nam liber de Immortalitate animae anno 1516. editus est, non vero anno 1522.
i) Ita imprimis P. BAYLE l. c. not. F.

adhaerere, licet ex eorum numero esse dicat, quae certissima tantum ratione ex reuelatione innotescant, adeoque pro articulo fidei habuisse, rationi, maxime vero Peripateticae philosophiae, ignoto. In eo vero socios habuisse viros multos summos, et vitae pietate et doctrinae puritate venerabiles, qui haud leuibus rationibus inducti asseruerint, immortalitatem animae philosophiae demonstrationibus non subiici, eiusque certam cognitionem ex scriptura tantum hauriendam esse. Impossibile autem esse, et ab amoris Christiani natura alienum suspicacius contendere, dicis caussa tantum ista distinctione fuisse vsum, de internis enim animi sensis iudicare homines non posse. Talia sunt, quae pro Pomponatio dixerunt GISB. VOETIVS [k], IENKINVS THOMASIVS [l], PETRVS BAYLE, Io. FRANC. BVDDEVS [m], Io GOTTL. OLEARIVS [n], et G. G. LEIBNITIVS [o]. Quae eleganter quidem et erudite monentur, nec in se considerata reiicienda sunt, ad Pomponatium tamen, si quid iudicamus, applicari vix possunt. Cuius rationes paulo prolixius exponendae sunt, et sic occasio quoque arripienda, ostendendi, paulo plenius expositis Pomponatii placitis, quam pestilentes fructus tulerit eo tempore philosophia Peripatetica. Ipsi enim libri Pomponatii consulendi sunt, non modo quos *de immortalitate animae* scripsit, sed imprimis illi, quos *de incantationibus*, et *de fato, libero arbitrio, praedestinatione et prouidentia Dei* edidit [p]. Qui cum rarissime occurrant, paucisque visi sint, mirum non est, viros doctos iis non inspectis accurate satis de placitis Pomponatii non iudicasse. Sed et reliqua eius scripta rarissima sunt [q] vt ipse *Nomenclator operum eius manuscriptorum et euulgatorum*, qui ex bibliotheca IOANNIS BOVRDELOTII teste LABBEO [r] prodiit. Nos cum ipsas illas tractationes a Gratarolo curatas [s] in manibus habeamus, quid nobis de philosophia Pomponatii videatur, ita candide aperiemus, vt Lectoris arbitrium in partes vocare liceat.

Pomponatii φιλοσοφήματα de fato.

§. VIII. Pomponatii autem scripta cum attentione legentibus, et quod eorum obscuritas postulat, relegentibus manifestum quidem est, Mantuanum philosophum Aristotelem sibi ducem elegisse, et cum Auerroëm non in omnibus Stagiritae mentem assecutum esse crederet, ad Grae-

k) Disput. Theol. T. I. p. 197.

l) Hist. Atheismi c. 7. §. 4. p. 60.

m) Thes. de atheismo c. 1. §. 24. p. 116 sq.

n) Diss. cit.

o) Disc. praelim. ad Theodic. §. 11.

p) Prodiisse editionem Venetam 1525. fol. refert, qui eam vidit desideratissimus CROSAEVS Hist. itin. liter. p. 73. conf. VOGT. l. c. p. 467.

q) Pleraque ad naturalem philosophiam pertinent, suntque inter ea Dubitationes in IV. libros meteorologicorum Aristotelis.

r) Biblioth. bibliothecar. p. 297. Conf. VOGT. l. c. OLEAR. l. c. §. 36. p. 33. 34. Additiones ad Naudaeana p. 161.

s) Liber de Incantatione prodiit eodem Gratarolo curante Basil. 1556. et postea 1567. posterior de Fato eo ipso anno cum ista tractatione, titulo: Petri Pomponatii philosophi et theologi doctrina et ingenio praestantissimi opera. Et hunc quidem iam ante prodiisse, ex nota (p) constat. Illum autem Gratarolum primum edidisse diserte in prima editione, quae longe rarissima est, dicitur. Ex quo corrigendae Relationes innoc. 1702. p. 828. Recensionem rarissimorum horum librorum dedere auctores Relat. innoc. loc. cit. STRVVIVS Bibl. antiq. 1705. p. 249. omniumque accuratissime Cel. HEVMANNVS Act. phil. Vol. II. p. 339 seqq. Nos prima editione libri de Incantationibus vtimur.

Graecos interpretes, maxime vero ad Alexandrum Aphrodisaeum diuertisse, idque sibi negotium dedisse, vt genuinam Peripateticae physiologiae mentem pernosceret. Quamuis enim ipse fateatur [t], *infinitorum pene auctorum scripta se legisse*, non negat tamen, *ignorantiam in iis suam, quae fecerit, vt ex iis minime sibi satisfacere potuerit, quaeque eum coëgerit, peculiares dubitationes suas aduersus eorum dicta in vnum redigere atque libellum compilare, quem de fato et libero arbitrio ediderit.* Maxime autem eo ipso loco se ad Alexandrum Aphrodisaeum respexisse, eiusque hypotheses integro libro primo excussisse ait, quod ille admodum copiose Peripateticam opinionem explicuerit. Quod Aristotelicae philosophiae studium effecit, vt cum de naturae miraculis atque insolitis operibus, quae incantationes dici solent, rogatus a quodam medico Mantuano caussam dicere vellet, quaestionis difficultatem praefatus [u], eo *quod de his Aristoteles aut parum, aut nihil verba haberet, et difficile ideo sit, quid ipse senserit velle indicare, multi autem qui hoc facere tentauerint, ridiculi habiti sint:* tandem, vt erat modestia singulari praeditus, diceret: *quod si rei non satisfecero, vt vereor, non parum mihi erit tuae petitioni satisfeciisse, non enim postulas tibi aperiam, quid Aristoteles senserit, hoc enim fortassis vires nostras superat, sed quid Aristoteles senserit, quod nostrum existimem, pro posse aperiam.* Ex quibus eius verbis clarissimum est, Pomponatium suppositio systemate Aristotelis physiologico, quale illud schola Alexandrea explicuit; vt *Tomo secundo* dictum, de rebus naturalibus philosophari instituisse, hancque philosophiam suam feciisse. Pro interprete itaque Aristotelis habendum eum esse, nemo forte negauerit, qui librum *de Incantatione* legerit. Et hac quidem ex parte impietatis nota illi non inuri magis potest, quam aliis, qui, si Aristoteles sequendus sit, immortalitatem animae affirmari non posse professi sunt, nominati Lvd. Cerdae [x] cuius locum repetiit Nic. Mallebranchivs [y]. Ast vbi ex altera parte Pomponatium intuemur, fatendum omnino est, valde suspectum eum esse impietatis, qua Aristotelicas nugas sequi, quam pie sobrieque philosophari maluit, adeo monstrosa, et a sanitate doctrinae abhorrentia inque ipsam Christianam religionem iniuria sunt ea maxime, quae in libro *de Incantationibus* suggerit. Nec his retundendis sufficit apologia Grataroli ad primam illius libri editionem inter alia ita praefantis: *Prima caussa cur istud doctissimum ac iucundum opus nunquam in vsum publicum emiserit quisquam, haec esse videtur, propterea, quod is auctor, sicut in quibusdam aliis suis operibus, non vsque quaque bene de animae nostrae immortalitate, ita in hoc de nonnullis miraculis in Christiana religione vulgo receptis, parum bene plerisque sensisse videretur: sed meminisse*

t) Praef. libri de fato et libero arbitrio Opp. pag. 370.
u) In epistola libro praefixa.
x) Ad Tertvll. ad Resurr. carn. c. 2.
y) De la recherche de la verite Lib. II. c. 6. p. m. 209.

nisse debebant, qui sua legerunt, vel illum publice profitentem audiuerunt, eum dicere solitum, se vt philosophum, hoc est, Aristotelis sectatorem, cuius quam studiosissimus fuit, non tenere absolute animi immortalitatem, neque ex Aristotelis doctrina omnino defendi posse: vt vero Christianum, se ab ecclesia catholica non dissentire: id quod etiam in hoc suo ex postremis opere, praesertim in primo et vltimo capitibus non obscure fatetur. Idem de veris miraculis asserit, pro quibus tuendis non veretur semel atque iterum ipsum suum Aristotelem ac Platonem, aliosque philosophos ignoratiae arguere, et illorum doctrinam, quod ad Christi miracula et religionem, Deique omnipotentis cognitionem attinet, insufficientem ac coecam asserere. Nam vt verum quidem est, anxie haec et magna cura in prologis et epilogis suarum tractationum inculcare Pomponatium, ita satis tamen luculenter passim prodidit, se ad declinandam tantum inuidiam, euitandaque fulmina cleri ea dicere, praeferre se vero Aristotelem et Alexandrum suum Christianae religioni, et, cum haec doctrina cum Peripatetica non consentiat, cupere se, vt Lycei auctoritas prae ecclesiae fide salua maneat atque inconcussa. Quod vt in aperta luce constituatur, ipsae Pomponatii paginae euoluendae sunt, in quibus ea regnat impietas et tantus Christianae religionis contemtus, vt eam insuper habuisse sit manifestissimum. Non vrgebimus innumera, quae contra gratiae diuinae efficaciam et praedestinationis dogma disseminauit dubia, nodosque difficiles, quos in libris *de Fato et libero arbitrio* struxit, cum ex Aristotelico systemate necessarium et ineuitabilem caussarum supremarum vsque ad infimas nexum supponeret; nec monebimus, non feciſſe iniuriam Pomponatio magnorum meritorum theologum cel. VAL. ERN. LOESCHERVM [z], qui eum inter scepticos retulit, id enim ex hac sola eius disputatione colligi potest. Sed ignoscemus haec philosopho, fatenti, *in difficillimo argumento, se haec scripsisse, non vt alios doceret, quandoque insciuum, sed magis vt se ignorantem alii doceant.* Ast quis feret ex liberi arbitrii quod in homine supponit [a], magnisque rationibus assertum ire contendit, natura inferentem *prouidentiam diuinam et liberum arbitrium humanum non posse simul stare in eodem, adeoque Deum absoluendum esse a prouidentia caducorum* [b]. Nempe id ab Aristotele suo didicerat Pomponatius, qui ob necessariam motoris primi actionem in primam sphaeram et intelligentiae ei praesidentis necessariam connexionem, eius prouidentiam a sublunaribus excludit. Quam Aristotelis impietatem tot vt putat, absurditatum ex contraria de influxu Dei in actiones hominum doctrina exsurgentium obiectionibus palliat vrgetque, vt attento lectori facile persuadeat, plurimum interesse philosopho, vt insuperabilia haec dubia et insolubiles nodi videantur. Inde alio quoque loco [c] contra Thomae assertiones de gratiae efficacia et influxu, subtilissimas obiectiones spargit, easque con-

z) Huic enim recensionem in innoc. Relat. adscribit OLEARIVS l.c.

a) L. II. c. 1. p. 529. 531.

b) pag. 533.

c) Lib. V. c. 6. p. 958.

contradictionum plurimarum coarguit. Inter quas haud leue argumentum est, quod Thomae hypothesin cum Stoicis comparando haud minorem, quam Porticus alebat, impietatem eam fouere acriter contendat. Vnde aliam gratiae et concursus eius cum libero arbitrio rationem ineundam esse ratus, ita praecipiendum esse statuit [d]: *Requirere mundi, velut operis diuini, perfectionem, vt sit in vniuerso natura libera; et condidisse Deum* [e] *naturam humanam, vt omnis homo esset bonus et beatus quantum possibile sit, secundum suam naturam, relicta tamen et seruata libertate libertatis* [f]: *Voluisse quoque Deum ab aeterno omnes homines esse beatos, id autem intelligendum esse tantum de beatitudine, quae debetur homini ex puris naturalibus, ad quam per pura naturalia peruenire possunt, quam beatitudinem multos ex gentibus se existimare, ait, habuisse qui vixerunt secundum regulam naturae etr.* Quae vt apertissima ratione euincunt, Pomponatium totum abiecisse Paulum, vt Aristotelem triumphantem in solio collocaret, ita demonstrant, non Christiana magis, quam Peripatetica, dogmata illi arrisisse. Verum denuo aures vellicant nobis Pomponatii patroni; dicere haec vt philosophum, non vt Christianum, et hoc respectu totum se ecclesiae subiicere. Quibus vt manibus palpandum demus, quam amaro risu praeter animi intentionem cucullatos fratres, vt ipse vocat, ista submissione rideat, et quam contemta illi ecclesiae vox sit, en locum valde memorabilem, vbi empaecta vaferrimus hunc in modum differit [g]: *Percelebre peruulgatumque est, praecipue apud homines diui Dominici, diuum Thomam habuisse a redemtore multis veraciter audientibus et non phantastice, omnia quae per eum Thomam scripta sunt, quae attinent ad theologiam, verissima esse et recta declarata. Quod si verum est, nihil est, quod in dictis his de praedestinatione dubitem. Nam quamquam mihi falsa et impossibilia esse videantur, immo deceptiones et illusiones potius, quam enodationes; tamen vt inquit Plato, impium est diis et eorum filiis non credere, etsi impossibilia videantur dicere, et iuxta apostoli sententiam oportet captiuare mentem nostram in obsequium Christi.* Nempe decebat philosophum Peripateticum, arrepta ex vulgo monachorum fabula ipsa religionis mysteria deridenda propinare, prodereque non fine sale, se sanctissima scripturae decreta, quibus contraria defendebat, Aristotelem suum secutus, cum fabulis monachorum eodem loco habere. Hoc qui pacto sinceram et Christianam dogmatum ecclesiae, ipsiusque Christianae religionis venerationem, obsequiumque Pomponatium demonstrauisse crediderit, heroica is fide praeditus censendus est.

Credat

d) pag. 977.
e) pag. 989.
f) pag. 983.
g) L. V. c. 6. p. 958. Obseruandum autem, Pomponatium in hoc capite oppugnandam sumsisse non solam Thomisticae Scholae doctrinam, sed communem quoque ecclesiae traditionem de praedestinatione et gratia, de qua varias opiniones affert, Paulumque disputationi praefigit, vt ex c. 5. p. 951. patet.

Credat Iudaeus Apella

Non ego.

Et haec quidem ex libro *de Fato atque libero arbitrio* specimina satis luculenta sunt, praetulisse Pomponatium Aristotelem Paulo ipsique Christo. In quo licet infinitis labyrinthis veram mentem suam occultet, et innumeris maeandris incertam atque obscurissimam orationem implicet, facile tamen ex allatis lector cautus et attentus intelliget, quo loco is habendus sit. Ex his vero caussam patere existimamus, cur nos acutissimi HEVMANNI [h], cuius tamen iudicio plurimum tribuimus, sententiam deseruerimus, statuentis, Pomponatio Stoicam de fato doctrinam arrisisse. Hanc enim exponit quidem, et ex ea dubitationes contra Alexandrum nectit, contendentem, alia esse fato subiecta, alia libera: verum non probat, sed ea tantum vtitur, vt, quod clare innuit [i], probet, *Christianorum*, quas oppugnat, *responsiones Stoicum de fato dogma corroborare et construere ac manifestare*, *illam opinionem esse veram*, et vt demonstret, *aliter dici non posse*, *si teneamus*, *Deum inferiorum habere potentiam*, *immo longe meliorem esse Stoicorum opinionem Christianorum opinione*, *eo quod secundum Christianos stantibus responsionibus datis Deus voluntarie faciat malum*, *secundum Stoicos ex necessitate naturae*, cuius quoque exemplum adducit, ad deridendos sacrorum ordinum homines quam maxime comparatum. Quae vt impium et profanum Pomponatii animum declarant, produntque, quam ille opinionem de Christiano doctrinae systemate habuerit, ita luculenter docent, eum Stoicorum placita ideo Christianis opposuisse, vt, cum illa in antecedentibus iam confodisset, ostenderet, negatam DEI in inferiora prouidentiam vnicum esse medium ex hoc labyrintho eluctandi. Neque in eo a Peripatetica semita deflectit, nisi in hoc, quod in hominibus quoque, licet diuina et naturalia non sequentibus, fati quandam necessitatem, sed a primo motore non dependentem, verum a causis inferioribus, quod ad euentus attinet, dari ostendat. In eo enim aliter ALEXANDER statuit, docens [k]: *Quod si nostrae sint potestatis ea, ad quae agenda, aut non agenda domini sumus, non posse dici fatum talium esse caussam, neque caussas et principia externa esse proiecta, per quae talia ineuitabiliter aut fierent, aut non fierent. Nam si id esset, iam in nostro arbitrio non esset, vt ista essent aut fierent. Restare itaque, vt dicatur fati vis sita in iis, quae natura fiunt, ita vt idem sit natura ac fatum. Neque naturale esse hominem ex homine, equum ex equo nasci, vt non idem sit fatale. - - Omnis quippe ortus initium esse diuinarum naturarum, dum mouentur, certum quem habitum ad res infernas.* His dum dubia sua opponit Pomponatius, Stoicis armis vtitur, et caussam pendere ex caussa, adeoque independentem etiam in iis, quae libera dicuntur, caussam, non dari a seipso oriundam

h) Act. philos. Vol. II. p. 376. i) pag. 973. de Fato, edit. Paris. §. VI. p. 24. edit. Londinensis.
k) De Fato p. 152. Coll. Grotianae scriptorum Damus autem versionem GROTII.

undam contendit. Quam cauſſarum catenam cum ex ipſo Lyceo confirmauiſſet, vt euitaret exceptionem Peripateticorum: *Hominem ſine extrinſeco concurrente vel ipſum determinante libere agere*, regerit [l]: *In potentia contradictionis debere eſſe determinationem, quia determinata hominis voluntas exeat in actum.* Cumque illud determinans detegendum eſſet, definiendumque, dixit *illud eſſe intelligentias vna cum corporibus coeleſtibus.* Quo ictu omnino proſtrauit phalanges Ariſtotelicas, cum ex ipſo intelligentiarum ordine nexuque conſequatur a ſupremo motore, etſi neſcio, nec talia curante ad infimam vsque intelligentiam quendam influxum determinantem oriri, et ab hac ad ſublunaria ipſumque hominem extendi. Quibus poſitis tantum abeſt, vt Stoicam neceſſitatem intrinſecam aſſeruerit, vt potius ab externo influxu in naturam ſublunarium cuncta, excluſo Deo, deriuet: quamuis Alexandream hypotheſin ſuo modo deſerat. Tacemus haec omnia obiectionis inſtar Pomponatium adducere, vt oſtenderet, omnem de fato doctrinam eſſe incertiſſimam, adeoque totam derelinquendam. Ex quo, ſi eum audis, ſequitur, cum nec Peripatetica, nec Stoica, nec Chriſtiana de praedeſtinatione doctrina dubiis inſuperabilibus careat, ea abiecta, negatae diuinae prouidentiae ſyſtema Lyceo gratiſſimum eſſe amplectendum. Id quod impietatem Pomponatii luce meridiana clariorem ponit.

Pomponatii philoſophia de incantationibus.

§. IX. Satis, niſi fallimur, luculenter ex Pomponatii libro *de fato* oſtendimus, eum contemtis et irriſis Chriſtianae ſapientiae decretis Peripatetica praetuliſſe, et inuidiae declinandae cauſſa ſe tantum eccleſiae arbitrio ſubieciſſe, quamuis diceret [m], *ſimpliciter Eccleſiae credendum, vbi quoque doctrina eccleſiae intelligi non poſſit.* Clarum etiam eſt, eum Peripateticam doctrinam habuiſſe pro optima in hoc argumento, ſecundum quam *mundus eſt animal et de neceſſitate ſupra lunam, ſublunaria autem ſe habent, tanquam non ſtercora; ſic vt dicendum ſit, Deum producere vniuerſum, veluti luminoſum producit latitudinem luminis a certo gradu vsque ad non gradum*: eum porro exiſtimaſſe, quod in fine fatetur: *Deum non cognoſcere particularia, ſaltem generabilia et corruptibilia, niſi ſecundum ſpeciem, non ſecundum indiuiduum.* Quae impietatis Peripateticae ſunt pleniſſima, exacte vero cum phyſiologia Ariſtotelica conſpirant. Iam ex libro quoque *de Incantatione* oſtendendum, Pomponatium inſano Ariſtotelis amore infatuatum, grauioribus adhuc erroribus ſe implicuiſſe, et tamen nugis iſtis atque ſomniis ita Chriſtianam doctrinam poſtpoſuiſſe, vt iniuria eam et contemtu cumulare non erubuerit. Dabimus hic quoque eius placita, cumque libellus ſit longe rariſſimus, paucisque legendus ſe offerat, longe plura vero, quam in altero libro paradoxa decreta contineat, magis memorabilia, ordine ab ipſo Pomponatio delecto, ipſisque eius verbis, licet ſaepe barbaris, exhibebimus. Ita vero philoſophus ſtatuit:

l) pag. 393. m) pag. 1013.

I. Daemones singularia non intelligunt, siue per essentiam suam, siue per essentiam rerum singularium intellectarum, neque per essentiam aliarum rerum distinctam ab ipsis daemonibus [n]. In hoc asserto supponit Pomponatius ex Aristotelica physiologia intelligentias sphaeris affixas, non nisi intellectu et appetitione ad primum motorem ferri, exque eo sphaeram suam mouere, inferiorum rerum neque intelligentes neque appetentes, eo quod cum iis nullam habeant communicationem. Haec clauis instar esse possunt, ad reliqua intelligenda. Ea autem in sequentibus [o], inde quoque roborat, quia sensibilia non agere possunt in intellectus penitus abstractos. Inde daemonibus omnem in res materiales virtutem mirificam et operationem praeternaturalem denegat.

II. Profanum vulgus est, et rudes homines, qui, quod non norunt fieri per causas manifestas et apparentes, in Deum vel in daemonem coniiciunt [p].

III. Homo est medius inter aeterna et generabilia atque corruptibilia, non tantum per horum exclusionem, verum et participationem. Hinc virtutes et vitia sunt nobis non profecta quidem a natura, sunt tamen in nobis horum seminaria [q].

IV. Humana anima cum sensum et intellectum contineat, ipsa est omnia [r].

V. Quamuis sit in anima sensus tantum in actu et sensile in actu, et sic solum secundum esse spirituale et non reale: nihil tamen prohibet, immo est necessarium, quod ipsa species spiritualis realiter producat rem, cuius est species, si agens fuerit potens, et passum bene dispositum. Prolixe hoc vrget Pomponatius, eo quod hoc potissimum fundamento nixus demonstrare cupit, imaginationis vim eam esse, spirituales vt effectus mirasque et insolitas virtutes demonstrare possit. Hinc ad motus corporis ex affectu animi, ad conceptionis et formationis foetus opus, et ad alias affectuum et imaginationis operationes prouocat, e. g. fascinationes, praegnantium errores.

VI. Quamuis per species in anima et passiones ad intra et in corporibus, in quibus reperiuntur, fiant tam mirabiles effectus, nihil tamen prohibet, quin et ad extra et in corpora aliena aliquando consimiles operentur effectus: certum enim, passum similiter dispositum ad extra, sicut ad intra immo et aliquando magis ad extra, et agens habere sufficiens dominium [s]. Hoc ex fascinationis vi et causa demonstratum it.

VII. Daemones immediate mouent corpora motu locali, sed non immediate alterant: Alteratio enim fit per corpora naturalia, quae passo clam vel aperte fuere applicata ab ipsis daemonibus [t]. His suppositionibus Pomponatius totum demonstrationis suae mirabilis superstruxit aedificium.

VIII. Ex

n) pag. 8. o) pag. 19. r) pag. 30. s) pag. 39.
p) pag. 27. q) pag. 28. t) pag. 41.

VIII. Ex his sequitur, quod aliqui multa sint operati secundum naturalem et astronomicam scientiam, et tamen vel ex sanctitate crediti sunt operari, vel ex necromantia, cum tamen neque sancti, neque necromantici sint [w].

IX. Sequitur etiam, si verum est, quod a multis approbatis viris dicitur, scilicet aliquas esse herbas, vel lapides, vel alia huiusmodi repellentia grandines, pluuias, ventos, et etiam naturaliter reperiri aliqua alia apta inducere eadem: cum homines naturaliter scire talia possint, sic applicando actiua passiuis, poterunt inducere grandines, pluuias et eas repellere, neque est hoc impossibile.

X. Ex his sequitur vlterius, quod fortassis multi habiti sunt magi et necromantici, vt Petrus Aponensis, et Ciclus Esculanus, qui tamen nullum commercium habuerint cum spiritibus immundis, immo fortassis cum Aristotele crediderint daemones non esse. Et aliqui existimati sunt a vulgaribus sancti et crediti habere commercium cum angelis, propter opera, quae videbantur, cum tamen fortasse fuerint viri scelerati. Quod si dicatur horum aliquos facere signa bona, aliquos signa mala, vtpote aliquos signum crucis et orationes sanctorum dicere, alios vero oppositum: credo haec facta fuisse ad deceptionem hominum; viros autem doctos et bonos malum non propalasse existimo, ne scientia vilescat et profanetur [x]. Hunc arietem ideo struxit vaferrimus philosophus, vt in sequentibus omnia omnino diuinorum virorum ipsiusque Saluatoris miracula subrueret.

XI. Contingit, vt homines habeant ex proprietate indiuiduali virtutem operandi in externum obiectum in potentia, et per vim imaginatiuam et desideratiuam, cum actu operentur; tunc talis virtus exit ad actum et afficit sanguinem et spiritum, quae per euaporationem petunt ad extra, et producunt tales effectus. Ita reges Galliae strumas curant [y].

XII. Contingit imaginatiuam et cogitatiuam virtutem esse valde fixas circa aliquid, sic quod non sunt secundum naturales dispositiones, verum habitus valde fixi et diu permanentes, et quod habeant obedientiam spirituum et sanguinis: et tunc in tali casu res imaginatiua et cogitatiua sic imaginantibus et desiderantibus potest produci [z]. Prouocat ad imaginationem grauidae, ad fidem aegri etc. et hinc cribrorum et speculorum fatidicorum effectus incomprehensibili sagacitate deriuat.

XIII. Si quae reperiuntur facta in vtrisque legibus, veteri Moysis, et noua Christi, miracula, quae etiam in causam naturalem reduci possunt, asserentibus tamen legibus illa esse facta ex miraculo, firmiter tenendum est, illa fuisse vera miracula. Quod vero eiusdem speciei alia sint miracula, alia non sint, sufficit ecclesiae catholicae auctoritas, quae Spiritu S. et verbo Dei regulatur [a]. Ita fortissimam obiectionem, quam in antecedentibus [b] attulerat, eneruari miracula Mosis et Christi, et ad

w) pag. 45. x) pag. 46. y) p. 48. z) p. 52. a) p. 89. b) p. 70.

cauſſas naturales reduci poſſe, eludit magis, quam ſoluit. Hinc cum concedat [c], quamuis illae figurationes in cordibus ex fixa imaginatione figurari poſſint, et talia ſtigmata in talibus partibus generari, vt legitur de b. Franciſco, tamen ſi eccleſia Dei determinet, iſta facta fuiſſe ex miraculo, ſic firmiter tenendum eſſe, licet haec videantur de poſſibilibus remotis valde.

XIV. Non extra naturam et operationem eſt, mentes vocibus immutari et cogi, quibus immutatis et corpora immutari perſpicuum eſt. Fides tamen accedere debet habita verbis illis, ex qua maior fit euaporatio ratione praecantantis, et melior diſpoſitio ratione praecantati. Idem valet de figuris et characteribus [d].

XV. Obiici poteſt aſſerto; quaedam fuiſſe facta [e], quae nullo modo in cauſſam naturalem reduci poſſunt; veluti mortuorum reſurrectio, illuminatio coeci, eo quod hiſtoriae quoque gentilium teſtantur, multos ex inferis fuiſſe reuocatos, idque herbarum et daemonum vi. Talia fuere miracula [f] Veſpaſiani. His obiectionibus *capite* quidem *octauo* reſponſiones opponit, verum adeo frigidas, vt quae ei mens de miraculis diuinis inſederit, cauto lectori facile prodat. Vt enim neget, reuocationem hominis demortui ab inferis, eſſe naturae opus, ad theologorum modo auctoritatem et ſententiam prouocat, quos quam contemtos habeat infra videbimus. Ad exempla reſuſcitatorum a gentilibus allata regerit, aut fabulam eſſe, aut reſuſcitatos non fuiſſe vere mortuos, cuius exempla a ſuſpenſis, epilepſia correptis, apoplexia tactis etc. deſumit; ſcilicet, quod rebatur, eandem quoque reſuſcitationi mortuorum a Chriſto praeſtitae exceptionem obuerti poſſe. Immo ſi concedendum eſſe putat [g], quod fuerit vera reſurrectio, non tamen eam fuiſſe ait ex daemonibus, verum ex ipſo Deo, nihilque vetare, eos fuiſſe paganos et gentiles. Qua ratione omne illud, quod pro veritate R. C. doctrinaeque Chriſti a luculento hoc miraculo deſumitur argumentum infeliciter impieque euertit. Nec alia ratione Veſpaſiani miracula negat, quam, non reuera fuiſſe coecos, vel ſanatos fuiſſe a Veſpaſiano, quia fuiſſent talis diſpoſitionis [h]: ſimilia dicturus de Chriſto, niſi legum metus obſtitiſſet.

XVI. Grandis tamen contra haec omnia, quae daemonum exiſtentiam Deiue operationem immediatam, vt in reſurrectione, ſupponunt, dubitatio exſurgit, mirum eſſe ac monſtruoſum, tantum philoſophum, qualem omnes nationes vno ore Ariſtotelem fuiſſe confitentur, iſtud non vidiſſe, et aperte haec, a veteribus affirmata et innumeris hiſtoriis comprobata, negauerit, et tanquam ridicula et inania deſpexerit. Valde extollit hanc dubitationem, *quam, vtinam ſoluere ſcirem*, addit: ei quoque robur quantum poteſt apponit, et vbi reſponſionem parat [i], hac excuſatione vtitur: „Satis vereor, cum tantam rem aggredi tentem, ne „nomen

c) p. 91. d) p. 93. g) p. 113. h) p. 117.
e) p. 102. f) p. 111. i) cap. 12. p. 119.

„nomen temerarii ſubeam, et ſupra vires praeſumere videar. Verum „amor meus et obſeruantia, quam a teneris etiam annis erga Ariſtotelem „habui, impellunt ad ſui defenſionem haec paucula in medium afferre, „quae tamen, ſi ex toto difficultatem non euacuabunt, meam ſaltem in „eum obſeruantiam et charitatem monſtrabunt". Satis manifeſte haec produnt cauſſam, cur Ariſtotelem Chriſto et apoſtolis praetulerit impius philoſophus: quae vero ab eo exhibetur reſponſio, talis eſt, vt impietatem Peripateticam Pomponatii in aprico ponat. Huc enim omnia paucis redeunt: Primum cauſſam demonſtrat [k], cur daemones Ariſtoteles negauerit, nempe quia viderit, ex ſenſibilibus haec inſenſata probari non poſſe, et haec principiis naturalibus aperte aduerſari. Deinde cum operationum a daemonibus profectarum exempla innumera allegentur, praemiſſa proteſtatione, ſe hanc ſolutionem non pro abſolute vera habere, ſed tantum ita ex principiis Ariſtotelis reſpondendum videri, haec ſtatuit: 1. Deum eſſe cauſſam vniuerſalem omnium materialium et immaterialium, non efficientem modo, ſed et finalem et exemplarem atque formalem; immo mundi archetypum. 2. Omnium corporabilium, ſaltem generabilium et corruptibilium hominem eſſe ſupremum et nobiliſſimum. 3. In tota natura humana aliquos homines dependere ab aliis, vt ſe inuicem adiuuent. 4. Id vero varie fieri et aliter pro ratione dependentiae. 5. Deum autem, quanquam ſit omnium cauſſa, penes tamen Ariſtotelem nihil operari valere in hoc ſublunari mundo, niſi mediantibus corporibus coeleſtibus tanquam inſtrumentis per ſe et neceſſario requiſitis ad factionem et conſeruationem horum ſublunarium. Haec non textibus allatis ex Ariſtotele ſolummodo probat, ſed innumeris fere exemplis operationes corporum coeleſtium in haec inferiora roborat, ſigna futurorum euentuum inde orta aduocat, et magna fiducia concludit, omnem effectum hic inferius aut per ſe aut per accidens reduci ad coelum, et ex peritia corporum coeleſtium miranda et ſtupenda poſſe cognoſci et pronuntiari. 6. Harum vero operationum natura doctrina, experimento, libris aliisque ex fontibus homines nonnullos habere notitiam, qui ab imperita plebe vel pro daemoniacis vel pro ſanctis natis ex materno vtero vel extra maternum vterum habeantur. Quae facta inductione latiſſime exemplis furoris fatidici gentilium, poëtarum enthuſiaſmi, puerorum fatiloquorum, lapidum diuinandi virtute pollentium, prodigiorumque non ſine lectionis oſtentatione demonſtrare ſatagit. His omnibus praemiſſis in difficilibus et occultis rationes magis ab inconuenientibus remotas ſequendas eſſe ſtatuit. Et his ita ſuppoſitis, ſecundum Ariſtotelem ſine immediata Dei vel daemonum operatione ad ſupra allata exempla omnia reſponderi poſſe contendit. Deum ſecundum Ariſtotelem [l] ob perfectiſſimam eſſentiam, inferioribus ob eorum imperfectionem admixtam immediate copulari non poſſe, adeoque inſtrumentis et miniſtris opus habere [m]. Deum itaque in vatibus (etiam

k) pag. 120. l) p. 145. m) p. 147.

(etiam in oraculis gentilium) mediantibus intelligentiis mouere corpora coeleſtia, vt talia in phantaſia vatis generentur. Hic modus cum maxime naturalis ſit, magis retinendam eſſe Ariſtotelis ſententiam, quam aliam. Per contactum itaque intelligentiae corpori coeleſti praeſidentis, ſiue potius clariusque ex diſpoſitione corporum coeleſtium habere vates iſtam virtutem fatidicam, quae cauſſa ſit, cur vates non fiant, ſed ex peculiari corporis diſpoſitione melancholica naſcantur [n]. Fieri haec quidem ab intelligentiis, verum non ab eis, quas alii dicunt, quandoquidem ſufficiat numerus ab Ariſtotele poſitus [o]; et haec modo mediantibus corporibus coeleſtibus, tanquam earum neceſſariis inſtrumentis, cum natura ordinate procedat, primaque (Deus) non coniungantur infimis ſine mediis. Similiter fieri prodigia, plorare ſtatuas, guttas emittere; quamuis haec multoties ſint hominum et ſacerdotum deceptiones, quod temporibus ſuis contigiſſe affirmat. Spectra autem et apparentes imagines, qualis illa fuit S. Coeleſtini in aëre in vrbe Aquilana viſa, factas eſſe a Deo per miniſtros ſuos, qui ſint intelligentiae coelum mouentes mediantibus coelis: eas autem non formas eſſe talium corporum, ſed motores [p]. Et per hos Deum rebus inferioribus prouidere eaque curare. Eſſe vero etiam demortuorum imagines diu in aëre, et ſonum edere poſſe, hincque illas ſpectrorum apparitiones oriri [q]. Haec ſimulacra a corporibus coeleſtibus facta illos Deos fuiſſe, quos homines ſaepe allocuti ſint [r]. Vera quoque eſſe auguria, quibus prouidentia diuina vtatur; eſſe autem ea effectus coelorum, et naturae [s]. Animam vero diſponi ſecundum materiae diſpoſitionem, et ipſam materiam ſuſcipere virtutes coeleſtes, quae virtutes coeleſtes animam dirigant ad diuerſos fines [t]. Quaecunque autem daemonibus operationes tribuantur, fieri quoque poſſe ex iisdem cauſſis per hominem. Ex his tandem, multifaria, quae auctori non denegandа eſt, eruditione et lectionis copia diſputatis, hanc tandem concluſionem format [u]: *Si quis mirabilia et occulta naturae opera conſideraverit, virtutes corporum coeleſtium Deum et intelligentias, humana et omnia inferiora, curantes, nihil opus eſſe daemonibus, vel aliis intelligentiis, niſi Ariſtotelis, adeoque nec genios nec peculiares hominum cuſtodes ponendos eſſe. Eis autem qui ponunt animam immortalem et multiplicatam, naturalem eſſe debere reſurrectionem, arteque procurandam* [x]. *Cum autem manifeſtum ſit, Ariſtotelem reſurrectionem negaſſe, ideo certiſſimum eſſe apud eum, humanam animam eſſe mortalem, niſi figmentum maximum opinionem Auerrois ſomniemus, videlicet vnicam in omnibus hominibus eſſe animam, quod inintelligibile ſit.* Hactenus vna ſerie Pomponatius, qui cum veram mentem in hac diſſertatione expoſuerit, recte, niſi fallimur, impietatis Peripateticae accuſatur. Ea vero in ſequentibus ſic porro explicat:

XVII. Deus

n) p. 152. o) p. 155. r) p. 179. s) p. 183. x) p. 215.
p) p. 169. q) p. 173. t) p. 187. u) p. 213.

XVII. Deus omnia intelligit, et se quidem per essentiam, reliqua vero per caussam, quoniam aliorum est caussa omnium *y*.

XVIII. Intelligentiae primo per se intelligunt, et in se ipsis intelligunt superiora, quoniam eorum sunt effectus, inferiora vero in se ipsis, non extra, intelligunt, quoniam sunt caussae inferiorum: hinc exactissimam habent notitiam sublunarium, verum tantum in specie, non in indiuiduo; sic vt opus haud sit, si Deus vel intelligentia Socratem producat, vt nunc intelligat particulariter Socratem, et hoc instans; eo quod demum per locum et tempus determinantur *z*.

XIX. Deus et intelligentiae in haec inferiora agere non possunt; ab agente enim immobili non potest prouenire nouum, nisi mediante motu antiquo.

XX. Mouent itaque Deus et intelligentiae intellectum et voluntatem tanquam prima mouentia, non tamen sine corporibus coelestibus *a*.

XXI. Voluntas partim est materialis, quia sine re corporali agere non potest, partim est immaterialis, quare supra corpus operari, et eligere potest, et libera est *b*.

XXII. Vates ex genitura sua et principiis generationis ita sunt dispositi, sed remote, habent autem aliquam propinquiorem dispositionem ad suscipiendos afflatus diuinos: formalis autem et effectiua est cognitio et similitudo rerum habita a corporibus coelestibus *c*. Tales fuere Elisaeus, Ioseph, Daniel, et vates etiam gentiles.

XXIII. Deus non tantum vnius est caussa, verum omnium; quare et omnium vaticiniorum caussa est, secundum tamen alteram et alteram dispositionem coelorum, et dispositionem passi dat vaticinium, diuersi autem situs coelestium corporum continue variantur.

XXIV. Sanitas miraculosa fit vel ex imaginatione credentis, vnde si ossa sancti essent ossa canis, et tanta et talis de eis haberetur imaginatio, non minus subsequeretur sanitas quam ex ossibus reliquiarum: immo multa corpora venerantur in terris, quorum animae patiuntur in inferno; vel illa fit secundum peculiarem dispositionem subiecti *d*.

XXV. Preces, quae imbrem operatae sunt, effecerunt id virtute imaginationis vehementis. Nam cum hominis in anima voluntas et maxime imaginatiua fuerint vehementes, elementa, venti et reliqua materialia sunt nata obedire eis. Hinc debent preces ex imo corde prouenire, et esse feruentes *e*, quoniam sic spiritus melius afficiuntur, et supra materiam fiunt validiores, non vt flectant intelligentias, sunt enim immutabiles, sed vt magis afficiantur. Et hac quoque ratione vapores acriter affectorum potuere figurare imaginem diui Coelestini *f*. XXVI.

y) p. 237. z) p. 239.
a) p. 240. b) p. 241. c) p. 244.
d) p. 249.
e) p. 255. Ita vero his sibi placet Pomponatius, vt grauem dicam iis scribat, qui philosophos impietatis accusant, cum ipsi soli rationalem orandi modum subministrent, reliqui irrationali modo orent. En vero pietatem. f) p. 259.

XXVI. Iuxta hanc imaginationem non est incredibile aliquem hominem sub tali constellatione natum, vt imperet mari, ventis et tempestatibus, vel vt ex dono coeli sanet daemoniacos, etc. verbo: virtute coelorum miracula ab hominibus possunt perpetrari [g].

XXVII. Negare Deum, intelligentias et corpora coelestia esse caussam malorum naturalium, est destruere pulchritudinem et ordinem vniuersi, quae consistit in diuersitate [h].

XXVIII. Corpora coelestia secundum diuersas partes suas caussant diuersitatem in mundo inferiori.

XXIX. Quia neque Deus neque vlla creatura voluntatem potest cogendo mouere, ideo neque Deus neque corpora coelestia sunt vel esse possunt caussa mali moralis [i].

XXX. Quoad dispositionem tamen sine dubio corpora coelestia sunt caussae malorum; verum tale malum non est malum culpae, sed naturae, quod est Dei et intelligentiarum ac corporum coelestium [k].

XXXI. Quamuis alliciendo et disponendo ad peccatum Deus et corpora coelestia agant in hominem, illis tamen non succensendum est, quia quod malum est vni, bonum esse potest alteri. Natura etiam despiciens partem, respicit totum, et relinquens minus bonum de maiori bono procurat. Disponunt etiam corpora coelestia, non vt sequatur homo, sed vt superet dispositionem, et efficiatur clarior. Coeli enim dispositiones non necessitant [l].

XXXII. Astrologi recta dicunt et consona sensui ac rationi [m].

XXXIII. Homines ex vi continentis vel ex aliquo alio conuerti possunt in lupos, vel porcos, vel aues, forma hominis in eam formam transmutata [n].

XXXIV. Vnumquodque quod incipit, siue sit animatum, siue sit inanimatum, siue sit vnum per alligationem, siue sit natura, siue ad placitum habet augmentum statum, declinationem: idque non tantum in naturalibus, verum etiam moralibus. [o].

XXXV. Ideo cum oracula inceperint, debent etiam finem capere, dispositio enim illa ex corruptibilibus est [p].

XXXVI. Quare cum ritus illorum priorum deorum erant oracula talia, qualia conueniebant diis illis, ideo per aduentum nouae legis, nouae dispositiones et nouae consuetudines debebant induci, priores corumpi, et sic rationabiliter illa oracula defecerunt [q].

XXXVII. Cum autem legum mutatio sit maxima mutatio, et difficile sit a consuetis ad maxima inconsueta transire, ideo oportet pro secunda lege succedente inconsueta mirabilia, et stupenda fieri. Quare a corporibus coelestibus in aduentu legis nouae debent prodi homines miracula facientes, ventis et maribus imperantes, languores sanantes, secreta pandentes,

g) p. 259. h) p. 274. i) p. 278. n) p. 295. o) p. 300.
k) p. 279. l) p. 280. m) p. 285. p) p. 302. q) p. 303.

tes, futura praedicentes etc. Quod enim ſparſum eſt in herbis, et animalibus vnitum eſt in illis ex Dei et intelligentiarum munere, ſuntque Dei filii.

XXXVIII. Verum non ſolum vnus primus talis eſt, ſed ſunt etiam multi alii, qui vel eandem deitatem ab eodem primo recipiunt, vel eam recipiunt a conſimili influxu intendente dictam legem perficere. Vnde tales legum conditores per multa ſecula praedicuntur a prophetis.

XXXIX. Cum talis coelorum influxus ceſſabit et declinabit, lex labefactari incipiet, donec in nihil conuertatur, latet tamen in quibusdam mutatio ob temporis diuturnitatem *r*.

XL. Nihil inconuenit, ſi nunc nomine Ieſu et ſigno crucis languores expellantur, olim vero minime, quoniam nondum venerat eius hora *s*.

XLI. Videmus et iſta et ſua miracula in principio eſſe debiliora, poſtea augeri, deinde eſſe in culmine, deinde labefactari, donec in nihilum reuertantur. Quare et nunc in fide noſtra omnia frigeſcunt, miracula deſinunt, niſi conficta et ſimulata, nam propinquus videtur finis.

XLII. Ritus qui nunc ſunt, infinities fuerunt, ſecundum ſpecies et infinities erunt, nihilque eſt, quod ſimile non fuerit, et conſimile non erit, nihilque erit, quod non fuit, nihil fuit, quod non erit. Quare cum continua et aeterna ſit talis viciſſitudo, habet cauſſam aeternam et per ſe; in nullam autem aliam cauſſam reduci poteſt, niſi in corpora coeleſtia Deum et intelligentias *t*.

XLIII. Non eſt fortaſſe mirandum, per infinitum tempus alibi aliter fortuna influente, res humanas in eundem ſaepius caſum deferri *u*.

XLIV. Deus et corpora coeleſtia habent procurare magis de legibus et religionibus, quam de ipſis regibus et regnis: ſunt enim diuturniores et longe nobiliores. Quare huiusmodi legislatores, qui Dei filii merito nuncupari poſſunt, procurantur ab ipſis corporibus coeleſtibus *x*.

XLV. Quia in omnibus tempora variantur de bono in malum, quare et de lege in legem, modo meliorem modo deteriorem: hoc enim poſtulat vniuerſi perfectio, et haec fiunt viciſſitudinarie.

XLVI. Quia in vnaquaque lege, Moſis, gentilium, Mahumeti, fiunt miracula, qualia leguntur et memorantur in lege Chriſti; videtur hoc conſonum, quoniam impoſſibile eſt, tantam fieri transmutationem, ſine magnis prodigiis et miraculis.

XLVII. Non ſunt autem miracula, quod ſint totaliter contra naturam et praeter ordinem corporum coeleſtium, ſed quia inſueta et rariſſime facta, et non ſecundum communem naturae curſum, ſed in longiſſimis periodis *y*.

§. X. Habes, Lector attente, ipſum Pomponatii ſyſtema phyſiologicum, quod an impietate vllum vincat, dubii haeremus. Adeo vero aperte *Excuſatio impietatis Pomponatii.*

r) p. 305. s) p. 306. t) p. 311. u) Haec aſſerta poſtulat aeternitas mundi, quam Pomponatius hoc loco euidenti ratiocinio ſupponit. x) p. 313. y) p. 314.

aperte rem Christianam omnem perditum iuit, vt ne colorem quidem reliquerit, credendi magis sobria eum statuisse. Ne vero tanta sentiendi et illudendi licentia omnem in se sacerdotum nationem velut crabrones irritaret, *capite vltimo* determinate promisit definire, quid sentiat. Afferamus has quoque eius conclusiones, ne iniquius cum Pomponatio egisse videamur: illae his potissimum constant:

I. Qui ad mentem Aristotelis aliquas substantias immateriales, praeter intelligentias mouentes orbes ponunt, minime Aristotelici dicendi sunt, immo prorsus ab eius dogmate alieni habeantur [z]. Probat id multis rationibus Peripateticis.

II. Propter effectus, quos communiter homines attribuunt daemonibus, immo et bonis angelis non interueniente Deo secundum modum specialem et proprium, sed tantum secundum modum generalem, dimisso etiam Aristotele, efficaciter probari non potest, tales substantias immateriales esse *. Etiam hoc multiplici ratione probat, pleraque vero eo redeunt, substantiam pure immaterialem non posse agere in corpus, nisi mediante corpore. Quod si verum sit, sufficere corpora coelestia. Esse quoque irridendum [a], cum corpora coelestia tantam rerum molem moueant, ea non posse tam futiles et inanes effectus edere, vt opus sit nouos inducere Deos et noua figmenta. Etiam hanc rationem addit, quod hoc Aristoteli, Theophrasto, Eudemo Alexandro placuerit: cum itaque naturaliter nullus sit in doctrina conferendus Aristoteli et viris citatis, magnam hoc fidem facere opinioni [b]. Praeferendam quoque hanc sententiam Christianae [c], eo quod corpora coelestia omnia ea facere possint, quae angelis tribuuntur, et quidem multo expeditius [d].

III. Si in hoc mundo inferiori aliquis est effectus, qui de necessitate sine secundis causis fiat a Deo, hunc effectum Peripatetici saluare non possunt, hocque ostendit doctrinam Peripateticam non esse veram, sed deficientem.

IV. Aliqua in isto mundo inferiori facta sunt, quae nullo modo secundum Aristotelis principia saluari possunt, immo apertissime eius dogmatibus sunt repugnantia. Qualia sunt miraculum solis quiescentis, vel retrogredientis Ios. X. 1 Reg. XX [e].

V. Talia miracula quae sunt praeter ordinem creata, et a solo Deo fieri possunt, et fiunt aliquando, veraciter demonstrant insufficientiam doctrinae Aristotelis, et ceterorum philosophorum, ipsamque veritatem et firmitatem religionis Christianae aperte declarant, solaque haec vere et efficaciter facere possunt [f].

VI. Quicquid affirmatum est, per scripturam canonicam et vniuersaliter decretum est per sanctam ecclesiam catholicam, illud totum firmum, ratum

z) p. 319. *) p. 322. c) p. 328. d) p. 330.
a) p. 324. b) p. 325. e) p. 334. f) p. 339.

ratum, ineuitabile, inconcussibile et prorsus sine aliqua dubitatione tenendum est, quicquid vero damnauerit, reiiciendum [g].

VII. Cum itaque ecclesia daemones et angelos esse determinet, et talia aliquando operari, id firmissime tenendum est, quamuis talia per naturam fieri possint, et fiant absque eorum praesidio. Verus enim Deus est Christus, nec potest mentiri, Aristoteles et Plato fuere homines mortales, ignorantes. Vnde concludendum, intelligentias per sensus cognoscere, mutari, alterari, mouereque [h]. En vero, Lector, quibus coronis Venerem suam ornet Pomponatius, et qua ratione videri velit ideo haec omnia tam subtiliter disputasse, vt Peripateticae philosophiae nerui incidantur, et prosternatur auctoritas, ipse vero et scripturae et ecclesiae obsequium fidei demonstret. Verum caue, mentienti simulantique fidem adhibeas, qui satis aperte in ipsa tractatione prodidit, nihil minus sibi curae esse, quam religionis Christianae veritatem, et se ista tantum scripsisse, vt inquisitorum oculos falleret. Non vrgebimus, fortissimis pro Peripatetico systemate rationibus, friuolas, frigidasque obiectiones reposuisse, et haud semel Peripateticis Christiana postposuisse, retulisse quoque Christum et gentiles vates, item legem Christianam et Muhammedanam in vnam classem, habuisse Aristotelem pro summo veritatis magistro, fateri, se satisfacere eius dubitationibus non posse, et quae alia plurima sunt, summa fide, ne omissa quidem dictionis barbarie a nobis relata; ea enim facile ipsi Lectori suppeditabit memoria. Sed id tamen monemus, suomet indicio, vt soricem, se prodidisse auctorem, hancque eius sententiam fuisse, loquendum cum vulgo, sentiendum cum philosophis, nihil horum mysteriorum ad sacerdotum turbam vulgandum, velandam abscondendamque suam opinionem, simulandum Christianum fidei obsequium; cauendum vero ab ineptis et puerilibus cleri dogmatibus, et philosopham sententiam retinendam, quae sola imperium teneat; exotericam vero doctrinam istam ad vulgus ducendum seruandam esse. Quod vt clarissime demonstrat, caput vltimum eum tantum ad obiiciendum oculis lectoris puluerem addidisse, ita in hac ipsa tractatione passim haud obscure professus est. Ait enim: *Haec*, quae explicuit, *mysteria a profano vulgo non percipi, ab istis tamen philosophis, qui soli sint dii terrestres, et tantum distent a ceteris, cuiuscunque ordinis siue conditionis sint, sicut homines veri a pictis, sint concessa atque demonstrata* [i]. Et alio loco [k] *rude vulgus* contemnit, *quod veras causas non potest capere*; ait autem, *homines istos non philosophos*, (dixerat supra cuiuscunque generis aut ordinis sint, adeoque theologos quoque, sacerdotes, etc.) *qui reuera sint veluti bestiae, non posse capere Deum, coelos et naturam haec posse operari, credereque ita esse de intelligentiis veluti de hominibus; rude autem vulgus instruendum et inducendum esse ad bonum et a malo abstrahendum, vt pueri inducuntur spe praemii et metu poenae.*

g) p. 340. h) p. 341. i) p. 48. k) p. 216.

Monet etiam lectorem, vt arcanam habeat hanc philosophiam, eo quod aperte philosophantes magnis persecutionibus exponantur, eamque ab causſam exempla Anaxagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis recitat. Etiam a consensu tacito et arcano prudentiorum haec dogmata commendat, Platonis verbis vsus, „maximam huius rei custodiam esse, nihil scri„bere, sed addiscere". Immo ab infelici et inepto effectu talia non initiatis reuelatorum argumentum sumit; scribens [l]: „Sat scio me in tam ar„duis argumentationibus et in tam arcanis naturae rebus philosophiae im„peritis minime satisfacturum, immo nihil est, quod magis philosophiam „ridiculam faciat, quam tam diuina agrestibus et profanis viris velle per„suadere: neque hoc irrationabiliter contingit. Cum enim tum ex dis„suetudine audiendi, tum ob ingenii hebetudinem haec minime capere „possint, in philosophos et philosophiam culpam transferunt, quo fit, vt „conuitiis et irrisionibus eos prosequantur, immo quod deterius est, ex „vrbibus expellant, trucident, et prorsus exterminent: qualis apud phi„losophiae alumnos habendus sim, satis vereor, hae namque difficultates, „vt mea fert opinio, tales et tantae sunt, vt quantumcunque consumma„tum philosophum defatigarent". Verum ne putes haec ad plebem tantum pertinere, audi, quaeso, ex tripode definientem [m], „reuera, qui de philosophia „non participat, bestia est". Qua vna voce pontificem, totumque senatum ecclesiasticum, cui vltimo capite puluerem obiicit, aut secum philosophari cogit, aut inter bestias refert, quid non de ecclesia reliqua dicturus? Nam ad sacri ordinis viros se oculum intendere clare innuit, scribens [n]: „Haec non „sunt communicanda vulgaribus, quoniam horum arcanorum non sunt „capaces, et non credunt nisi quod vident, vel quae sunt videre assueti. „Cauendum est etiam cum imperitis sacerdotibus de his habere sermonem; „causſa autem patens est, quia multotiens philosophi fuerunt ex vrbibus „expulsi aut incarcerati, aut lapidibus et vltimo supplicio affecti, et sic „propter beneficium tulerunt supplicium". Quae omnia satis aperte euincunt, Pomponatii declarationes Christianam pietatem spirantes esse nugiuendulas et fictitias, nec fidem merere, cum Aristotelis philosophiam pro vnica sapientia habuerit. Sed ineptiarum Peripateticarum et barbararum sordium satis superque est: iam ad Pomponatii discipulos progrediendum.

Discipuli Pomponatii. §. XI. Discipulos habuit Pomponatius celeberrimi nominis, et magnae eruditionis viros, et hos quidem haud paucos. Inter eos eminent

Hercules Gonzaga. HERCVLES GONZAGA, postea cardinalis, qui tanti praeceptorem suum fecit, vt defunctum patrio suo tumulo inferri curaret, teste Iovio [o]. Tum

Theophilus Folengius. THEOPHILVS FOLENGIVS [p], vir iucundissimi ingenii

l) p. 136. m) p. 269. n) p. 261. o) loc. cit.

p) TOMASSIN. Elog. vir. illustr. T. II. p. 72. Vitam eius meditabatur Naudaeus, vid. Naudaeana p. 26. sed non edidit. Habes tamen nonnulla in Naudaeanis l. c. et in Addit. p. 157. quibus addendi historiae literariae scriptores passim. vid. BAILLET Iugemens des savans T. IV. p. 194. TESSIER Eloges des hommes savans T. I. p. 407.

ingenii et luculentae eruditionis, qui licet S. Benedicti religionem esset professus, rustico tamen carmine, quod personato MERLINI COCCAII nomine edidit [q], et in quo Latino sermoni suae gentis verba mira iucunditate miscuit atque ingenii felicissimi conatu, tum quidem insolito, inauditum carminis genus [r] exorsus est, satis prodidit, philosophiae praeceptis se accurate fuisse imbutum. PAVLVM IOVIVM quoque episcopum Nucerinum inter eos discipulos fuisse, supra iam ex Spondani testimonio audiuimus, qui tamen, licet elogium ei scribere esset aggressus, impietatis illum accusare, et seductae iuuentutis Scholasticae reum agere non erubuit. Audiuit quoque Pomponatium Helidaeus Foroliuiensis [s], itemque GASPAR CONTARENVS, postea cardinalis, quem iuuenem nobilem praeceptoris hypothesin de animae mortalitate refutasse satis feliciter supra monuimus. Eius laudes exposuere post IOVIVM [t] varii, inter eas autem haud minima est, quod in Peripatetica philosophia fuerit versatissimus, purpuramque cardinalitiam singulari atque eleganti eruditione ornauerit [u]. Maxime vero inter Pomponatii discipulos famosum ideo nomen consecutus est SIMON PORTA vel PORTIVS, eo quod magistri vestigia in tuenda impietate Aristotelica gnauiter pressisse visus est. Fuit is Neapolitanus, Pisis autem philosophiam Peripateticam tanta cum laude et eruditionis opinione docuit, vt communi eruditorum consensu magnus Peripateticus diceretur [x]. Cuius eruditionis Peripateticae specimen esse possunt libri duo *de rerum naturalium principiis* in Germania [y] recusi, in quibus Alexandrum Aphrodisiensem secutus acute et eleganter de principiis rerum naturalium disputat, et cum nulla alia in re obscurior magis sit Aristoteles, et incertis vagisque notionibus veram mentem recondat, omnes vires eruditionis, quam praestantissimam possidebat, adhibuit, vt veram eius mentem detegeret. Cuius exemplum esse possunt, quae de obscurissimo argumento: an materia sit principium indiuidui differit [z]. Peripateticae philosophiae iunxit accuratam artis salutaris cognitionem, cui varia scripta debemus, enarrata ab ABR. MERCKLINO [a] qui, videndus. In eo autem Pomponatium Peripatetica et medica eruditione clarissimum superauit, quod philosophiae philologiam iungendo, in Graecae atque Latinae linguae cognitione excelluerit, praeceptore dicendi squalorem sequente. Tanta autem fide magistri placita ipsamque Aristotelis sententiam recepit, vt singulari tractatu

Paulus Iouius.

Gaspar Contarenus.

Simon Portius.

q) Prodiit Macaronicorum titulo aliquoties, nos vtimur editione Venet. 1585. 8.

r) Inde dictio illa ludicra initium sumsit, quam magna eruditione ex orbe literato eiecit FRANCISCVS VAVASSOR, singulari libello. Folengius autem, quamuis inusitatum veteribus dicendi genus adhibuerit, carminis tamen virtutes magna cum laude expressit, et haud raro quoque lepidissima satyra sui temporis mores, etiam inter philosophos exagitauit, haud pauca quoque ex adytis philosophiae desumta interspersit.

s) Vid. WIERVS de Praestig. Daemon. L. VI. p. 569.

t) c. 100 p. 234.

u) Consulendi qui de doctis cardinalibus etc. egerunt.

x) Vid. THVANVS L. XIII. p. 276. et TEISS. ad h. l. Elog. T. I. p. 197 seq.

y) Marpurg. 1598. 8. quam editionem praesentem habemus.

z) c. 10. p. 104.

a) Linden. renouat. p. 974.

ctatu *de anima et mente humana*, Florentiae primum [b], et deinde Neapoli inter opuscula eius [c] edito demonstrandum sibi sumserit, animas cum corpore interituras. Quod quibus quidem rationibus euincere conatus sit, dicere non habemus, qui librum rarissimum [d] non vidimus; eodem vero quo praeceptor, argumentandi genere vsum fuisse, et ex Peripatetico systemate id demonstrauisse, nulli dubitamus; eo enim suppositio certissimam hanc demonstrationem esse, candide fatendum est. Et haec causa esse videtur, cur GESNERO [e] opus audiat impium, et porco non homine auctore dignum, id quod repetiere, NICOLAVS TOPPIVS *f* et B. G. STRVVIVS [g]. Hinc cum opuscula eius ob eruditionem, quae in iis sparsa est Peripateticam luce repetita digna iudicaret IACOBVS ANTONINVS MARTA, *Apologiam de animae immortalitate cum digressione, quod intellectus sit multiplicatus* adiiciendam, venenoque antidotum parandum esse statuit. Dolendum virum doctum et in historia rerum naturalium haud infeliciter versatum, librum *de Piscibus*, quem scribere aggressus erat, abiecisse, et tractationem ideo omisisse, quod eam iam occupatam cerneret a Guilelmo Rondeleto. Obiit, teste THVANO, quinquaginta septem annos natus, et cum alio Simone Portio Romano [h], non est confundendus. Porro inter discipulos Pomponatii magna doctrinae Peripateticae laude excelluit Ioannes Genesius de Sepulueda, de quo cum ex instituto infra tradendum sit, hoc loco nihil addimus. Ipsum quoque Iulium Caesarem Scaligerum Pomponatium audiuisse, ex loco quodam epistolarum eius [i] intelligitur. Maximo vero iure inter ornatissimi ingenii discipulos Pomponatii numerandus est praeter Hieronymum Fracastorium LAZARVS BONAMICVS vir doctissimus, gente Bassianensis Taruisanus, qui inter elegantissima seculi XVI ingenia referri meruit [k]. A parentibus rusticis agriculturae destinatus ingenii tamen excellentis et praecocis stimulo incitatus, relicto agro ad Musarum castra transiit, et Calphurnium Marcumque Musurum, in Graeca et Latina lingua, Pomponatium in Peripatetica philosophia praeceptores habuit, et imprimis naturali philosophiae ea diligentia operam impendit suam, tantaque felicitate philosophiae studiis philologiam coniunxit, vt inter eruditissimos aeui sui viros connumeraretur, paucosque haberet aequales. Reginaldi Poli cardinalis patrocinio vsus, in eius familia Romae vixit, quo factum, vt, cum Roma duce Carolo Burbonio diriperetur, id quod anno MDXXVII accidit, supellex eius libraria, quam ampliſſimam habebat, disiecta periret. Postea ad Patauinam cathedram vocatus, humanitatis doctrinam vsque ad vitae finem docuit, aliasque vocationes cum lautis stipendiis a pontifice, rege Hispaniarum, Bononienſibus aliisque ob-

I. G. Sepulueda.

Iulius Caesar Scaliger.

Lazarus Bonamicus.

b) 1551. 4. c) Neapoli 1578 fol.
d) Vid. VOGT. Catal. libr. rar. p. 468. f.
e) In Biblioth.
f) Bibl. Neapol.
g) Introd. in Hist. liter. c. 9. §. 7.
h) Edidit is Lexicon Latinum Graeco-Barbarum, vid. TEISSIER l. c.
i) Epist. 90.
k) IMPERIALIS in Museo p. 26. TEISSIER l. c. p. 126.

oblatas declinauit, fatis functus anno MD LII, tres supra septuaginta annos natus. Gauisus est amicitia summorum virorum, et ex cardinalium collegio Petri Bembi atque Iacobi Sadoleti, quibus eum commendauit eloquentiae Latinae dulcedo, quam tanti feciſſe dicitur [l], vt maluerit loqui cum Cicerone, quam summis in eccleſia honoribus perfungi, praetuleritque Auguſti imperio Tullianam dicendi elegantiam. De hac vero eius dicendi copia atque elegantia, deque litibus cum Eraſmo in hiſtoria eloquentiae Romanae dicendum examinandumque eſt, vtrum Ciceroni, quod nonnulli faciunt, aequari meruerit. Illud autem maxime laudandum in Bonamico, quod eruditiſſimos diſcipulos habuerit, eosque quamplurimos, ita vt communis Italiae praeceptor dictus ſit. Hoc enim ad philoſophiam quoque pertinet, cuius ſtudioſos a barbarie Pomponatii ad humanitatis ſtudia et ſcribendi nitorem reuocauit. Vitam quoque philoſopho dignam egiſſe dicitur, teſteque Io. MICH. BRVTO [m], *non facile erat iudicare, vtrum in Bonamico comitas atque affabilitas maior, an optimarum artium ſcientia, cum in omnibus excelleret maxime, ineſſet.* Pauca tamen ipſe edidit, iudice G. SALDENO, ne [n], cum ipſe Ariſtarchum ſe aliis praeſtaret, ab iis reprehenderetur. Certe in philoſophia foetum nullum protulit, quamuis ea fuiſſe in philoſophia peritia dicatur, vt paucos aequales haberet, ſuperaretur vero a nemine, iudicaritque IMPERIALIS [o], plus gloriae a diſcipulo hoc Pomponatio exſurgere, quam diſcipulo a praeceptore. Tandem etiam inter Pomponatii diſcipulos refertur IVLIVS CAESAR VANINVS, impietatis nomine famigeratiſſimus. Hunc enim viri docti magno conſenſu inter eos referunt, qui ex Pomponatii diſciplina prodierunt, vt ex locis eorum, quae in fine paginae damus [p], intelligi poteſt. Mirandum autem eſt, viros hos literatiſſimos, actorumque in republica eruditorum non ignaros, non fuiſſe recordatos, Pomponatium anno M D XXV obiiſſe, editum vero in lucem eſſe Vaninum demum anno MDLXXXVI, ex quo patet, non ſine ingenti anachroniſmo Vaninum viros iſtos doctos inter diſcipulos Pomponatii referre potuiſſe, recte ideo notatos a celeberrimis viris C. A. HEVMANNO [q] et G. STOLLIO [r]. Deceperunt vero eos ipſa VANINI verba, qui paſſim in libro *de Natura regina deaque mortalium*, Pomponatium diuinum praeceptorem

Iulius Caeſar Vaninus, an Pomponatii diſcipulus?

l) GHILINI Theatr. vir. doct. P. I.
m) Epiſt. p. 596.
n) De libris eorumque vſu et abuſu p. 43. ſ. qui quoque de contemtu SS. literarum, qui illi obiici ſolet, videndus. Inde Impietatis ſuſpectus factus eſt, vid. REIMMANNI Hiſt. atheiſm. p. 363. Certiores tamen, quam quos Saldenus adducit, teſtes exoptamus, tum huius, tum illius culpae, quod cuticulam curans, pretioſas ſuas horas, libris ſcribendis debitas chartis luſoriis aleaque conſumſerit. Hoc enim cum docendi aſſiduitate, quam Bonamico tribuit, non concordat.
o) loc. cit.
p) MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. I. c. 11. §. 4. p. 55. Coll. T. I. L. I. c. 8. §, 17. p. 73. BVDDEVS Theſ. de Atheiſmo c. 1. §. 24. p. 120. et Lexic. Vniu. art. Pomponatius, ARPE Apolog. Vanini p. 4. STRVVIVS Intr. in hiſt. lit. c. 9. p. m. 447. DORNIVS ad IONS. de S. H. Ph. p. 208. OLEAR. de Pomponatio §. 7. §. 11. et de Vanino diſſ. I. §. vlt. Dubitabundus loquitur SCHRAMMIVS in Vita Vanini §. 20. p. 42.
q) Act. philoſ. Vol. I. p. 10. Vol. II. p. 338.
r) Introd. in Hiſt. Liter. P. II. c. 3. §. 37. p. 500.

rem vocat, et in *Amphitheatro*, vbi eum refutandum ſtatuit, non diffitetur, plerosque putare, ſe ex Pomponatii diſciplina prodiiſſe [s]. Verum hoc non de Pomponatio inter viuos audito, ſed de defuncti ſcriptis placitisque intelligendum eſſe, vel ſola temporum ratio clariſſime euincit, et nullo negotio intelligitur, ſi literaria Vanini conſulitur hiſtoria. Nempe habuit Vaninus in iuuentute praeceptorem monachum Carmelitam, Ioannem Baconium, philoſophum Peripateticum, ſed Auerroiſmo adeo impenſe deditum, vt diſcipulum iurisiurandi religione ad eum amplectendum deuinciret [t]: ab hoc itaque libri Pomponatii Vanino legendi traditi ſunt, in quibus licet derideatur intellectus ille vnicus et immortalis Auerrois, ipſum tamen ſyſtema phyſicum, quod praeeunte Ariſtotele Auerroës quoque ſecutus eſt, magna ſubtilitate inculcatur et defenditur. Quae cauſſa fuit, cur Vaninus Pomponatii librum *de Incantatione* valde extulerit, ſcribit enim: „Petrus Pomponatius philoſophus acutiſſimus, in cuius corpus animum „Auerrois commigraſſe Pythagoras iudicaſſet, in admirabili ſuo opuſculo „de effectuum naturalium rerum cauſſis vera fuiſſe confitetur oraculorum „reſponſa, nec tamen edita a Deo vel a daemone, ſed ab anima et cor„pore coeli". Delendus itaque ex Pomponatii diſcipulorum numero Vaninus eſt. Vtrum autem eandem de fato, de miraculis, de immortalitate animorum ſententiam cum Pomponatio tenuerit Vaninus, quod eius vitae ſcriptor Io. Mavricivs Schrammivs [u] contendit, qui tamen libros Pomponatii non vidit, nec cum Vanini ſcriptis contulit, hoc loco expendi non poteſt, et ad ſpecialem atheiſmi hiſtoriam pertinet.

Auguſtinus Niphus.

§. XII. Aduerſarium Pomponatius habuit AVGVSTINVM NIPHVM, celeberrimi inter Peripateticos nominis philoſophum, de cuius hiſtoria praeter alios [x] praeclare meruit Gabriel Navdaevs [y]. Calaber is fuit, Iopolitanus, quem tamen alii Sueſſanum faciunt, ipſeque ſe ita nominauit, quod diu Sueſſae vixiſſet, et vxorem duxiſſet [z]. Erat illi domi pater, erat iniuſta nouerca, quae cum odium in eum indignum atque vehemens exercuiſſet, puer fuga dilapſus eſt. Delatus autem Neapolin cum in ciuem quendam Sueſſanum incidiſſet, adeo illi ingenii liberalitas in puero Nipho placuit, vt in familiam receptum cum filiis educaret. In horum conſortio et ſcholarum inſtitutione gauiſus, et academicorum quoque doctorum praeceptis imbutus eſt Patauii, eoque in loco Peripateticam philoſophiam didicit, artique ſalutari ſe quoque dicauit. Quem morem Italorum fuiſſe, vt qui eccleſiaſtico ordini ſe non tradidiſſent, philoſophiae ſtudiis medicinam iungerent, compluribus exemplis eius temporis hi-

s) Dial. IV. p. 20. Dial. XXIV. p. 140. Dial. LI. p. 324.

t) Amphitheatr. Ex. IV. p. 17.

u) loc. cit.

x) De Nipho quaedam affert Iovivs Elog. c. 92. p. m. 215. non ſatis accurata; meliora ſuppeditant Toppivs Bibl. Neapol. p. 4. et Nicodemvs in Addit. p. 23. add. Niceron. Mem. T. XVIII.

y) In Iudicio de Auguſtino Nipho, eius Operibus moralibus praefixo, quem ſecutus eſt, P. Bayle Dict. T. III. Art. Niphus p. 514. et nos quoque ſequemur.

z) Hinc Sinueſſanum ſe dixit. Aliis Tropea oriundus dicitur. vid. Bayle l. c. not. A.

historia testatur literaria. Vnde non minus scriptis ad medendi artem pertinentibus, quos recenset ABRAHAMVS MERCKLINVS [a] inclaruit, quam philosophicis. Absoluto studiorum academicorum stadio Suessam indeque Neapolin repetiit, edoctusque parentem decoctis facultatibus ad plures abiisse, neque recuperandarum illarum spem vllam superesse, Suessanam ciuem vxorem duxit, et eruditis laboribus de necessariis sibi prospexit, multosque annos Neapoli philosophiam docuit. Habuerat autem praeceptorem Nicoletum Verniam, philosophum Peripateticum, verum tanto studio Auerrois placita sequentem, vt testetur RICCOBONVS [b], eum „Opinionem Auerrois de vnico intellectu ita confirmare argumentis vali„dis et numerosis consueuisse, vt omnes plebeii et minuti philosophi, di„cerent in vulgus, eum totam pene Italiam in hunc pernicioſum erro„rem compulisse". Huic dogmati et alia Peripatetica addebat, a receptis opinionibus distantia, non dari substantias immateriales, praeter intelligentias sphaerarum motrices et similia. A quibus tamen eum erroribus reuocasse tradunt Petrum Barocium, episcopum Patauinum. Verniam cum praeceptorem Niphus haberet, illius auctoritate permotus, ad eosdem Auerrois et Peripateticorum errores transiit, eosque, publicato *de Intellectu et daemonibus* libro, publice defendit. Ea vero re, si Naudaeo fides, vehementer cucullatis patribus displicuit, forte quod non tanto obsequio, quam fecerat Pomponatius, rationem sub obsequium fidei captiuasset. Aitque Naudaeus, *adeo illum in caput et famam suam vehementissime eos commouisse, vt se periculis eximere non potuisset, nisi ab ancipiti discrimine eum liberasset Petrus Barocius, et mediis ex ignibus eripuisset.* Cautius itaque mercari edoctus, eruditionem ὀρθοδοξωτέρως demonstrare non sine laude et emolumento annisus est. Narrante enim IOVIO [c] in celeberrimis Italiae academiis, Achillino et Pomponatio florentibus docuit, philosophiam Pisis, Bononiae, Salerni, Patauii atque Romae in collegio sapientiae magnis stipendiis professus: Sane ipse fatetur [d], sibi a Bononiensibus et Venetis, si in eorum gymnasiis philosophiam docere vellet, millenorum aureorum numerum, pro mercede singulis annis oblatum esse, eamque se a Florentinis pecuniam accepisse, Pisis philosophiam professum. Maxime vero eruditione sua Mediceae genti, quique ex illustri hac prosapia oriundus erat, Leoni X, se commendauit, qui insignibus gentis suae eum vti permisit [e], ipsoque nomine [f]: honoribus etiam auxit. Et tum occasio illi enata est, cum Pomponatio Peripateticis armis congrediendi, a pontifice enim illius librum *de Immortalitate animae* refutare iussus est, demonstraturus, non repugnare principiis Aristotelicae philosophiae, si dicantur animae immortales, cuius contrariam opinionem Pomponatius affirmauerat. Quod licet magno eruditionis apparatu Niphus fecerit, cum ta-

a) In Lindenio renou. p. 95.
b) De Gymn. Patauino L. VI. apud NAVDAEVM l. c. p. 28.
c) loc. cit.
d) De Diuitiis, Opp. Moral. p. 88.
e) Diploma pontificium extat in Opusc. moralibus.
f) Dictus alias est Eutychius et Philotheus vid. MIRAEVS de Script. sec. XVI. c. 41. p. 136.

men in obscuro argumento, de quo ineluctabiles labyrinthos Stagirita construxit, Aristotelis physiologiam a sua parte stantem Pomponatius habuisset, ab eo in *Defensorio* responsum accepit. Niphi tamen partes iterum defendit CHRYSOSTOMVS CASALENES, Dominicani ordinis sodalis, edito aduersus Pomponatii *Defensorium* libro *de Immortalitate animorum.* Neque sic litem eam desiisse verisimile est. Nominantur enim inter aduersarios Niphi, FRANCISCVS LYCHITTVS, Franciscani ordinis alumnus, qui *Theoremata philosophica* Nipho opposuit, et LVCAS PRASSICIVS Anuersanus, cui debemus *Confutationes in quasdam Niphi commentationes pro defensione catholicae et Peripateticae veritatis, nec non pro defensione doctorum ab eo iure non condemnatorum* [g]. Quem tamen librum cum non viderimus, vtrum in controuersia Pomponatii scriptus sit, dicere non possumus. Neque tamen Pomponatius et, quos plurimos habuisse, supra diximus discipuli eius, libellis suis impedire potuere, quo minus apud viros principes, ipsumque imperatorem Carolum V Niphus gratiosus esset, eo quod ad aularum mores se facile eleganterque componeret, quae res eum quoque foeminis principibus commendauit, quamuis corporis forma a pulchritudine abesset. Dabimus verba IOVII [h], quae animum philosophi luculenter depingunt: „Erat ingenio fertili, adaperto, liberali, sermone autem „Campanum pingue quoddam resonanti maxime libero, et ad serendas fa„bulas in suggestu coronaque ad voluptatem aurium periucundo, sed vel „toto ore subagresti, et penitus inficeto, ita se ad vrbanos iocos compo„nebat, vt valde mirarentur, qui mox tacentis supercilium austeraque „labra atque lineamenta conspicerent". Quamuis autem haec eum morum iucunditas aulica, qua Aristotelem imitatus est, valde commendauisset, foeminarum tamen amoribus, quibus se a iuuenta vsque ad senectutem semper deditum fuisse candide fatetur, haud semel philosophi grauitatem exuit, et in contemtum adduxit [i]. Quamuis enim esset continentissimus, narrante tamen NAVDAEO [k] „amores cum puellis honorariis „quarundam heroinarum, quibuscum familiariter conuersabatur, tam „libere adeoque intemperanter exercuit, vt non modo virginibus illis, „quas obsequio suo demereri studebat, sed omnibus, qui tanti nominis „philosophum a petulcis illis et lasciuientibus puellis ita deludi fascinarique „videbant, ludos de se maxime faceret". Fatendumque indignam philosopho personam effinxisse Niphum, si verum est, quod Latomus apud IOVIVM [l] de eo canit:

Quid? Niphus an non melleus
Perplexa suetus inter enthymemata
Et syllogismos frigidos
Narrare suaues Atticasque fabulas

Mul-

g) NAVDAEVS l. c. p. 42.
h) loc. cit.
i) De Muliere Aulica c. 7. p. 345.
k) loc. cit. p. 31. 32.
l) loc. cit.

Multumque risum spargere?
At quam venustum hoc: septuagenarium
Quod vndulatis passibus
Ex curioso flexuosoque capite
Saltare coram cerneres
Modo Dorium, modo Phrygium, vel Lydium,
Amore saucium graui?
Tractare sic philosophiam inuisam, arbitror
Summi fuisse philosophi.

Alia huius rei specimina breuitatis studiosi praeterimus. Plura, qui volet, reperiet apud PETR. BAYLE [m], qui more suo in his copiosus est. Nobis non hi modo mores a grauitate philosophi abhorrentes in Nipho displicent, sed praecipue reprehensionem mereri videtur, quod scripta quoque sua sermonis spurcitia commaculauerit. Quam obscoenitatem *iucundis narratiunculis scriptis suis interspersam non in eo tantum loco deprehendi* Naudaeus obseruat, *cum aulici sui vrbanitatem per eiusmodi facetias vrbaniorem reddere satagit, sed interdum etiam in Porticu et Academia, cum aduersus viros grauissimos disputat, in dicteria quaedam erumpere, neque loco neque tempori satis conuenientia, easque historias referre, quas ob rerum foetidarum mentionem nemo vel inter lixas et rusticos absque honoris praefatione referri vellet.* Et haec quidem ex temporum illorum consuetudine ita Naudaeus excusari posse putat, vt nihil in eo vel singulare, vel ab aliorum philosophorum more abhorrens et alienum expresserit. Ait enim: *Philologis praesertim adeo familiaris erat sermonum obscoenissimorum licentia, vt qui Boccatium, Poggium, Aretinum, Casam, Castalionem, Pacificum Asulanum, Iulium Grotum Puccium, Ludouicum Cinthium, Philephum, Codrum, Septabinam Mazuccium Francum, et id genus alios legerit, impudentiam tunc, malitiam, foeditatem, impietatem virus suum omne plenis buccis, aut potius pleno iure, siue in Deum, siue in eius ministros, aut publicas priuatasque personas et in omnem denique honestatem et verecundiam effudisse, fateri cogatur. Vnde nihil mihi aut aliis mirum videri debet, si cum hi mores, haec tempora viuente Nipho fuerint, ipse etiam, qui petulanti splene cachinno factus a natura fuerat, qui cum heroinis et principibus viris continue viuebat, quem sagaces puellae miris illecebris in sui amorem pelliciebant, sui seculi moribus et institutis, longe quam caeteri, parcius vsus fuerit, quandoquidem, si aliter feciſſet, paratum eius nomini ac gloriae exitium erat, quod viris academicis nimia soliditas et rerum ciuilium ignorantia suique potissimum incuria afferre solet.* Quae vera quidem esse, facile damus, et tot foeditatum exempla, inter scriptores seculi XVI apud Italos occurrentia, omnino confirmant, tantum vero abest, vt Nipho atque similibus patrocinium

m) loc. cit. not. F. p. 515.

cinium pariant, vt potius, quam deperdita gens literata fuerit, in aprico ponant. Et merentur omnino mores hi deteſtabiles in hiſtoria Peripateticiſmi recentioris, attendi, eo quod apud plerosque fructus fuerint doctrinae Peripateticae, qua de re infra commodus magis dicendi locus erit. Praeter has vero ineptias ambitionis quoque, paedagogicos mores ſpirantis cauſſa, ſtultitiae Niphus arguitur: qua de re mira eſt narratiuncula, qua imperatori Carolo V, eum viſitanti ſedem denegaſſe traditur [n], licet fateamur, ſuſpectam eam nobis valde eſſe, nec cum aulicis Niphi moribus conciliari poſſe. Eiusmodi enim fabellarum plena eſt hiſtoria literaria. Obiiſſe dicitur Iovio anno MDXXXVII, ſed hunc falſum eſſe, ex obſeruatione Naudaei patet, monentis, anno MDXLV Niphum librum *de Animalibus* inſcripſiſſe Paulo III, P. M. quo ſeptuagenario maior vixit. Mortem ei acceleraſſe Iouius ait, quod cum iter nocturno tempore in patriam faceret, obortis tonſillis, quae fauces obſederant, refrigeratus perierit. Alii ex ſaltatione nimio aeſtu concepto morbo correptum exſpirauiſſe tradunt, de qua re incertos rumuſculos diſſeminant acta literaria [o]. Valde laudatur Niphus ab ingenii elegantia, quam in ſcriptis quoque ſuis demonſtrauit, in quibus tamen prolixitatem et lectionis profuſionem carpi videas. Maxime vero inter labores eius literarios commentarii, quos in omnes fere Ariſtotelis libros philoſophicos ſcripſit, commendari ſolent [p]. Minoris vero dignitatis viſa ſunt ſcripta eius moralia, quae Venetiis primo ex parte edita, collegit integra ediditque Gabriel Naudaevs [q]: In quibus diligentia diſputationis, quam elegantia obſeruationis practicae promptius eſſe magni alias philoſophi ingenium obſeruauit Henr. Boeclervs [r]. Paſſim tamen ex aliis collegit, quibus moralis philoſophia iuuari poteſt [s]. Fuiſſe eum multis in rebus Cardano ſimilem, ſed non ingenio Idem iudicauit, quod de ingenii viciſſitudinibus intelligendum eſt: Iudicii enim acie Cardano multum eſt inferior. Habuit vxorem Angelellam, tanta fide maritum complexam, vt delicias ſuas et iura connubialia eius ſanitati ſacrificare non dubitauerit [t]. Ex eo matrimonio habuit filium Iacobum, nepotemque ex eo Fabium Niphum, de cuius infelicitate conſulendus eſt Petrvs Bayle [u].

Marcus Antonius Maioragius.

§. XIII. MARCI ANTONII MAIORAGII vita (quem eloquentia pariter atque philoſophia commendauit) a multis enarrata eſt, tetigeruntque hiſtoriam eius literariam * praeter notiſſimos ſcriptores acto-

n) Vid. Patiniana p. 83. conf. Act. Erudit. 1702. p. 229. ſ.

o) Vid. Bayle l. c. not. H. et quos laudat.

p) Vid. Boecler Bibliogr. crit. p. 60. Morhof. Polyhiſt. liter. T. II. c. II. §. 3. p. 55. Prodierunt hi Commentarii tantum non omnes Venetiis.

q) Paris 1645. 4. Eiusmodi collectionem iam prius Venetiis prodiiſſe obſeruat Mirarvs de Script. ſec. XVI. p. 136. r) loc. cit. p. 604.

s) Conf. Cel. Stollivs Introd. in Hiſt. lit. P. III. c. 4. §. 37. p. 689.

t) Ipſe lepidam hiſtoriam ea de re narrat, de Amore c. 102. p. 428. eamque repetit Bayle loc. c. not. G.

u) loc. cit. art. Fabius Niphus p. 516.

x) Imperialis in Muſeo p. 126. Hanck. de Script. Rer. Roman. P. I. L. I. c. 53. p. 215. Teissier Eloges T. I. p. 236. Bayle Dict. T. III. art. Maioragius p. 286.

actorum literariorum Mediolanensis eruditionis historiographi y. Nemo tamen tanta accuratione tamque plena tractatione res Maioragii enarrauit, quam V. C. IOANNES PETRVS KOHLIVS, qui cum *Deliciis*, quas edidit z, *epistolicis* haud contemnendam partem epistolarum Maioragii inseruisset, laudabili industria et eleganti eruditione vitam celeberrimi philosophi et oratoris ex eius potissimum scriptis collectam iis praefixit, quam in doctissima praefatione additamentis egregie auxit praestantissimus IO. ERHARDVS KAPPIVS. Qua in vitae Maioragii delineatione, cum res clarissimi viri luculenter enarratae sint, eam imprimis consulendam esse monemus, et ad eam simul prouocabimus. Debuit originem Maioragius parentibus Iuliano Comiti, a vico, in quo habitauerat Maioragio dicto, et Magdalenae, adeoque ex illustrissima Comitum gente, ex qua multi praeclari atque celeberrimi viri prodierunt, oriundus a, maiorum virtutem incentiuum ad egregia quaeuis audenda habuit, inque sacro baptismatis fonte Antonii Mariae nomen accepit, quod vero foeminae appellationem minus aequo animo ferret, Mariae nomen in Marci postea commutauit, vt paulo post dicemus. Nondum pueriles annos excesserat, cum praeclara ingenii indoles dotesque animi rarae et insolitae egregia quaeque laetissima spe pollicerentur. Id quod parentem, ad auita decora filium perducere connitentem fortissimo excitauit calcari, vt nec sumtibus, nec labori et industriae, nec educationis fidelitati curisque parceret, quo et literarum studiis egregie imbueretur, et animum nanciscerentur eleganti virtute probe emendatum exercitatumque. Valde vero parentis consilium studiumque ea in re summum adiuuit filii ingenium ad magna quaeuis natum, animusque optimis atque honestissimis desideriis in praeclara quaeuis, ea maxime quae ex literis capiuntur, exardescens. Mirum itaque non est, in tam fertili naturae fundo sparsa maxima diligentia literarum semina, segetem ostendisse supra spem omnem laetissime efflorescentem. Quam nisi belli calamitates, quae in adolescentiam Maioragii inciderunt, non nihil praefocauissent, dubium non est, quin praecoci eruditione mature in disciplinarum studiis palmam reportauisset. Verum silentibus eo tempore Musis Mediolanensibus, cum bellicis tumultibus omnia personarent, magna quoque ruina res parentum nostri suppressit. Nam et bonis fere omnibus exuti sunt, et pater captus est, vixque elabendi ex carcere occasionem inuenit: et hoc quidem pacto Marci Antonii facultates protritae magnaque impedimenta studiis eius iniecta sunt. Redeunte vero tranquillitate publica, a consobrino Primo Comite b Mediolanensi, qui eloquentiam Comi profitebatur hospitio exceptus, et ad honestarum disciplina-

y) PICINELLI Athen. Mediol. p. 408. Ios. ANTON. SAXIVS de Studiis literariis Mediolanensium. z) Lipſ. 1731. 8.

a) Loca Maioragii de maioribus suis indicat KOHLIVS l. c. p. 4. Qui in Oratione VIII, quae est in funere matris, prolixe quoque de parentibus suis disserit.

b) Vid. Orat. X. p. 191. BAYLE l. c. not. B. KOHL. p. 8. vbi tamen pro Primo, calami errore positum est, Petri nomen. Iucundam Erasmi inaduertentiam, hunc Primum Comitem, qui eum Basileae inuisebat, pro comite quodam habentis venerantisque enarrat MAIORAGIVS l. c. p. 217. et ex eo citati.

plinarum ſtudia porro excolenda adductus eſt. Tum in patriam redux in domo Lancelloti Fanniani integro quinquennio tanta pertinacia et laboris incontinentia chartis eruditorum impalluit, vt, quod ipſe narrat [c], eum „non quies, non remiſſio, non aequalium ſtudia, non ludi, non conuiuia „delectarint: et non ſemel propter nimis aſſiduum ſtudium, cum in gra„uiſſimos morbos incidiſſet, de vitae periculo dimicauerit“. Ita vero tantum in literis profecit, et imprimis eam eloquentiae praeſtantiam aſſecutus eſt, vt in funere matris eius laudationem non ſine audientium applauſu ſuſcipere poſſet. Quibus viribus fretus ad tradenda iuuentuti honeſta ſtudia ambienti eloquentiae Romanae praecepta ſe accinxit, ipſe vero ad philoſophiam animum adiiciens in dialectica Aruntem Bataleum, quem acutiſſimum virum vocat [d], praeceptorem habuit. Naturalis philoſophiae autem et mathematicarum diſciplinarum myſteria ab Hieronymo Cardano didicit, quem hominem appellat [e] celeberrimum, et non tantum mathematicae, ſed etiam medicae facultatis principem, ab eoque multa ſe et inſtitutione et conuerſatione edoctum fuiſſe gratus profeſſus eſt. Sed et Vincentium Magium Brixienſem, qui circa annum MDXXX in Ferrarienſi et Patauina ſchola philoſophiam magna eruditionis fama docuit [f], praeceptorem habuit. Ita vero dum creſcit Maioragii eruditio, laeta quoque incrementa capit eius gloria et exiſtimatio, quae tum iuuentutis fauorem et applauſum ei conciliauit, tum auditores ad eum adduxit magni nominis viros, qui dicentem non ſine iucunditate et admiratione audiuerunt. Quo factum eſt, vt eloquentiae profeſſio, quae auunculi eius Primi Comitis morte tum vacabat, ei traderetur, quamuis viginti atque ſex annos modo nato, modo verae ſint temporum notationes, quas ipſe ſuppeditat, quas ſuſpectas eſſe nec ſatis accuratas, obſeruauit P. Bayle [g], qui, ne in re tantilla prolixi ſimus, ipſe videndus. Vix autem biennio huic muneri praefuerat, cum noua apud Mediolanenſes belli flamma exarderet, qua diſiecti viri docti dilabique ad loca tuta coacti ſunt. Maioragius Ferrarienſe aſylum petiit, in qua ſchola praeter Vincentium Magium, de quo ſupra dictum, Andreas Alciatus ius Romanum magna celebritate tum docebat. Ibi noua eruditioni praeſtanti incrementa addidit, et tum iurisprudentiam tanto praeceptore duce didicit, tum philoſophiae cognitionem magnopere confirmauit: ex virorum doctorum conſuetudine atque colloquiis autem egregie profecit. In eo vero ſeceſſu contra Coelium Calcagninum ſcripta velitatione in arenam prodiit [h], aſſumto Marci

c) l. c. p. 222.
d) Reprehenſion. L. I. c. 16. p. 198.
e) loc. cit.
f) Videndi hiſtoriae Italicae eruditionis ſcriptores, Ghilini, Comnenvs, aliique libris notiſſimis. Medio ſeculo XVII ex hac gente Magiorum Commentario Peripatetico in Simplicium et Alexandrum Aphrodiſaeum inclaruit Lucilius Fileatus Magius, qui in aula Taurinenſi vixit.
g) loc. cit. not. C.
h) Nempe ita Ciceronis admiratione captus erat Maioragius, vt erroris eum vnius argui ferre non poſſet. Vnde Calcagninum viginti quinque Ciceronis lapſus in libris de Officiis culpantem acerbe excepit. Addidit Maioragii Apologiam pro Cicerone, eius libris de Officiis I. G. Graevivs Conf. Orat. X. Kohl. l. c. p. 18. Moller Homonymoſcop. p. 716. Act. phil. Vol. II, p. 444.

Marci Antonii nomine. Id quod aduersariis, eius fortunae insidiantibus, cum Mediolanum, anno decurrente esset reuersus occasionem dedit calumniandi, quod antiquas leges maiorumque consuetudinem contemsisset. Quam tamen litem, indignam virorum grauium iudicio, habita oratione luculenta facile diremit, et famae suae existimationem egregie confirmauit [i]. Muneris itaque curam denuo gessit tanta contentione, tanta gloria, vt facile inter aequales vnus emineret. Nimia tamen studiorum assiduitate ita corporis vires exhausit, vt praematuro fato quadragesimo primo aetatis anno Mediolanensi gymnasio anno MDLI, eriperetur. In patria enim obiisse scriptores testantur [k], vnde lapsum esse oportet Cel. KOHLIVM, qui Ferrariae eum decessisse scribit. Ex hac enim schola dudum redierat. Valde extollunt, qui Maioragii historiam tetigerunt, ingenii eius excellentiam, iudicii maturitatem, diligentiam stupendam et inexhaustam, et delectationem ex literarum studio ita captam, vt reliqua sordescerent omnia. Virtutes quoque haud paucas ei adfuisse testantur, laudantque conuersationis iucunditatem, amicitiae fidem, docendi peritiam, institutionis fidelitatem, et praecipue vim quandam eloquentiae dulcissimam cum perspicuitate coniunctam, quae ex eius orationibus atque epistolis satis dispalescit. Adeo vero disciplinarum promouendarum curam habuit, vt nec operae molestia deterreretur, nec aduersariorum consiliis impediretur, quos tantum abest vt non lacessitus laeserit, vt aequissimum se potius illis praeberet, reipsa philosophi personam sustinere gestiens. Quantum autem inter honestae disciplinae professores nomen eius illo tempore fuerit, et quam famam illi immortalem conciliauerit eloquentia et philologiae veteris cognitio, ex censuris virorum doctorum intelligi potest, quas post TEISSIERIVM collegit KOHLIVS [l]. In philosophia autem nouum quid, vt erat mos aeui istius, molitus non est, sed interpretando Graecum Aristotelis textum, ostendere, quid Stagiritae visum fuerit, contentus, sectariam viam cum aliis ingressus est. Quae quoque causa fuit, cur Philippum Melanchthonem et Ioannem Caesarium, philosophum [m] et medicum Germanum magni faceret, eo quod vtrumque perspicue mentem Aristotelis explicuisse crederet, placeretque viro eleganter docto, quod viam atque aditum ad Aristotelis opera munire voluissent, tamque egregiam scientiam, iam pridem barbarorum commentariis et somniis inquinatam, et squalentem atque horridam quodammodo purgare et nitidiore cultu exornare contendissent. Ad id vero potissimum respexit

i) Vid. Orat. X. KOHL. p. 16. BAYLE l. c. not. D.

k) Vid. laudati KOHLIO p. 27.

l) ll. cc.

m) Fuit is philosophus et medicus Germanus, natus in Iuliacensi comitatu anno 1460. hausitsque philosophiae praeceptis Lutetiae, postea Coloniae vixit, et a Protestantium partibus, quas amplexus erat, ad Romanenses rediit. Scripsit dialecticam, ediditque Boëthium de consolatione philosophiae, Diomedem Grammaticum, et Plinium et Celsum, obiitque anno 1551. Vid. PANTALEON Prosopograph. VAL. ANDREAS Bibl. Belgica, aliique.

xit Maioragius, vt vſum dialecticae Peripateticae in eloquentiae ſtudio oſtenderet, et quo pacto ratiocinatio Ciceronis partitionibus conformiter adhibenda ſit, exponeret. Quod artificium ita aſſecutus eſt, vt, iudice MORHOFIO [n], ſuae aetatis oratores, praecipue τῷ ἐνθυμηματικῷ ſuperaret. Eo tamen non diffitente naturalis et moralis philoſophiae ſecundum Ariſtotelem myſteria non tam alte penetrauit, id quod in homine vitam breuem vni fere eloquentiae ſtudio tribuente non magnopere mirandum. Non immerito vero culpanda in eo iactantia, et, licet aequiſſimus eſſet, neminemque laederet, exercita tamen in laedentes vindicta vsque ad conuicia progreſſa. Cuius impotentiae animi ſpecimen dedit, in controuerſiis, quarum ferram cum Coelio Calcagnino et Mario Nicolio itemque cum Gaudentio Merula reciprocauit, quarum hiſtoriam, quae ad alium locum pertinet, heic praetermittimus. Non autem omittendae hoc loco ſunt eius *Reprehenſiones contra Nizolium*, ex quo libro rarius occurrente ſummam controuerſiae accurate prolixeque enarrauit doctiſſimus KOHLIVS [o]. Nempe inter acerrimi ingenii viros non ſine acerbitate de pretio diſputabatur, quod dialecticae ſtatuendum eſſet. Quam cum ſupercilioſe contemneret et abiiciendam cenſeret Nizolius, et in eum finem veterum inuectiuas in dialecticos cumulaſſet, ita Maioragius defendit, vt non ſine eruditionis oſtentatione demonſtraret, ad eloquentiae ſtudium oratores ſummos dialecticam requiſiuiſſe. Quae tamen omnia ex vtraque parte diſceptata ſi examinentur, digladiatos fuiſſe viros doctos andabatarum more, et de verbis pugnam fuiſſe, aequus iudex facile pronunciabit. Caeterum *Paraphraſi* quoque *librorum Ariſtotelis de coelo, de generatione et corruptione* [p], *Commentario in libros Ciceronis de officiis*, et *Interpretatione nonnullorum Platonis*, *Heronis et Nicomachi* philoſophantium ſtudia adiuuit [q], luculento ſpecimine, Ariſtotelicos huius aetatis reliquos philoſophos non contemſiſſe, ſed diligenter euoluiſſe. In oratione autem *de Laudibus auri*, in Belgio primum [r], dein in Germania edita [s] ſatis oſtendit, ſe de moribus pulchre philoſophari potuiſſe, ſi in Italia, vbi viuebat, licuiſſet.

Daniel Barbarus.

§. XIV. Barbarorum gens, non ſanguine tantum in nobilitate Veneta illuſtris, ſed et viris ſummis clariſſima, qui rempublicam ciuilem et literariam ingentibus meritis ornauerunt [t], Lyceo celeberrimum dedit philoſophum DANIELEM BARBARVM. Is in iuuentute philoſophiae accuratius, quam in ſcholis fieri ſolebat, addiſcendae intentus Ariſtotelemque ducem eligens, hunc legendum ſibi atque eius praecepta ediſcenda eſſe ſtatuit. Cumque magna animi inclinatione ad ſcientias mathe-

n) Praef. de laudibus auri.
o) loc. cit. p. 71.
p) FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 126.
q) Conf. KOHL. p. 77.
r) Traiecti ad Rhen. 1660.
s) Lubec. 1660. 8. vbi altera eiusdem argumenti adiecta eſt a D. G. MORHOFIO.
t) Hermolaum Barbarum inter reſtauratores literarum libro primo recenſuimus, ſed Franciſci quoque nobile nomen fuit, vid. BAYLE Dict. T. I. p. 440. Alios breuitatis cauſſa tacemus.

thematicas ferretur, iis quoque non sine laeto euentu operam addixit suam ff, ita, vt eruditionem mathematicam editis quoque scriptis lucernam olentibus demonstraret. Qua ratione haud exiguum in interpretatione Aristotelis nactus est auxilium, cum multoties μαθήματα Stagirita in partes vocet. Ita elegantissima eruditione auctus cum magna doctrinae eius esset existimatio, summis dignitatibus ornatus et amplissimis muneribus praefectus est. Hermolai enim exemplo, cuius gloria calcar nostro vehemens addidit, patriarchae Aquileiensi ad obeundas muneris sacri vices socius additus est, eo quod theologiae quoque diligentissimam operam nauauisset, et imprimis veterum doctorum scripta versionibus elegantissimis ornasset t. Quae eruditionis theologicae opinio eum ita commendauit, vt magna pars esset in concilio Tridentino, in quo aulae Romanae partes strenue defendit u. Mature vero rebus humanis ereptus est, quadraginta annos natus, anno MDLXIX, Id. April. Tanta autem, teste THVANO v, veneratione Aristotelem prosecutus est, idque huic philosopho obsequium praestandum censuit, vt diceret, nisi Christianus esset, iuraturum se esse in verba Aristotelis, eo quod felicissimo conatu in inquirenda veritate progressus, in quauis naturae parte duce ratione tanta inueniisset, quanta vix caperet humana conditio. Habuit noster alium cognominem Hermolai Barbari ex fratre nepotem w, qui cum eo confundendus haud est. Et hic quoque inter Peripateticos philosophos numerandus est. Scripsit enim commentarium in quinque voces Porphyrii x.

§. XV. Hispania vt ferax fuit philosophorum, ita scholae Peripateticae dedit IOANNEM GENESIVM SEPVLVEDAM, anno MCCCCXCI in lucem editum y. Is Cordulae humaniorum disciplinarum praecepta hausit, philosophiam rationalem et naturalem autem praeceptore Xantho Miranda, cuius summa tum in philosophia fama erat, in Complutensi academia, per triennium didicit, et tum sacrarum literarum studio se addixit. Vt vero parentes sumtibus, quos eius causa erogauerant, leuaret, in Bononiensem academiam abiit, in qua ciuibus suis, qui literis ibi in collegio Hispanico z vacabant, ephorus datus est. Id quod eruditioni Sepuluedae exoptatissimum accidit, et vehementer eius incrementa promouit. Tanta enim felicitate in disciplinarum non modo philosophicarum, sed et sacrarum stadio progressus est, vt fama eruditionis eius ad Albertum Pium *, principem Carpensem penetraret, qui tum

Ioannes Genesius Sepulueda.

ff) VOSSIVS de Scient. math. c. 61. p. 355. c. 71. p. 425. Testis est Commentarius eius in Vitruuium.

t) Vid. MIRAEVS de Script. sec. XVI. c. 88. p. 182.

u) PALLAVICINI Hist. concil. Trident. L. XVI. c. 4. n. 22.

v) L. XLVI. p. 942. conf. TEISSIER Elog. T. II. p. 326. w) Vid. BAYLE l. c. p. 444.

x) Vid. GESNER. Bibl. p. 191.

y) Vita eius praefixa est Epistolis, conf. NIC. ANTON. Bibl. Hispan. T. II. TEISS. T. II. p. 444 seq. SCHOTTVS, Bibl. Hisp. T. III. p. 465.

z) Huius collegii Hispanici descriptionem postea Sepulueda edidit, doctosque viros, quos dedit, enarrauit.

*) Vid. eius Antapologia pro Alberto Pio comite Carporum in Erasmum Romae 1532. Ipse vero ERASMVS Sepuluedam in Ciceroniano laudauit, quamuis cum illo nennihil litigaret.

omnium maxime literis fauebat, virosque eruditione claros fouebat. Is enim cum domum suam Musarum domicilium feciſſet, ad quod confluebat, quicquid doctrinae praestantia atque literarum cognitione inclaruiſſet, Sepuluedam in familiam domumque suam recepit, quo pacto illi occasio sauentiſſima enata est, virorum doctiſſimorum consuetudine fruendi, et ex eorum conuersatione eruditionis incrementa confirmandi. Et hoc loco imprimis Aldi Manutii, Petri Pomponatii, Marcique Musuri aliorumque amicitia gauisus est, et ex tantorum virorum doctrina valde profecit. Id quod eo maioribus fiebat succeſſibus, quo diuturnior eius in Italia fuit commoratio, in qua viginti annos contriuit. Tandem in patriam redux, cum ingeniorum quandam in ea sterilitatem deprehendiſſet, et ipse summo labore diſciplinarum semina diligentius spargere, et inopiam conuersationis literatae, commercio literario, quod cum celeberrimis Europae viris alebat, leuare sategit. Cum enim Graece Latineque esset doctiſſimus, et prolixa eruditione adiutus, per omnem theologiae, philoſophiae, philologiae, hiſtoriae et mathematicae campum diſcurriſſet, genus autem scribendi illi esset susum, et cum lenitate quadam abunde profluens, epiſtolae eius iucundiſſimae fuerunt viris doctis, hodieque non sine vtilitate leguntur [a]. Salmanticae canonicatu auctus cum omnes in id vires conuerteret, vt doctrina alios antecelleret, ita Carolo V imperatori commendatus est, vt eum sibi theologum et hiſtoriographum adſciſceret; cui quoque muneri vitam maximi principis debemus. Laudandus vero magnopere Sepulueda est, quod philoſophiam, quam Hiſpani Scholaſtico squalore deformare eo tempore pergebant, suo nitori reſtituere, et seueriori diſciplinae humanitatis studia iungere feliciſſimo labore conatus sit, qua de re virorum clariſſimorum teſtimonia adduxerunt NICOLAVS ANTONIVS [b] et ANTONIVS TEISSIERIVS [c], qui videndi. Maxime vero accurata sincerioris philoſophiae Aristotelicae cognitio Sepuluedae eruditionem extulit. Debemus enim illi verſiones librorum *de Ortu et interitu*, *de meteoris*, *paruorum naturalium*, *de sensu et sensibilibus*, *de diuinatione per somnium*, *de vitae longitudine et breuitate*, *de iuuenta ac senecta*, *vita ac morte*, *de spiratione ac motu animalium*, *de eorum inceſſu*, *de optimo reipublicae ſtatu*, *et de mundo* [d]: itemque translationem *Commentarii in metaphyſicos libros Aristotelis*, quem scripsit ALEXANDER APHRODISAEVS. Quas eius verſiones et notas, *vt quisquis fuerit ingenioſior, ita pluris semper aeſtimaturum esse* iudicauit GABRIEL NAVDAEVS [e]. A quo tamen Naudaei iudicio diſcedit P. D. HVETIVS [f], eo quod castigatam interpretationum fidelitatem se repudiare declaraſſet, et sic aditum sibi ad huius artis perfectio-

a) Septem libris aliquoties seorsim et in Operibus Coloniae 1602. 4. editis prodierunt. Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. I. L. I. c. 24. §. 53. p. 297.

b) loc. cit. c) loc. cit.

d) Vid. SCHOTTVS p. 465. qui merita eius in Peripateticam philoſophiam fuse enarrat. MORHOF. l. c. p. 297. Tanto autem amore Aristotelem proſecutus est, vt de eius aeterna salute non desperaret, eo quod luci naturae conuenienter vixiſſet, vid. ep. 91.

e) Bibliograph. polit. p. m. 26.

f) De claris interpret. p. 289.

perfectionem obstruxisset. Notas quoque eius in opus Aristotelis politicum celebriores forte quam accuratiores esse censet Io. Henr. Boeclervs ff, qui tamen post Danielem Heinsium proximam eum laudem mereri asserit. Sed et ipse Sepulueda argumentum philosophiae moralis tetigit, leguntur enim eius libelli *de Regno et regio officio*, *de appetenda gloria*, *de honestate rei militaris* aliique, de quibus videsis D.G. Morhofivm g. Ceterum vt laudem meretur eius modestia, qua ductus libros suos non summorum tantum in literis virorum censurae subiecit, sed ad eorum quoque iudicium exegit, qui infra suam eruditionem erant: ita merito culpanda est, quaedam animi pertinacia, qua sententiam semel admissam etiam de meliore conuictus dimittere noluit h. Cuius exemplum dare potest controuersia, quam cum Bartholomaeo Casa, qui a sacris confessionibus Carolo V fuit, aluit, et in qua immanem Hispanorum saeuitiam haud exiguo famae suae detrimento defendere ausus est i. Obiit octogenario maior k anno MLXXII, in patria.

§. XVI. Sepuluedae iungimus PETRVM VICTORIVM, non modo Aristotelicae philosophiae peritia illo non inferiorem, sed elegantioris quoque literaturae, artisque criticae laude praeferendum, quippe qui inter criticos seculi XVI tantum non primum locum meruit. Natus Florentiae, exspirante seculo XV, generosa stirpe oriundus, in prima pueritia insolitas animi dotes prodidit, pauloque aetate maturior eam elegantissimi ingenii praestantiam prae se tulit, vt alios longe antecelleret. Quibus naturae fauoribus iunxit insolitam atque insatiabilem discendi cupiditatem, ita vt haud semel dispareret, diuque quaesitus tandem in angulo quodam cum libro latens reperiretur l. Positis mature disciplinarum fundamentis ad Pisanam academiam conuolauit, ibique Graecae Latinaeque lin- *Petrus Victorius.*

ff) Bibliogr. crit. p. 560.
g) Polyhist. liter. T. III. p. 503.
h) Thvanvs ad an. 1572. Teissier. loc. cit. p. 441.
i) Historiam controuersiae late prosequitur Alvarvs Gomez in Vita cardinalis Ximenis L. VIII. breuius enarrat Thvanvs l.c. Ea cum momentum in historia iuris naturalis habeat, paucis ita habe: Diu valde detestatus erat Casa saeuitiam, auaritiam, et tyrannidem, quam oculis suis viderat ab Hispanis in India occidentali exerceri in indigenas. Quas pessimas artes cum homines, ne dicam Christianos dedecere cerneret, sanctius regis consilium serio hortatus est, vt modum inhumanitati ponerent iramque diuinam a patria auerterent, non nisi his emendatis declinandam. Quam viri grauissimi cohortationem cum bonus quilibet probauisset, ea tamen illis displicuit, quorum emolumentum ista tyrannis promouebat, Sepulueda autem, quod mireris, quam totus orbis detestabatur, excusare probareque saeuitiam ausus est, causatus, Americanos iure belli seruos esse factos Hispanorum, hincque omnia his in illos licere. Id peculiari dissertatione consignata Sepulueda defendere conatus, ea vero a Casa et episcopo Segouiensi suppressa est. Re post consultationes crebras ad theologos Salmanticenses delata, Sepulueda caussa inferior discessit, et liber eius edi prohibitus est. Is vt sententiam theologorum eluderet, Romam librum misit typis edendum, id quod tamen ab imperatoris legato impeditum est. Quod ita offendit Sepuluedam, vt publicae disputationis aleam cum Casa subeundam exposceret; qua venia impetrata Dominicus Soto arbiter ab imperatore controuersiae datus est. Neque tamen sic peruicit Sepuluedae pertinacia, quae licet rationibus pro infanda tyrannide nihil effecisset, ipsa tamen res neglecta postea iacuit, imperatore ad alia vocato et detento, mansitque intolerabile seruitutis iugum.

k) Errare Thuanum 70. annos ei tribuentem ex Antonio obseruauit Teissierivs.
l) Imperialis in Mus. hist. et ex eo Freherus Theatr. vir. erud. clar. p. 1471.

linguae, et antiquitatibus discendis inuigilauit, philosophiam quoque more temporis illius excoluit. Parum autem eo in loco abfuit, quin a grassatoribus nocturnis interficeretur. Valde vero intra moenia sua Victorium inuitabat Roma, quae cum antiquae artis monumentis et reliquiis superbiret, ille nostro locus visus est, in quo antiquitatis notitiam egregie augere posset. Illuc vbi venit, tanta industria in eruendis veteris magnificentiae Romanae monumentis versatus est, tantaque felicitate, quicquid elegantiae habuit vetustas comprehendit, vt rarissima eruditione euaderet clarissimus. Tum in patriam Florentiam reuersus Cosmum Medicen, eruditorum Maecenatem inuenit sibi quoque beneuolentissimum. Is enim vbi Victorii doctrinae opes cognouerat, reipublicae interesse ratus, vt publico munere doceret, Graecae et Latinae linguae professionem ei demandauit, cumque in philosophia non minus, quam in philologia valeret, moralis quoque philosophia publice tradenda ei commissa est. Quo in munere et loco amplissimum campum Victorius nactus est, explicatis eruditionis prolixae profundaeque latifundiis immortalem nominis famam acquirendi. Tanta enim doctrinae copia, tanta dexteritate docuit, vt qui eius institutione gauderent, felicissimi reputarentur. Quae causa fuit, cur principes quoque viri disciplinarum praecepta tradentem audire non erubuerint, inter quos imprimis magno Victorium studio prosecuti sunt Farnesius cardinalis, duxque Vrbini Feltrius, Mediceae vero domus principes, saepius eum inuiserint, eius conuersatione, quae et morum iucunditate et eruditionis elegantia se commendabat, delectati [m]. Henricus III autem rex Galliae scriptis ad eum literis beneuolentiam ei suam offerret. Hac vero ingenti nominis claritate factum, vt et a Bononiensi et a Veneto S. P. Q. ad docendam eloquentiam et philosophiam in academiis suis magnis stipendiis inuitaretur, et principes Italiae certatim eum ad se propositis magnis praemiis vocarent. Dulce tamen Patriae solum alienis sedibus praetulit, detentus tum Cosmi Medices liberalitate, tum ciuium honoribus, quos in elegantissimae doctrinae virum cumulabant. Satis enim nouerant, quanto is Italiae decori esset, cui potissimum reflorescentium literarum incrementa debebantur. Cuius exemplum esse potest, quod nemo eruditus Italiam transierit, qui non Victorium velut aliquod doctorum virorum oraculum salutauerit; nulla fere inter viros eruditos controuersia enasceretur, in qua non arbitri partes Victorio etiam modeste deprecanti deferrentur [n]. Ipse vero Iulius III, pontifex maximus, cum Victorius oratoris titulo a Cosmo ad eum esset ablegatus, tanti viri doctrinam famamque equitis comitisque dignitate cohonestauit. Et tamen, licet vndique exsplendesceret Victorii eruditio, summamque apud omnes nacta esset existimationem, apud bibliopolas et vulgus eruditorum ita euiluit, vt contemneretur, et vix editorem ille scriptorum summa industria confectorum reperiret, grauemque ea de re querelam institueret apud Augu-

m) Thuissier Elog. T. III. p. 334. et quos laudat. n) Imperialis l. c.

guſtum Thuanum, luculento exemplo ſaepe nihil magis contemni, quam quod ſingularem eruditionem ſpirat [o]. Valde vero in eo extolli videas, non modo animi continentiam nulla ſorditie auaritiaque corruptam, qua magna etiam munera generoſo animo contemſit [p], ſed et modeſtiam, animo potius amicorum ſtudiis et officiis, quam propriae gloriae ac inflationi velificante [q]. SCALIGER [r] tamen, more ſuo, contemtim de eo iudicans, inuidiae oeſtro exacerbatum fuiſſe in illum conqueritur, de cuius tamen querelae veriſimilitudine facile iudicabunt, qui Scaligeri mores norunt. Illud omnium iudicio conſtat, in eloquentiae Graecae atque Romanae ſtudio, inque emendandis ſcriptoribus veteribus, non modo doctrinam eum atque iudicandi peritiam, ſed fidem quoque atque religionem probauiſſe, tanta, iudice TVRNEBO [s], pudoris ingenuitate, vt de exiſtimatione amittere mallet, quam per fucum hominibus os oblinire, et dum famae conſuleret, verum opprimere. Vnde magnus in his literis iudex Io. GEORG. GRAEVIVS [t] eum non ſolum ob iudicium, quo valebat, acerrimum, ac eruditionem magnam, ſed ob parem, quae ei coniuncta erat, modeſtiam, principem ingeniorum ſui temporis appellare nullus dubitauit. Alia virorum doctorum iudicia cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant, praetermittimus, legenda apud THOMAM POPE-BLOVNT [u], et ANT. TEISSIERIVM [v]. Fatendum tamen, ſcribendi rationem prolixam et circumductam, quae in Italia eo tempore regnabat, et quandam in dicendo negligentiam nonnullos offendiſſe [w], et quandam illi obſcuritatem peperiſſe. Quemadmodum autem in emendandis auctoribus veteribus praeſtantiſſimum ſe Victorius exhibuit, ita quoque in iis interpretandis doctrinam probauit atque ingenium. Et hoc quidem nomine inter Peripateticos philoſophos de Ariſtotele non indiligenter meruit; vnde laudat P. D. HVETIVS [x], *eximiam Victorii facultatem, qua ad auctoris arbitrium ita ſe componit, vt mutatus, recoctus, pene alter credi poſſit, alieno ori loqui, propriamque indolem exuiſſe videatur.* Qua ratione Ariſtotelem interpretari aggreſſus inter optimos eius interpretes, licet vtcunque obſcuros, referri meruit [y]. Vtrum autem Victorius in plagiariorum illorum cenſum, quod IAC. THOMASIVS [z] iudicat, referendus ſit, qui ambitione quadam accenſi deperditos eoque nunquam ſibi viſos citant auctores, eorum ſuppreſſo nomine, a quibus notitia talium ad nos peruenit, lectoris arbitrio decernendum relinquimus, id monuiſſe, contenti, non ſolum hoc feciſſe Victorium, ſed communem eam ſeculi XVI fuiſſe conſuetudinem, moremque a nemine tum quidem culpatum, iudicando ſufficere, ſi primi fontes aperirentur.

§. XVII.

o) Vid. TEISSIER l. c.

p) Exemplum affert IMPERIALIS loc. cit. quo magnum munus reſpuit, quod a viro quodam nobili offerebatur, ſi dedicatio Rhetoricae ei a Victorio inſcriberetur.

q) Ibid.

r) Scaligerana ſecunda p. m. 251.

s) Aduerſar. L. XIX. c. 28.

t) Praefat. in Epiſt. Ciceronis.

u) Cenſ. cel. auct. p. 673.

v) loc. cit.

w) Vid. BLOVNT l. c. TEISSIER l. c. MORH. l. c. BOECLER. Bibliograph. crit. p. 34. 91.

x) De claris interpret. p. 271.

y) De Plagio n. 573. p. 252.

z) De Plagio n. 573. p. 252.

Iacobus Zabarella.

§. XVII. Magnum quoque inter philosophos sincerum Peripateticismum sequentes nomen est IACOBI ZABARELLAE, qui Patauii Non. Sept. anno MDXXXIII editus est, ex familia celebri, quae complures viros clarissimos protulit *y*. Adolescens humanitatis studia, linguamque Latinam atque Graecam didicit a Ioanne Faseolo, et magno illius aetatis critico Francisco Robortello, de quo infra dicendi suppeditabitur occasio. Horum praeceptorum institutione factum, vt et eleganter scribere et Graecorum scriptorum libros legere satis posset, sicque veterum philosophorum, maxime Aristotelis scripta sine interprete intelligeret. Quibus praesidiis munitus, dum philosophiae studium excolendum sibi sumsit, dialecticam imprimis accurate perdiscendam statuit *z*, magistris ea in parte vsus Petro Arquano et Bernardino Tomitano, cuius in rationali philosophia eo tempore eruditio maxime eminebat *. Philosophiae iunxit mathematicarum disciplinarum cognitionem, et imprimis astrologiae, in qua singularis eius peritia enituit *a*. Habuit in hoc eruditionis genere praeceptores Petrum Catenam, et Franciscum Barocium. Ita ad abstrusiora philosophiae Peripateticae mysteria rite praeparatus, physicam, metaphysicam et ethicam Aristotelis, consultis ipsius Stagiritae fontibus tanto iudicii acumine, tanta ingenii felicitate didicit, vt omnium calculo inter celeberrimos Lycei philosophos suo tempore referretur. Quae doctrinae philosophicae praestantia illum patribus conscriptis reipublicae Venetae ita commendauit, vt, cum Bernardinus Tomitanus logicae professionem deponeret, illi successor in ea dari anno MDLXIV meruerit. Quam spartam quindecim annis ita ornauit, vt dubium esset, vtrum vel doctiorem, vel profundiorem artis rationalis interpretem vnquam habuerit Patauina cathedra. Dignus itaque habitus est, cui postea philosophiae professio extraordinaria cum Archangelo Mercenario Pisano, tandemque ordinarium philosophiae docendae munus crederetur, fieretque

y) Franciscum Zabarellam cardinalem, qui seculo XV eminuit, et in concilio Constantiensi magnam nominis celebritatem consecutus est, commendauit magna iuris ecclesiastici eruditio, laudata scriptoribus concilii Constantiensis et historiae iuris canonici auctoribus. Imprimis videndus BERNARDIN. SCARDEONIVS de claris Patauinis L. II. cl. 8. p. 168. vbi multa de eo ex epistola Petri Pauli Vergerii, qui eius discipulus fuit, adducuntur. Conf. BAYLE Dict. T. IV. art. Franc. Zabarella. Comitis Palatini dignitatem a Maximiliano I. accepit Iacobus, ad posteros Ferdinandi I. gratia propagauit Iulius Zabarella.

z) IMPERIALIS in Museo p. 115. TOMASSINI Elog. P. I. p. 139. quos excerpsit FREHERVS in Theatr. p. 1483. BAYLE Dict. T. IV. art. Iaques Zabarella p. 527.

*) Fuit is philosophus et medicus Patauinus, qui diu logicam in ista academia docuit, artemque simul salutarem exercuit. Tandem Logicae professionis pertaesus, philosophiae docendae ordinarium munus a senatu Veneto frustra expetiit. Quod ita Tomitanum offendit, vt deposito professorio axiomate priuatus ex artis medicae praxi viueret. Sobrietatis, quam tanta sedulitate excoluit, vt semel tantum in die, nempe coenans cibum sumeret, beneficio senectutem attigit, ereptus rebus humanis peste anno 1567. Patauii. Scripsit Animaduersiones in primum posteriorum Aristotelis, Introductionem ad Sophisticos elenchos, Aristotelis, Breuem methodum diluendorum paralogismorum per diuisionem, Solutionem contradictionum in Auerroë et Aristotele, et alia quoque ad eloquentiam et medicinam pertinentia, vid. MERCLINVS Linden. renou. p. 127. IMPERIALIS, TOMASSINI, FREHERVS ll. cc.

a) Multa thematum genethliacorum ab eo descriptorum euentum probauisse nonnulli referunt, vid. KECKERMANN. Praecogn. log. p. 131. TEISSIER Eloges T. IV. p. 26.

que tam carus, reipublicae proceribus, quos facundia et prudentia eius, demonstrata multoties orationibus publice ad senatum de grauissimis argumentis habitis ceperat, vt summo eum loco haberent, et munificentia quoque insolita doctrinam eius ornarent [b]. Ipsa vero studiosa iuuentus tanto fauore applausuque subtilissimi ingenii philosophum prosecuta est, vt auditorum turbam Zabarellae phrontisterium non caperet [c]. Quae existimatio, qua eruditionem eius prosecutae sunt Musae Venetae, eum permouit, vt cum ingenii eius sublimitate et philosophiae laude illectus Poloniae rex Sigismundus illum ad subeundam philosophiae professionem magno stipendio promisso inuitaret, paternos fumos igni alieno praeferret. Vultu spectabilem fuisse ait TOMASSINVS [d], tetricam vero oris speciem ei adscribit IMPERIALIS [e], quam scriptorum horum contradictionem miratur P. BAYLE [f], tolli autem ea posse videtur, si illum de vultus grauitate, hunc de faciei et oris specie seueritatem prae se ferente intelligamus. Minus facile inter se conciliari potest vterque, narrante TOMASSINO: *Nactum eum esse Mercurium feliciter stantem, eamque ob caussam celeres habuisse ingenii motus, et ad quaeuis excogitanda faciles et expeditos in omni vita.* IMPERIALE autem scribente: *Carpsisse in eo plurimos memoriae labem et quendam in agendis torporem, quibus ad priuata vel publica negotia minus redderetur idoneus, segniorem pariter, quam ferret ingenii claritas in quaestionibus inopinate soluendis praedicauisse, cum eum scholarium thesibus non nisi per interpositas horas respondere solitum dicerent.* Neque tamen haec nullam conciliationem admittunt, si dicamus, Zabarellam ingenii quidem felicitate responsiones excogitare facile potuisse, sed proferre in medium, apteque cogitationes disponere ac eloqui difficulter, et non nisi spatio interposito, et praeparatione adhibita valuisse, idque praecipue euenisse, vbi de rebus ciuilibus, quas mediocriter attigerat, esset differendum. Ita enim Imperialem intelligendum esse, ex alio eius loco [ff] satis verisimiliter colligi potest, vbi Franciscum Piccolominaeum collegam eius cum Zabarella comparat, *illumque facilitate quadam dicendi praeditum, iuncta comitati morum ac eximiae humanitati fuisse, hunc sermone duriorem, blaesum, incomtum, ciuilibus in studiis inopem potius, quam redundantem extitisse*, asserit. Haec enim infacundi oris difficultas non obstat, vt non celeres ingenii motus habere potuerit, quos vero torpor linguae impediebat, quo minus protruderentur foras. Quod magni ingenii viris nonnullis accidisse testis est haud vno exemplo erudita Historia. Quod vero ori decedebat, largiter rependit meditationis profunditas, iudicii acies, et insolita

b) Dotem vni filiarum mille aureos soluebat respublica. Citati.
c) ANGELVS PORTENARI de Felic. Patauii apud TEISSIER l. c. p. 27.
d) loc. cit. P. I. p. 138.
e) loc. cit.
f) loc. cit. nota D.
ff) loc. cit. p. 115.

lita quaedam perſpicacia, qua in nexus ratiociniorum alte penetrabat. Quibus mediis ita vſus eſt, vt imprimis in ſcribendo inſolitum demonſtrare robur poſſet, et validiſſime alios refelleret. Hinc IMPERIALIS de illo: *Neminem facile quis dixerit aequare Zabarellae ſcriptorum venuſtatem atque elegantiam, quibus accedit incredibile argumentandi robur, et opinionum firmitas, quo nomine vix alius in euertendis aliorum placitis vberior, in adſtruendis propriis felicior vnquam eſt habitus.* Neque in hac cenſura partium ſtudio aliquid dediſſe Imperialem fatendum eſt, ea enim, quae de philoſophia rationali ſecundum praecepta Ariſtotelis edidit, qualia ſunt, *Tabulae logicae, de natura logicae, apologia de doctrinae ordine, de conuerſione demonſtrationis in definitionem, de ſpeciebus demonſtrationis, commentarius in analyticorum libros priores etc.* magnam auctoris eruditionem philoſophicam et accuratam Peripateticae doctrinae cognitionem ſpirant, ſic vt Zabarella meruerit, aliis Ariſtotelis interpretibus in argumento logico praeferri [g]. Attigit tamen phyſicam quoque Ariſtotelis editis *Libris triginta de rebus naturalibus, commentariis in libros Phyſicorum Ariſtotelis, in libros de anima, de naturalis ſcientiae conſtitutione, de miſti generatione et interitu, de prima materia, de qualitatibus elementariis, de natura coeli, de motu ignis in orbem, de accretione et nutritione, de viſu et mente humana*, aliisque, quae iunctim edidit Io. LVDOVICVS HAVENREVTERVS, medicus et philoſophus Argentoratenſis [h], oppugnauit aliquot diſſertationibus IOACHIMVS IVNGIVS, rector Hamburgenſis [i]. In his ſcriptis eius phyſicis cum Stagiritae ſyſtema phyſiologicum ſibi ſequendum propoſuiſſet, et ſinceram eius philoſophiam tradere conſtituiſſet, non potuit non errores phyſicae Ariſtotelis doctrinae proprios exponere, adeoque de mentis quoque immortalitate ea tradere, quae a ſana doctrina diſceſſum facere videbantur. Inde factum, quod IMPERIALIS narrat, *vt impenſius aliquanto impugnaret immortalitatem animae, deterrimam Alexandreorum ſententiam palam profeſſus*, licet non neget, *hos de eo rumores forte ab exulceratis animis excitos ita vel illuſiſſe poſteritatem, vel admirabili ac prope diuina virtutum fama compenſauiſſe.* Nobis ſatis veriſimile videtur, Zabarellam genuinam Peripateticiſmi Alexandrei rationem ſecutum ſtatuiſſe, ſi is ſequendus ſit, immortalitatem ex rationis lumine demonſtrari non poſſe. Tum quia ita ſchola Patauina per integrum fere ſeculum docebat, illique, qui immortalitatem animae defendebant, abſurda Auerrois hypotheſi de intellectu vno et externo nitebantur; aliter quoque ſtatuere non poterat, quisquis Ariſtotelem preſſo pede ſequendum eſſe putaret. Tum quia ad Zabarellam potiſſimum prouocat CLAVDIVS BERIGARDVS [k], oſtenſurus, pertuliſſe S. officium, vt in academia Patauina doceretur ſyſtema Ariſtotelis phyſiologicum, quamuis aliam, quam putat

g) Vid. KECKERMANN. l. c. p. 184. BOECLER Bibliograph. crit. p. 685.
h) Argent. 1623. 4.
i) Vid. MORHOF. Polyhiſt. T. II. Lib. I. c. 14 p. 104.
k) Praef. ad Circul. I. Piſanum.

putat P. BAYLE cauſſam habuerit Berigardus iſta ſcribendi [l]. Nam quod ad Zabarellam attinet, non in hoc ſolo de animae immortalitate argumento Ariſtotelem a recepta Chriſtianorum doctrina diſcedere oſtendit, ſed et demonſtrationem Dei primi motoris nullam ex motu aeterno dari, quod tamen Ariſtotelica philoſophia ſupponit, defendit. Edidit enim librum *de Inuentione primi motoris*, in quo, enarrante BERIGARDO, docuit, *vnicum medium philoſopho naturali ad demonſtrandum dari, primum motorem a materia abiunctum eſſe motus aeternitatem, quae quia non detur, vt fide diuina certi ſumus, ſequi primum motorem demonſtrari non poſſe naturaliter, ſed ad hoc opus eſſe, Dei contactu peculiari.* Nimis tamen acerbi in Zabarellam ſunt, qui ea propter impietatis maculam ei affricant [m]. Recte enim laudato viro obſeruatum, *propterea Zabarellam non putauiſſe, eam quam vocat demonſtrationem primi motoris ex motu aeterno, eſſe veram demonſtrationem, vtpote cuius medium falſum eſt, ſed loqui ex falſis principiis Ariſtotelis, nempe ſi verus eſſet motus aeternus, inde ſolum oſtendi poſſe motorem primum.* Quaecunque itaque Zabarella ea de re diſputat hypothetica ſunt, et phyſiologiam Ariſtotelis ſupponunt. Ex quibus prudentiores quidem, qualis Berigardus, concluſerunt, deterrimos eſſe fructus philoſophiae Peripateticae, vt infra demonſtrabitur, qui autem Peripatetici γνήσιοι videri volebant, nec Ariſtotelem improbare totum audebant, intulerunt, ſuperare has aſſertiones humanae rationis notitiam, et ex Dei reuelatione vel contactu ſpeciali addiſcendas eſſe. Qua ratione non ſolum Zabarellam, ſed et Caeſarem Cremoninum, et Andream Caeſalpinum philoſophatos fuiſſe, infra dicemus. Nemo tamen his non obſtantibus, Zabarellam viuum impietatis arguit, qui teſte TOMASSINO ita vixit, vt a nemine reprehendi poſſet. Ceterum habuit philoſophus noſter vxorem Eliſabetham Cauaceiam, quae eum ſex filiorum patrem fecerat, inter quos natu maximus Iulius mathematicarum diſciplinarum peritia prorſus ſingulari famam ſibi comparauit nobiliſſimam, quam tamen laſciuia tandem in fatalem morbum degenerante commaculauit. Mira ſunt; modo vera, quae de eius vitae fine narrat IMPERIALIS, Zabarellam veſpere aliquo ſtellam oſtendiſſe iuuenibus ſtudioſis, eamque ſibi fatalem eſſe, praedixiſſe: et poſt paucos dies vehementi morbo correptum XV Cal. Nou. anno MDLIX, annos natum quinquaginta et ſex deceſſiſſe [n]. Niſi enim nos coniectura turpiter fallit, haec excogitata ſunt ab illis, qui a peritia aſtrologiae, quam habebat Zabarella, et qua haud raro certos euentus praedixiſſe dicitur, vanitati aſtrologiae praeſidium quaerunt. Innumera enim huius furfuris ab audaciſſimo hominum genere ad decipiendos incautos mortales excogitata ſunt.

l) Nempe, non vt frigidam Ariſtoteli ſuffunderet, ſed vt ineptam eius philoſophiam eſſe oſtenderet. Qua de re infra plura dabimus.

m) Vid. IMPERIALIS l. c. p. 117.

n) Fuit alius quoque Iacobus Zabarella, eques S. Georgii, ſeculo XVII medio clarus, qui Elogia illuſtrium Patauinorum ſcripſit, et Centum ſtemmata originum Polonicarum edidit; cum philoſopho non confundendus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alexander Piccolomineus.

§. XVIII. Illustrissima Piccolomineorum gens tot magnorum virorum ferax [o] celeberrimos philosophorum Peripateticorum choro viros addidit ALEXANDRVM et FRANCISCVM PICCOLOMINEOS. Alexandrum Sena dedit, genuit Angelus Piccolomineus, peperit Hippolyta Sanctia [p], anno salutis restitutae MDVIII. Cum diu nobilissima familia sanguinis decora cum literarum ornamentis felicissimo connubio coniunxisset, auitam gloriam sequendam filio esse rati Alexandri parentes, eum praeceptoribus tradiderunt doctissimis, ex quorum institutione et linguae Latinae, Graecae atque Hebraicae exactam hausit notitiam, et honestarum disciplinarum circulum feliciter absoluit, tumque seueriores disciplinas theologiam, iurisprudentiam, medicinam, philosophiam, mathematicam, et quodcunque fere literarum genus, ita excoluit, vt admiratione esset cunctis, paucosque habere pares censeretur. Demonstrant id elogia, quae in eum cumularunt IMPERIALIS [q], TOMASSINVS [r], GHILINVS [s] aliique, ex parte laudati P. BAYLE [t], inter quae tamen sunt, quae modum excedunt. Illud autem certum, inter primi gradus atque generis eruditos Alexandrum retulisse omnes, quotquot eo tempore pretium statuere literis norant. Quae causa fuit, cur vnanimi eum consensu suo albo inscriberent academiae inflammatorum socii [u]. Iunxit vero Alexander eruditioni supra modum inclarescenti et maximam illi famam comparanti tum morum seueritatem atque grauitatem tum conuersationis iucunditatem atque quandam dulcedinem, id quod teste nouimus AVG. THVANO [x], qui virum veneranda canitie senem cum Paulo Foxio, regis Galliarum Caroli IX oratore inuisit. Diu autem oratoriam, rationalemque atque naturalem philosophiam et disciplinas mathematicas tanta perspicuitate et dexteritate docuit, vt maxime sub tanto praeceptore iuuentus studiosa proficeret; tanta autem morum continentia vixit, vt dignus haberetur, qui sedi Patrensi praeficeretur, et socius quoque adderetur Senensi praesuli. In qua dignitate senex vitae honorumque satur anno redemti generis humani M D LXXVIII, IV Id. Mart. mortalitatis exuuias deposuit. Dici non potest, quanta is studiorum assiduitate, quanta eruditionis applicatione, quanta virium contentione Aristotelem nocturna diurnaque manu versauerit, quantoque eius philosophiam amore, teste THVANO, complexus sit: adeo, vt ecclesiastica infula splendens et senii incommoditatibus grauatus, otia sua, narrante, qui eum ita offendit,

o) Dedit orbi literato Piccolominea gens Aeneam Syluium Bartholomaeum Piccolominaeum, praeter eruditionis claritatem diademate quoque pontificio, quod Pii II nomine gessit, illustrem. Franciscum Piccolomineum, Pii III nomine P. R. Lepidum Piccolomineum, iurisprudentiae laude celebratum ERYTHRAEO Pinacoth. II. p. 128. et tandem Societatis Iesu theologum, quae et alium eius nominis Franciscum in album suum retulit, qui ordinis sui generalatum gessit, postquam diu philosophiam et theologiam docuerat. Caelius Piccolomineus autem cardinalium collegio adscriptus est. Alios tacemus.

p) THVANVS ad an. 1578. TEISSIER Eloges T. III. p. 158 seq.

q) In Museo p. 83. 115.

r) Elog. P. I. p. 209.

s) Theatr. vir. erud. P. I. p. 86.

t) Dict. T. III. art. Piccolomini p. 712. 713.

u) GHILINI loc. cit.

x) Ad an. 1518. FREHER Theatr. p. 1474. TEISSIER Elog. T. III. p. 158. BAYLE l. c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dit, eodem scriptore, Aristotele suo, hoc est, a se diuersis explicationibus illustrato recognoscendo falleret. Addit his historicus: multa eum tum, quem ita offendissent, de studiis suis disseruisse, eorumque se demum in ea aetate dulcissimum fructum capere dixisse, aliis oblectamentis deficientibus, quibus aliae aetates innocenter et citra offensam gaudere possent. Maxime vero ideo Alexander memorabilis est, quod primus fuit, qui in vernacula Peripatetice philosophari ausus est. Plerique enim libri eius, quos GHILINVS recenset, lingua Italica scripti sunt. Id quod valde quidem displicet IMPERIALI [u], rato, ita et philosophiam et linguam Latinam in contemtum adduci, recte vero laudauit TRAIANVS BOCCALINVS [v], qui multo sale sui temporis mores perfricuit, quod hanc consuetudinem improbaret. Scripsit plurima vir diligentissimus et elegantissime doctus, inter quae est *Philosophia moralis* vernacula scripta. Latino autem sermone *Paraphrasin in mechanicas quaestiones Aristotelis*, et *Commentarium de certitudine mathematicarum disciplinarum* edidit: quo vtroque nomine valde eum laudat G. I. VOSSIVS [w], et *Philosophum plane eximium vocat, tum ob ingenium et industriam, tum quia feliciter adeo matheſin et philosophiam coniunxerit, et in vtraque excelluerit.* Sunt quoque qui ei versionem commentarii ALEXANDRI APHRODISAEI *in Libros meteororum* tribuunt. Obiter autem hoc quoque loco notandum, edito libro *de Emendatione temporum*, siue de calendario, quod vocant, reformando, quem iussu Franciſci Medices magni Hetruriae ducis scripsit, praeclarum sibi nomen comparauisse [x].

§. XIX. Alter ex Piccolomineorum gente, qui philosophiam Peripateticam doctrina sua nobilitauit, fuit FRANCISCVS PICCOLOMINEVS, itidem Senensis [y]. Natus is est anno M DXX, et in ipsa pueritia praeclaram indolem ingeniumque praecox demonstrauit. Absolutis humanitatis studiis philosophiae se tradidit, Marcum Antonium Zimaram [z], philosophum et medicum celeberrimum praeceptorem nactus, ex

Franciſcus Piccolomineus.

u) In Museo loc. cit.
v) Relat. ex Parnasso Cent. I. Rel. 73. p. m. 312.
w) De Scient. math. c. XLIX. §. 21. p. 302.
x) IMPERIALIS l. c.
y) IMPERIALIS, TOMASSINI, BAYLE ll. cc.
z) Fuit is Medicus et philosophus magni nominis, qui vero Aristotelis physiologiam ad magiam more seculi XVI transtulit. Cuius testis esse potest Antrum eius magico-medicum, liber rarissimus, in quo, vt habet titulus, „totius tractationis, et generis philosophandi, quod adhibuit, luculentus interpres arcanorum magico-„physicorum, sigillorum, signaturarum et imaginum magicarum, secundum Dei nomina et „constellationes astrorum, cum signatura planetarum constitutorum vt et curationum magneticarum et characteristicarum ad omnes corporis humani affectus curandos thesaurus locupletissimus, nouus, reconditus, cui medicamenta etiam varia chymica ex mineralibus et „vegetabilibus conficiendi methodus, tractatus „item de rebus, quae humano corpori eximiam, „et venustam formam inducunt; de variis etiam „metallorum et mineralium praeparationibus et „experimentis plurimis tractatio subiungitur. „Accessit motus perpetui mechanici absque vllo „aquae vel ponderis adminiculo conficiendi do„cumentum". Francof. 1625. 8. Eiusdem quoque furfuris pars altera est, in qua „Arcana na„turae, sympathiae et antipathiae rerum in „plantis etc. omniumque corporis humani mor„borum, imprimis podagrae, hydropis, pestis, „epidemiae et cancri exulcerati cura Hermeti„ca, specifica, characteristica et magnetica con„tinentur. Accesserunt portae intelligentiarum „et canones Hermetici de spiritu, anima et cor„pore maioris et minoris mundi". Franc. 1626 8. ex hoc vngue cognosce leonem.

ex cuius institutione ita profecit, vt licet vix adolescentiam esset egressus, probantibus et plaudentibus cunctis artem rationalem in patria docere auderet, id quod TOMASSINI [a] testimonio constat, quamuis id taceat IMPERIALIS [b], qui narrat, annos natum viginti quinque Maceratam abiisse, ibique tantum eruditionis eius opinionem valuisse, vt primarium philosophiae publice docendae munus ipsi crederetur. Quod cum per annum gessisset, tanta eius inde per Italiam fama dimanauit, vt in nobilius theatrum vocatus, occasionem vires doctrinae suae latius explicandi nanciscceretur, tradita ei apud Perusinos cathedra philosophica, quam quoque ita per decennium, quo ei praefuit, ornauit, vt anno MDLX ad Patauinam philosophiae professionem extraordinariam, et quadriennio post ad ordinariam senatus Veneti iudicio inuitaretur, cui primario docendi muneri mille et quadringentorum aureorum stipendio summa cum laude praefuit. Cum autem ad moralem et ciuilem philosophiam industriam suam traduxisset, et praeterea tum prudentia, tum eloquentia plurimum valeret, aliquoties legatus reipublicae ad principes Italiae missus est, vnde magni ad eum honores et reditus ampliſſimi confluxerunt [c]. In ea vero academia cum collega Iacobo Zabarella eum haud raro digladiatum, cum argumentorum ponderibus interdum esset inferior, dicendi disputandique volubilitate superiorem discessisse, supra iam narrauimus. Dabimus ipsa verba IMPERIALIS, quoniam characterem philosophi luculenter exprimunt: *Vtitur*, ita scribit, *Piccolomineus oratione quidem expedita, graui, et illaborata, ceterum sententiarum nexu frequentior, quam forte conueniat, excurrit enim vero, nec in conclusionibus haeret, nouis at subinde doctrinae cumulis vrget, vt libanda potius quam gustanda propositorum veritas offerri videatur.* Quae si cum Zabarellae charactere supra delineato comparentur, facile intelligitur, cur lentorem eius in disputationibus vicerit Piccolomineus, causa interdum inferior. Disputatum autem praecipue inter celeberrimos philosophos est, de philosophia quidem morali, verum non de argumento ethico sed methodo; de qua in morali philosophia adhibenda in *vniuersa de Moribus philosophia* [d] Piccolomineus differuerat; quam tractationem aggressus Zabarella, qui in rationali philosophia plurimum valebat, Piccolomineo apologiam extorsit, quam titulo: *Comes politicus aduersus Iacobum Zabarellam* euulgauit. Summa controuersiae, quam P. BAYLE [e] tetigit quidem, non vero expossuit, haec est: Statuit Piccolomineus, ethicam tradendam esse methodo synthetica, nempe progrediendo a simplicioribus ad composita magis, a principiis causisque ad conclusiones, a mediis ad finem; cuius rationem ex Aristotele desumsit, quo auctore hic artis naturam imitantis ordo esset, vt progrediendo a simpliciſſimis ad composita opera construat sua. Regessit huic hypothesi Zabarella, niti eam falso fundamento; alium enim

a) loc. cit. p. 208. b) loc. cit. p. 114. c) Citati, et ex his FREHERVS in Theatro p. 1498. d) Adiecta tractatione de Methodo, vid. BAYLE l. c. nota H. e) loc. cit.

enim esse ordinem naturae rerumque ipsarum, alium doctrinae et cognitionis nostrae, vtrumque autem a Piccolomineo confundi. Nec cognoscere hominem ea via, qua natura res producit, sed inuersa; indeque Aristotelem distinguere inter id, quod natura prius est, et quod a nobis; monuisseque prudenter, incipiendum esse ab iis, quae notiora nobis sunt, vndeque in *Nicomachicis* ordinem resolutionis adhibuisse, explicito primo fine, qui in actionibus rationem principii habet: semperque cognitus sit atque velut delectus scopus definiatur; illique subiectum introducere per media etc. Ex quo breui conspectu huius controuersiae patet, mere eam Peripateticam fuisse, cum ratiocinatio omnis eo tendat, qua via in habitu practico, si secundum Aristotelem philosophandum, incedendum sit. Rem enim ipsam si spectes, non minori commodo, via ista compositionis in argumento morali vti nos posse, vna iuris naturalis constitutio satis euincit; hucque respexisse videtur Piccolomineus, qui cum tam superstitiose, quam a Zabarella factum, Aristoteli non inhaereret, sed Platonem quoque consuleret, qui *συνθετικῶς* in libris *de Republica* et *de Legibus* haud raro processit; vellet autem doctrinam moralem ampliori fundo donare, ab Aristotele sibi recedendum esse putauit. Quod ferre non potuit Zabarella, ratus methodologiam Aristotelicam omnes alias eius generis longe superare. Verum haec *ὡς ἐν παρόδῳ*; iam ad ipsum Piccolomineum reuersi, id imprimis notandum de eo est, illum syncretismum inter Aristotelem et Platonem nouo consilio susceptisse, eo quod crederet, in primariis doctrinae capitibus verum inter vtrumque philosophum dissensum haud esse; reliqua vero aut ferri aut emendari facile posse. TOMASSINI ea de re verba haec sunt: *Platonicam disciplinam fere collapsam et legendo et scribendo in integrum restituere conatus est, illud imprimis enitens, vt Platonem cum Aristotele in pluribus conciliaret.* IMPERIALIS autem, *eum*, ait, *pluribus honoribus auctum amoenissima Platonis philosophia vacare coepisse, quam etiam commentariis exornare susceperit, ipsum namque dicere solitum esse, Platonis et Aristotelis philosophiam duos quasi oculos humani animi, aciem intellectus dirigere, quorum alterutro si quis careat, Cyclopum instar in hac rerum vniuersitate labatur, necesse esse, sed communia fata praeclaros hosce eius conatus intercidisse.* His potissimum laboribus occupatus, cum LIII. annos professorium axioma gessisset, vt vult TOMASSINI relatio, (quem hoc loco magis audiendum esse putamus, quam IMPERIALEM, tradentem viginti tantum annos Patauii docuisse *f*) vrgentibus senii incommodis muneri se abdicauit, et quod reliquum vitae erat, in otio literario traduxit, oculorum acie tam feliciter vsus, vt octogenario maior

f) Vid. BAYLE, l. c. nota D. Cum enim ante vigesimum quintum aetatis annum iam philosophiam docere coeperit, impossibile est, eum viginti tantum annos Patauinae cathedrae praefuisse, quod vult Imperialis. Si vero ponamus, 25 annos natum Macetarae docere coepisse, et 78 aetatis anno publicum docendi munus deposuisse, recte omnia cohaerent. Tomassinum sequitur GHILINI Theatr. P. I. p. 62.

maior sine Chrystallo cuncta legere posset. Obiitque quarto supra octogesimum aetatis anno in patria anno salutis reparatae MDCIV, tanto ciuium suorum luctu, vt ex testimonio IMPERIALIS, insolito ciuium squalore iustitio, lachrymis funus eius efferretur: in eo vno infelix, quod discordiam inter filios moestissimus pater sanare nullo remedio potuerit. Scripsit *Commentarium in libros Aristotelis de coelo, de ortu et interitu et de anima;* itemque *systema philosophiae naturalis et moralis.* Illud hoc titulo prodiit: *Naturae totius vniuersi scientia perfecta et philosophica, quinque partibus absoluta.* Quam Piccolominei doctrinam naturalem oppugnandam sibi sumsit NICOLAVS TAVRELLVS, philosophus Altdorfinus [g], scriptis libris duobus *de Coelo*, et duobus aliis *de Mundo.* Is enim, quamuis eum faciat maximi, fatetur tamen *obscurum eum esse, neque satis pure et perspicue; quid sentiat exponere, vt in rebus philosophicis eum oporteat non mediocriter esse versatum, qui ex eius philosophia fructum velit aliquem percipere.* Id quod in alterius libri *praefatione* repetit, et *ingenii et doctrinae miram illi vbertatem esse* concedit, optat autem, *vt purius et magis dilucide cogitata sua nobis explicauisset, eo quod maiorem fructum et negotio minore studiosa philosophiae iuuentus ex meditationibus perciperet, quam is certe a veritate non raro recesserit.* Vnde conqueritur, *duplicem sibi laborem fuisse, tum vt ex obscura oratione, horridisque phrasibus, sententiam eius eliceret, tum vero vt vel maxime eius errores patefaceret.* Id quod mirum videri queat, cum non solum ob dicendi genus apertum et dilucidum Piccolomineus laudetur, sed ob perspicuitatem quoque eius scripta, P. BAYLE [h] iudice, commendentur. Adeo difficile est eruditorum censuras inter se conciliasse. Opus vero moralis philosophiae hoc titulo Piccolominaeus ornauit: *Vniuersa philosophia de moribus, in decem gradus redacta.* Id tantis omnium coetuum laudibus exceptum fuisse IMPERIALIS testatur, *vt nihil eo vel ad efformandos mores vtilius, vel ad rempublicam recte gerendam accommodatius, vel ad omnem bonorum malorumque notitiam suauius excogitari posse iudicatum sit.* Vnde mire quoque Piccolominei labor placuit GABRIELI NAVDAEO * quod *Artem moralem integram nobiliori quadam methodo et maiori vi ac copia spirituum tradiderit minus elato dicendi genere.* Aliter tamen HENNINGVS ARNISAEVS [i], qui cum Aristotelico praeiudicio impeditus cum plerisque Peripateticis statuat, in artibus practicis locum methodo syntheticae esse non posse, sed resolutiuum tantum ordinem a fine ad media adhiberi posse, reprehendit in Piccolomineo, quod noua methodo ethicam tradere volens in summo tandem bono desierit. De qua sententia cum eandem cum Zabarella tibiam inflet, supra dicta nolumus repetere.

§. XX. Ex

g) Dicemus de eo infra ex instituto.
h) loc. cit.
*) Bibliograph. polit. p. m. 13.
i) Praef. ad doctrin. politic.

§. XX. Ex celeberrima apud Florentinos, Strozzarum familia [k], haud vulgare Peripateticae philosophiae sidus exortum est in CYRIACO STROZZA, Zachariae filio. Is cum mature honestarum artium disciplinarumque desiderio flagraret, iactis domi Graecae Latinaeque literaturae, itemque mathematicae et philosophiae fundamentis, cum potissimum architectonica delectaretur, longum iter ingressus est, et potiores Europae regiones peragrauit, ea attentione, qua ad augendas doctrinae diuitias, acquirendamque experientiam rerum praestantissimarum opus erat. Ita vero collecta supellectile literaria copiosissima admirabilis prorsus tum in architectonica arte, tum in philosophia euasit [l]. Redux itaque, cum habita disputatione in patria eruditionem probauisset, lector philosophiae, et postea Graecae linguae et philosophiae professor designatus est. Dein ex patria ad Bononiensem academiam vocatus Aristotelicam philosophiam octo annorum interuallo tanta doctrinae fama docuit, vt is iudicaretur, qui Pisanam scholam eruditione sua prae aliis egregie nobilitare posset. In eo loco viginti annis vsque ad vitae finem, quem annus ei climactericus ex calculi doloribus anno MDLXV attulit, perstitit. Vixit per totam vitam caelebs, matrimonii enim curas et familiae tumultus philosophorum meditationibus plurimum obesse, et nubeculam inducere serenitati mentis credidit [m]. Valde autem eum bonis omnibus commendauit vitae simplicitas et integritas, qua ab omni vanitatis et ambitionis tumore remotus, philosophiam vita exprimere, honestatemque et virtutem colere sategit. Cui cum iungeret eruditionem insolitam et colloquiorum iucunditatem atque grauitatem, qua veteres aequabat, dici non potest, quantam illi venerationem ea res pepererit. In Peripateticae philosophiae historia eo potissimum conatu, memoriam suam commendauit, quod deperditum nonum decimumque librum *Politicorum* ARISTOTELIS ex ingenio restituere, telamque a Stagirita sumtam eodem pertexere filo ausus est. Ex quo labore magna Strozzae gloria enata est, cum et lectionis copiam, et ingenii elegantiam in eo mirifice proderet [n]. Neque tamen ad scopum collineasse Strozza, licet doctrinam et ingenium in ea re probauerit, visus est. Fridericus Morellius enim, qui haec supplementa Graece et Latine a Strozza edita, Gallice vertit, eum monuit, abundare ea auctoritatibus poëtarum, quorum loca cumulata satis prodant, ista non ab Aristotele esse profecta. Ad quae respondisse Strozzam narrat MASSONIVS [o], studio id se feciisse, ne ad Aristotelem auctorem referrentur. Alii et scientia et iudicandi ac dicendi facultate Aristoteli con-

Cyriacus Strozza.

k) Vid. BAYLE Dict. T. IV. Art. Strozzi p. 290 seqq.

l) PAPIR. MASSON. Elog. TEISSIER Elog. P. II. p. 228. 229. FREHER. p. 1461. Vitam quoque eius praefixam esse Tomo II. Opp. Aristotelis p. 461. Ed. Du Vallianae monet FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II.

m) THVANVS ad an. 1565.

n) Vid. laudatos TEISSIER l. c. Prodiere Florent. 1562. 1563. et in Du Valliana edit. l. c. p. 461.

o) loc. cit.

conceſſiſſe, fatentur, laudant tamen Strozzae diligentiam beneque de Ariſtotele merendi ſtudium. Inde moderatum GABRIELIS NAVDAEI [p] iudicium: *Quemadmodum nullus pictorum ea felicitate potuit Veneris effigiem abſoluere, quae ab ipſo Apelle incepta primum fuerat atque delineata, ita profecto immane quantum eum ab iſto auctore diſtare, quem ſibi ad imitandum propoſuerit: legendum tamen eſſe atque laudandum, quia quantum in ipſo ſitum fuerit, rerum pretioſiſſimarum iacturam ſarcire conatus ſit, et deſideriis noſtris cumulum imponere.* ANT. SCAINI [q], IO. ANDR. BOSII [r] aliorumque cenſuras breuitatis cauſſa omittimus. Non confundendus autem eſt Cyriacus cum

Petrus Strozza.

Petro Strozza, qui et ipſe tum Peripatetica philoſophia, tum architectonica arte celeberrimam famam ſibi acquiſiuit. Is narrante IANO NICIO ERYTHRAEO [s] Ariſtotelicam philoſophiam omnem, Lazaro Bonamico monſtrante, didicit, eiusque arcana, cum in Graeca lingua non mediocriter eſſet eruditus, quam domi a Graeco quodam didicerat, accurate perſpexit. His porro diſciplinas mathematicas iunxit, et nec picturam, nec architecturam contemſit, inque hac ita excelluit, vt paucos haberet pares, ſuperiorem neminem. Ita doctrinae praeſtantia commendatus Leoni XI, P. M. ab epiſtolis ſanctioribus ad ſummos viros principes dandis ei eſſe iuſſus eſt; eamque prouinciam apud eius ſucceſſorem Paulum V retinuit, auctis ſimul inſigni in aede Vaticana ſacerdotio. Quo tamen, ſacris nondum initiatus, ſe abdicauit, cum pontifici minus eſſe gratus coepiſſet, eo quod in aedificando ſacello quodam, cuius cura illi erat commiſſa, quaedam pontifici diſplicuiſſent. Itaque reuerſus in patriam ibique humaniſſime a Coſmo magno Hetruriae duce exceptus, magno ſtipendio ad docendam philoſophiam in gymnaſio Piſano conductus eſt.

Io. Baptiſta Strozza.

Sed et alium ex Strozzarum gente philoſophum, Io. Baptiſtam idem ERYTHRAEVS [t] enarrat, quem ait philoſophicis ac theologicis doctrinis inſtructum, Graecis ac Latinis literis doctum, poëticaeque facultatis ita peritum fuiſſe, vt cum maioribus natu poëtis compararetur. Hasque illum diſciplinas in inſtituendo docendoque prudentiſſimum iuuentutem edocuiſſe, et quotidianis domi ſuae diſputationibus exercuiſſe, ac ſaepius quod vmbratili illa inſtitutione didiciſſent, in puluerem et ſolem coëgiſſe educere. Ingenia quoque quae fortunae culpa, ne emergerent, oppreſſa cerneret, ſuis ipſum opibus ac facultatibus, quibus affluens erat, ſubleuauiſſe, libros, veſtem, cibos, habitationem omniaque ad neceſſarium vſum illis praebendo. Ceterum oculorum vitio laboraſſe multos eius familiae viros, idem obſeruat.

§. XXI. Ex

p) Bibliograph. polit. p. 19.
q) In quinque Qq. ad libros VIII. de Republica, p. 16. qui conrendit, nihil Ariſtotelis librorum Politicorum intercidiſſe. Conf. FABR. l. c.
r) De Compar. prud. ciu. §. 16. p. 6.
s) Pinacoth. II. c. 15. p. 55 ſeq.
t) loc. cit. c. 2. p. 15. 16.

§. XXI. Ex Caesenatibus oriundus fuit, qui multum Lyceo recentiori aetate splendorem addidit IACOBVS MAZONIVS, cuius vitam eleganter enarrauit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS [u], ipse vero alia de se ipso retulit [v], quemadmodum nec IMPERIALIS narratio cum illa Erythraei in omnibus concordat. Is anno MDLIII natus, ab ipsa pueritia ingenium demonstrauit acutum, feruidum et supra aetatis modum literis inhians. Quod cum elegantissimis doctrinis exornare vellet, Sebastiano Regulo humaniorum literarum apud Bononienses magistro erudiendus traditus est. A quo celerius, quam sperabatur, doctiorque dimissus animum ad philosophiam, reclamantibus, vt ipse ait, parentibus et amicis, adiecit, eo fine, vt et secum habitare addisceret, et sua contentus animi tranquillitate, nihil extra se ipsum quaereret. Eo itaque consilio ad Patauinum bonarum artium literarumque mercatum aduolauit, in quo eo tempore Fridericus Pendasius [w] philosophiam et Guido Pancirola iuris notitiam profitebantur, magnaque fama iuuentutem docebant. Ibi Pendasii copiosissimam, vt ipse refert, ingenii fertilitatem admiratus, eo potissimum duce ad cognoscenda philosophiae omnis mysteria se accinxit, et biennio in isto saxo voluendo occupatus est, tanta diligentia, tamque felici euentu, vt iam tum experiri vires, et collectis ex vniuerso scientiarum orbe quaestionibus ingenium publica disputatione ostentare cogitaret. Ipse sane innuit, se omnia Platonis et Aristotelis volumina nec penitus incuriose, nec plane conniuentibus oculis eo tempore perlustrasse, valde vero sibi aduersitates Platonis et Aristotelis, Plotini et Procli, Porphyrii et Iamblichi, Alexandri et Simplicii, Auerrois et Auicennae, Thomae Scotique obfuisse, seque in iis tollendis plurimum operis, laboris temporisque consumsisse. Ex qua eius narratione palam est, iam tum adolescentem Mazonium syncretismum eum fouisse, quem deinde late demonstrauit. Sed et mathematicarum artium praecepta philosophiae iunxit, nec a philosophiae et theologiae Scholasticae dumetis absterreri se passus est, vt non illi cognoscendae operam collocaret suam. Ita vix duo de viginti anno natus [x], tanta eruditionis praestantia inclaruit, vt, cum ab Archangelo Mercenario philosopho medicoque Patauino [y] oppugnaretur Pendasius, teste ERYTHRAEO, licet multi se eius propugnatores futuros pollicerentur, non tamen alteri, quam Mazonio defensionem suam committendam statueret. Duodeuigesimo aetatis anno domum reuersus est, quod iter studiorum in Helicone Patauino abrumpere eum coëgit repentinus Baptistae parentis interitus. Valde eam mortem studiorum suorum quietem concussisse, sublato, qui sibi vnus otia fecisset, quanta cuperet, conqueritur [z]. Successit enim facultatum tenuitas, ad quam eum et patrimonii cum aliis fratribus diuisio, et ipsa studia intempestiuo

Iacobus Mazonius.

u) Pinacothec. I. p. 65 seqq.
v) In Praef. vitae actiuae.
w) Docuit is, Mantuam patriam agnoscens, Patauii circa annum 1570. Peripateticam philosophiam, ediditque Censuram auscultationis physicae.
x) ERYTHRAEVS l. c.
y) Vid. MERCKL. Linden. renou. P. I. p. 87.
z) loc. cit.

peſtiuo diuitiarum contemtu redegerunt. Inuenit tamen inter triſtiſſima nubila redeuntem ſolem in Franciſco Maria, Metaurenſium duce, qui eum in familiae ſuae obſequia retulit, eaque liberalitate fouit, vt res eius ſupra vota ſuccedere inciperent. In ea quoque aula cum doctiſſimis viris, quos ducis illius literis fauentiſſimi munificentia alebat, conuerſatus, ſtudiis ſuis immenſas copias addidit, et cum abundaret Caeſena, tanquam honeſtarum diſciplinarum aſylum, viris multiiugae et multifariae doctrinae, (inter quos valde extollit Alexandrum Martinellum, et Ioſephum Gottofredum) eorum auctoritate ſuccenturiatus, doctrinaque valde confirmatus fuit. Quod itaque conſilium in Patauina academia conceperat, exſequendum ratus, principis ſui aulae ob otium philoſophicum valedixit, amicorumque eruditorum opera conſilioque adiutus, *de triplici hominum vita actiua nempe, contemplatiua, et religioſa tribus methodis* conſcriptis, *Quaeſtiones centum et nonaginta ſeptem ſupra quinque millia* [a], publice diſputandas Bononiae propoſuit anno ſalutis MDLXXVII, iuuenis annorum fere viginti [b]. Editus eſt iuſtae magnitudinis liber eodem anno approbante ſancto inquiſitionis Officio [c] Caeſenae, forma, quam vocant, quarta [d], et per omnem pene diſciplinarum ambitum latiſſime excurrit. Quem cum rariſſime inuenire liceat [e], pauca ex eo pace lectoris, enarrabimus, vt quam ſibi eo tempore philoſophiam finxerit Mazonius, intelligi poſſit. Omnem vero ſcientiarum orbem, in vitam actiuam, contemplatiuam et religioſam diuidit; et in prima quidem parte ethicam initio conſiderat, quidque virtus ſit, quid felicitas, allatis variis opinionibus ediſſerit; hisque politicam ſubiungit, et de ciuitatis conſtitutione, de militia et magiſtratu, de poëſi, de rebus publicis veterum, de rege, de ſacerdotio, de ſaltatione, de tragoedia, comoedia, ſatyra, vrbis area, munitione et ſimilibus collectanea ſua et diſtinctiones affert. Tum oeconomicam explicat, de agricultura, de aucupio, deque munere domini, filiique, patris, matris, mariti, vxoris ſeruique de foeneratione, piſcatione, venatoria praecipit. Dein legalem facultatem, id eſt, legislatoriam, quam philoſophiae moralis magiam quandam vocat, conſiderat, et explicitis philoſophorum opinionibus de legibus, veram de legibus ſententiam adſtruit. Simili tractatione in vita contemplatiua verſatur, expoſitaque eius natura, grammaticam, logicam, dialecticam, rhetoricam, philoſophiae diuiſiones, et mathematicas diſciplinas, arithmeticam, ſupputatricem, algebram, muſicam, geometriam, ſtereometriam, geodeſiam, proſpectiuam, picturam porro, ſtatuariam, aſtrologiam, gnomonicam, mechanicam; deinde phyſicam, et metaphyſicam conſiderandas exponit,

a) Errant itaque Imperialis et Freherus, qui 5190 ponunt.

b) Hoc ex praefatione colligitur, octodecim enim annos natus Patauio diſceſſit, et annum fere vnum poſt morum in aula ducis iſtam diſputationem ſuſcepit, annos natus circiter viginti. Falſus itaque eſt Imperialis, qui ei 27. annos tribuit.

c) Ita tamen, vt nullo pacto concluſiones pertinentes ad aeternitatem animorum poſſint diſputari.

d) Anno 1577.

e) Debemus eum liberalitati celeberrimi I. I. Zimmermanni.

exponit, et tum omnis ferme aetatis philosophorum opiniones affert, tum varias ex iis quaestiones cumulat, easque miro inter se connubio iungere, tollereque dissensum et contradictionem satagit. Et hac quoque methodo vitam religiosam contemplatur, ad quam tamen tractationem omnem trahit idololatriae vetitarumque artium considerationem, et religionis quoque Hebraeae et Muhammedanae ad demonstrandam religionis Christianae veritatem momenta varia: tum haeresium et errorum philosophicorum cumulum adiicit. Et hoc quidem pacto infinitum pene argumentum incredibili labore exhaurire satagit. In qua Mazonii tractatione, fatendum quidem est, eum vastam lectionem, et ingenii copiam supra iuuenilem aetatem longe excurrentem ostendisse. Verum, vt praematura plerumque solent, fecit iudicii lectionis copia suffocati defectus, et ineptum male cohaerentia conciliandi studium, vt nihil tanto conatu dignum referret, veterum opiniones confunderet, distinctiones afferret praeter rem excogitatas, et nec pleno tractandi modo, nec decenti ordine rem exponeret. Quamuis enim iuuenili ambitione se concordiam inter Platonem et Aristotelem, Stoicos et Peripateticos, Cyrenaicos et Peripateticos, et omnis fere aetatis philosophos, ne Thoma quidem Scotoque exceptis ostendisse glorietur, et omnibus fere paginis syncretismum inter academiam et Lyceum introducat, lecto tamen libro satis obscure et confuse scripto succurrit nobis illud HORATII:

Quid dignum praestet tanto promissor hiatu?
Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

Patienter itaque raritatem huius libri ferimus, eoque, nisi sponte occurrat, facile caremus. Condonanda tamen haec sunt iuueni nondum annis maturo, fatendumque, si prolixam lectionis copiam solam consideres, verisimile esse, quod ERYTHRAEVS refert, cum hoc specimen edidisset, qui illum nossent, exhorruisse, qui vero suo ex ingenio ceteros existiment, cachinnos extulisse. Sed vt ad historiam Mazonii reuertamur, ingentem assertionum et distinctionum harum numerum cum in Bononiensis scholae frequentia publica disputatione ventilandum proposuisset, responsum, exorata venia, tulit, fas esse nemini disciplinarum doctoribus literarium bellum indicere, nisi cui philosophorum theologorumque libros publice interpretandi facultas esset concessa. Doctoris itaque axioma et facultatem expetiit, et cum sex tantum menses in theologiae studio se triuisse assereret, impudentiam eius et audaciam mirante Cyrillo Seruita; qui tum studiis illis praeerat, periculum vt de se fieret, rogauit, et examine quoque suscepto, ita in iis quaestionibus, quae ad sacras et philosophicas disciplinas pertinebant, doctus inuentus est, vt doctoris ei locus, ac nomen omnium calculo tribueretur. Ita locum in cathedra occupans per quatriduum, ad omnia quae ponerentur in percontando, (verba ERYTHRAEI iterum damus) homo abundanti doctrina copiose respondit

ex tempore; nullam rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnauit, quam non euerterit. In quo ab ingenio, quod foecundiſſimum habebat, et a memoria, quam vaſtiſſimam alebat, admodum adiutus eſt. Si enim fides ERYTHRAEO, nihil vſpiam conſignatum eſt literis, quod non legiſſet, nihil legit, quod comprehenſum memoria non continuit; vnde tanquam ex promtuario aliquo, cum eſſet opus, ſingula proferret, et ſuo quaeque loco collocaret. Inde factum eſſe, idem aſſerit, vt in diſputationibus, cum auctoritatibus decertandum eſſet, integras ex ſanctorum patrum, Platonis, Ariſtotelis, aliorumque doctorum hominum libris paginas ita memoriter referret, vt ne vnam quidem ſyllabam peccaret. Ita vero dum mirum in modum incrementa caperet, quam viri eruditi de eius doctrina fouebant, opinio, non ſummis ſolummodo viris commendatus eſt, qui amicitia illum ſua ſunt dignati, ſed et rerumpublicarum in Italia principes et moderatores ad Scholas eum ſuas certatim vocarunt, vt docendi munus ſubiret. Et, ſi IMPERIALIS quidem audiendus, Romae primum, tum Maceratae, et dein per decennium Piſis, docuit, tandemque gymnaſio Ferrarienſi moderator datus eſt. Aliter tamen eius munera publica ordinanda eſſe, ſuadet ERYTHRAEI narratio, ex qua conſtat, Petrum cardinalem Aldobrandinum, qui tum potiebatur, tandem a Ferdinando Hetruriae duce impetrauiſſe, vt Romam mitteretur, ibique cardinali cariſſimum, et officiis beneficiisque omnibus ornatum, mille aureorum ſtipendio conductum fuiſſe, vt Ariſtotelis de philoſophia libros in gymnaſio Romano extra ordinem interpretaretur: ab eo autem principe iuſſum ſe Ferrariam ſequi, illuc cum eo abiiſſe. Quae melius cohaerent, quam Imperialis narratio. Quia tamen hic refert, eum occaſione anni iubilaei Romam veniſſe, conciliari vtriusque biographi relatio ita poteſt, vt dicamus, primo quidem Mazonium priuatum Romam abiiſſe, indeque commendata eius doctrina Mediceae genti, quae ſummo ſtudio viros doctos eo tempore complectebatur, Piſanae academiae doctorem datum, et tum demum Romam ab Aldobrandino cardinali vocatum ibique docentem in Ferrarienſe gymnaſium translatum fuiſſe. Tanta autem huius purpurati patris aduerſus Mazonium gratia fuit, vt et ſua illi conſilia crediderit, et eum ſolum ex familia ſibi conuiuam abduxerit, et occaſiones ei ſexcentas exhibuerit, ſumma cum nominis et eruditionis laude doctrinae latifundia pandendi. Cuius exemplum eſſe poteſt, quod inter coenam cum Iacobo Critonio *f* philoſopho Scoto, cuius praecocis inge-

f) Iacobus Critonius filius Roberti, ex regia Stuartia gente apud Scotos prognatus, inter ingenia praecocia referendus eſt. Annos enim natus viginti et vnum duodecim linguas doctus, in theologia, philoſophia, matheſi et humaniori diſciplina exercitatiſſimum demonſtrauit animum, et magnam lectionis copiam in ſcriptoribus ſacris et profanis oſtendit, ita vt de omni ſcibili diſputare auderet, immo verſibus quoque ex tempore fuſis reſponderet. Patriae vero tumultus pertimeſcens ad Venetos abiit, et in academia Patauina magna celebritate aliquandiu vixit. Venetiis quoque theſes publice ventilandas propoſuit, et ad certamen omnes eruditos prouocauit. Et tum factum, vt cum inſtinctu quorundam nobilium Critonius cum Mazonio coena-

ingenii tum erat summa existimatio, telis philosophicis congrediens victor abierit. Valde vero et heri sui gratia, et qui inde consequebatur, principum virorum fauor Mazonio damnosus, tandemque exitiosus fuit, mortem enim illi accelerauit. Nam cum parce admodum ac tenuiter vsus esset cibo atque potione, eaque perpetua eius consuetudo fuisset, Romam abductus inter aulae plausus, et prandia opipara, cum plus se cibis vinoque ingurgitare cogeretur, quam Stomachi vires ferre possent, tandem lethalem ex cruditate Stomachi morbum contraxit [g]. Cardinalem enim Ferrariam ad bellum proficiscentem secutus, vel, vt habet IMPERIALIS, illuc ab eo copiis pontificiis praefecto missus, vt Ferrariam reciperet a Venetis, et ab his ob prudenter rem gestam torque aureo ornatus, academiae moderator datus est, at exitiali morbo, quem erysipelatem fuisse ille tradit, stomachi vero inflammationi adscribere videtur Erythraeus correptus, obiit: praedixitque magnus Hetruriae dux cum eum Aldobrandini precibus expugnatus dimitteret, vereri se, ne tempestiua aulae ipsi blandientis conuiuia frugalissimum sibi virum eripiant, auditoque eius obitu exclamasse dicitur: verum euenisse, quod ipsi praesagiuerit animus, importunos eius admiratores non antea quieturos, quam ipsi vitam ademissent. Et ita quidem vix quinquagenarius anno MDCIII obiit. Quamuis autem Peripateticam philosophiam publice docuerit, inter syncretistas tamen, id est, conciliatores inter Aristotelem et Platonem numerandus est. Tribuitque illi IMPERIALIS librum *de Consensu Aristotelis et Platonis*, id quod ERYTHRAEVS confirmat, narrans: *Postremo post multas orationes a se editas anno, antequam excesserit ex vita, egregium volumen emisisse, in quo doctissime eruditissimeque concluserit, Platonis et Aristotelis inuenta, ab vno eodemque sapientiae iugo, veluti plura ex vno capite flumina deriuari, atque defluere, ac propterea mire inter se conuenire, congruereque.* Quod si verum est, nec confunditur ab his auctoribus liber supra recensitus, qui totus in eo vertitur, vt hanc inter Platonem et Aristotelem concordiam demonstret; intelligenda sunt eius *in Aristotelem et Platonis vniuersam philosophiam praeludia, Venetiis* viuo auctore MDXCVII edita, in quibus, teste MORHOFIO [h], similiter demonstrat, Platonis Aristotelisque principia ex vno eodemque fonte hausta esse. Illud vero conciliationis inter vtrumque philosophum studium, eum cum Francisco Patricio commisit. Cum enim Dantis poëtae patrocinium contra Castrauillam editis duobus voluminibus suscepisset Mazonius, in quibus enata occasione Franciscum Patricium reprehendebat, eo quod acerbe illum in Aristotelem inuehere ferre non posset, edito

coenaret, ambo inter se committerentur. Cum autem Critonius multa, sed superficiaria eruditione turgeret, Mazonius subactam haberet rerum notitiam, facile Critonius ab eo superatus est, ita vt se ex instituto literis operam non dare fateretur. Quo nomine eum contemsit BAILLET. de Pueris praecoc. c. 34. p. 107. quamuis mire eum laudauerit Scaliger, Scaligeran. p. 58. Mantuae demum a Vincentio, Gonzagae ducis filio, noctu gladio confossus periit, annos natus 22.

g) ERYTHRAEVS l. c.

h) Polyhist. T. II. L. I. c. 11. §. 19. p. 59.

to is libro se aduersus Mazonium defendit. Quod ita Mazonium exasperauit, vt nouo scripto plurimorum eum errorum satis acerbe postularet. Quod cum edita responsione negauisset Patricius, demonstrando non in his, quae obiiciebantur, locis se esse lapsum, non quieuit Mazonius, sed contentiosius controuersiae ferram reciprocauit, non quieturus, nisi Patricius scribendi finem feciſſet [i].

Hubertus Gifanius.

§. XXII. Inter Belgas praeter artis criticae peritiam philosophiae quoque Peripateticae laude inclaruit, HVBERTVS GIFANIVS [k], iureconsultus, ille enim de ethica et politica Aristotelis haud parum meruisse visus est. Fuit is Burensis ex Geldria [l], natus anno MDXXXIV, ex Gifaniorum [m] familia haud ignobili, quae Romanae ecclesiae communioni hactenus adhaeserat. Literarum elegantiorum atque philosophiae et iurisprudentiae praecepta hausit in scholis Louanienſi, Parisienſi et Aurelianenſi, in qua postrema honores in iurisprudentia summos consecutus est, et de gente quoque Germana in ea academia libris impallescente eo nomine meruit, quod bibliothecae in eius vsus colligendae initium fecerit. Ita absoluto studiorum cursu cum legato Gallico in Italiam profectus est; et redux Argentorati sedem fixit. In quo bonarum artium emporio cum iuris doctrinam traderet, adeo commendata est eius eruditio, vt initio quidem ethices et politices professio ei demandaretur, dein autem institutiones publice docere iuberetur; ex quo constat, eum desertis Romanis coetibus ad Protestantium partes transiuisse. Adeo vero fama doctrinae eius inualuerat, vt cum thori sibi sociam deligeret [n], non cunctaretur Io. Marbachius, primarius tum theologiae apud Argentoratenses professor, virque magnis in ecclesiam meritis conspicuus, filiam illi suam elocare. Argentorato Altdorfium vocatus est anno MDLXXXIII, ad suscipiendam professoris iuris spartam, in qua ornanda eandem famam atque religionem obtinuit [o]. Cum autem in academiam Angelopolitanam vocaretur lautis conditionibus iuris interpretandi munus subiturus, religionis Protestantium tesseram deseruit, et ad Romanensium castra defecit. Qua mutatione vxorem quoque pristinae religionis professioni inhaerentem a se dimisit, quae tantum inde dolorem concepit, vt aegritudine confecta praematura morte obiret, eo quod mariti perfidiae ferendae impar esset: Haec enim et testium fide dignorum assertis et historiae vitae Gifanii circumstantiis melius consonant, quam quae SCALIGER [p] tradit, eum ideo vxorem dimisisse, ne familiam alere in aula Caesarea cogeretur. In eam autem ob famam eruditionis praecipue in iurisprudentia, cum in ea Cuiacio haud inferior existimaretur [q], a Rudolpho II. vocatus,

i) ERYTHRAEVS l.c.

k) Alii, Obertus Giphanius scribunt.

l) VALERIVS ANDREAS Biblioth. Belg. p. 587. SWERTIVS Athen. Belg. p. 703.

m) Vocabatur a Giffen.

n) Conf. B. Io. FECHTIVS in Appar. ad epistolas Marbachianas s. supplemento ad H. E. sec. XVI. TEISSIER, Eloges T. IV. p. 468.

o) Vid. Vitae professorum iuris Altdorfinorum.

p) Scaligerana sec. p. m. 94.

q) Io. STRAVCHIVS de Beryto c. 4. §. 11.

catus, imperatori a Consiliis et epistolis esse iussus est, quo loco septuagenario maior Id. Quint. anno MDCIV [r], vel vt alii volunt [s], MDCIX, obiit: quamuis hi non magnopere fidem mereantur [t]. Celebratissima vero fuit Gifanii eruditio, tum ob iuris peritiam, tum ob elegantiores literas et philologiam, tum ob philosophiam Aristotelicam, cuius famae illius celebratissimae testimonia cum collegerint THOMAS POPE-BLOVNT [u] et ANTONIVS TEISSIERIVS [x], eos lectori adeundos esse monemus, vt, quantus ille vir fuerit, inde discatur. Nobis sufficit vnius MORHOFII [y] iudicium adduxisse, cui *heros* audit *inter iureconsultos Romanos qui doctrinam multiplicem, multarumque linguarum peritiam, ad iuris scientiam attulit.* Tacemus SCIOPPII sententiam, qua eum *iurisconsultorum nostri temporis principem* salutat [z]. Nobis hoc loco maxime memorandus est, ob eximios commentarios *in libros Ethicos et Politicos* Aristotelis, in quibus textum emendauit, paraphrasi illustrauit, et non sine insigni veteris eruditionis cumulo verum exponere sensum conatus est. Quamuis enim in iis elegantiam et perspicuitatem desiderauerit HERM. CONRINGIVS [a], recte tamen illi notatum, vltimam iis manum Gifanium admouere non potuisse. Ast hae, vt sunt humana omnia, labecula non obstante Gifanii lucubrationes in hos Aristotelis libros, omnium instar haberi posse, iudicauit GABRIEL NAVDAEVS [b]. Alia eruditorum, quae idem affirmant testimonia breuitatis caussa praetermittimus [c]. Dolemus itaque, Gifanium, cum veteris doctrinae haud mediocrem sibi notitiam acquisiuisset, in Lucretio, quem magno labore illustrandum sumserat, ad philologiam artemque criticam, quam ad philosophiam, respicere maluisse, eiusque obseruationes magis grammaticas esse, quam philosophicas, quo nomine eius diligentia displicuit recentiori Lucretii interpreti THOMAE CREECH, qui contemtim de hoc eius labore iudicat. Turpem vero illius famae maculam inusit sordities, qua impulsus, cum quinque et viginti millium coronatorum aureorum censu polleret, in subtegulanea tamen cella hospitauerit, liberisque seruorum instar vsus sit [d]. Nihil vero adeo existimationem eius optimis literarum decoribus partam adeo commaculauit, quam haud iniusta plagii suspicio, quod crimen magna, vt ferunt impudentia commissum ei obiecerunt seculi XVI critici. Dabimus THVANI

r) THVANVS L. CXXXI. ad an. 1604.
s) VAL. ANDREAS et SVVERTIVS l. c.
t) Id ex citato Scaligeranorum loco demonstrari potest. Ibi enim narratur, Iesuitam ei morienti adfuisse, plurimaque eius scripta surripuisse, Romamque abiisse. Scaliger autem ineunte anno 1609. ipse morte ereptus est rebus humanis. Conf. BAYLE Dict. T. II. art. Gifanius, not. A. p. 548.
u) Censur. cel. auct. p. 838.
x) loc. cit.
y) Polyhist. T. III. L. VI. sect. 7. §. 9. p. 586.
z) Comm. in Priapeia p. 2.
a) Introd. in Polit. Arist. c. IX. p. 648. „Versio Politicorum Aristotelis, saepe non satis polita, saepe ambigui sensus interdum non vna, sed duplex etc."
b) Bibliographia Politica p. m. 16.
c) Vid. MICH. PICCART. Isagog. in Lect. Arist. c. 21. §. 22. n. 209.
d) Scaligerana l. c.

ANI [e] verba, haec narrantis. *Fruterius* (cuius historiam ipse tangit, illustratam a TEISSIERIO [f]) *in puriore literatura cum excelleret, et iam multa commentatus esset, properata morte praepeditus, omnia ea Gifanii iudicio atque fidei commisit, qui pari fide minime vsus creditur, vixque lite a Iano Dousa mota exorari potuit, vt paucula, quae ex tanta iactura velut ex magno naufragio exiguae tabulae supererant, sint publica.* Hinc graues irae et contumeliae in Gifanium, a Dousa, Giselino, et qui laboribus eum suis spoliasse in Lucretio emendando conquestus est [g], Dionysio Lambino profectae, de quibus tamen furtis Gifanii literariis hoc loco, cum a nostro scopo aliena sint, plura dicere non licet, videndi autem, qui pleraque enarrant, SCALIGER [h], IAC. THOMASIVS [i] et PETRVS BAYLE [k]. Memorabile vero, scelus scelere pensatum esse, et eandem quam ipse commisit culpam, in eum admisisse, qui eius amicitia vtebatur, Gasparem Scioppium. Cum enim Gifanius ex bibliotheca Bessarionis, quae apud Venetos asseruatur, Symmachi codicem msc. furto sustulisset, illum autem, vt viris doctis concederet, nemo ab eo impetrare posset, Scioppii artificio clam subtractus est, et festinata comparatione cum editis, meliora surrepta et ab eo vulgata sunt; id quod occasionem dedit Scaligero [l], Scioppium amare traducendi, qui se tamen non violasse fidem, sed superasse inuidiam Gifanii contendit [m], qua de re alibi latius dicendum.

Iulius Pacius. §. XXIII. Inter iureconsultos quoque de Aristotele, et praecipue de eius organo praeclara praedicantur merita IVLII PACII, Vicentini, non minus eruditionis praestantissimae, quam vitae varietate memorabilis. Parentibus natus [n] Paulo Pacio et Lucretia Angioletta anno MDL, V. Non. April. maiores habuit auitis nobilitatis decoribus insignes a quibus Berigae cognomen a vicino praedio gentis suae accepit [o]. In pueritia praematura egregiae indolis et ingenii studiis aptissimi specimina edidit, ita vt nec eius acumen, nec fertilitatem desiderarent, qui animo eius literis formando adhibebantur. Cuius specimen esse potest, quod in pueritia mira quadam facilitate linguas Latinam, Graecam, Hebraicam et artes mathematicas didicerit, vixque tredecim annos natus libellum ediderit *de Arithmetica.* Vt itaque diligenti cultura foecundus ager iactis literarum seminibus coleretur, cum fratre Fabio, cuius postea celeberrimum inter medicos nomen extitit [p], Patauium missus est, vt philosophiam iurisque pru-

e) Lib. XXXVIII. ad an. 1566.
f) Elog. T. II. p. 285.
g) Vid. Praef. in Lucretium.
h) In Epist. ad Scipionem Gentilem, inter Gudianas App. n. 25. p. 356.
i) De Plagio n. 445. p. 196.
k) loc. cit. not. C.
l) Vel quisquis est auctor 'mordacis satyrae. Vita et parentes Gasp. Scioppii p. 145.
m) In Amphot. Scioppianis sub OPORINI GRVBINII nomine editis, p. 130. vnde locum excerpsit BAYLE l. c. not. E. quem vide.
n) TOMASSINI Elog. et ex eo FREHERVS Theatr. p. 1069. LAVR. CRASSO Elog. hom. literat. P. II. p. 86.
o) Ita ipse in carmine de vita sua apud citatos:
Pacis vbi et Berigae nostrae cognomina gentis
Clara per innumeros inueniuntur auos.
p) Partu septimestri editus est anno 1547. humaniores literas, philosophiam et medicinam supra

prudentiam discereret, id quod a praestantissimi ingenii iuuene, praeceptore Iacobo Zabarella viam muniente [q], ita factum est, vt omnes, quotquot sibi prodesse nouerat libros legendo deuoraret. Ita vero factum, vt, comitante virtutem et doctrinam inuidia, cum domum esset reuersus, valde suspecta esset eius eruditio, indignante episcopo Vicentino, quod prohibitorum librorum lectione cognitionem literarum augere ausus fuisset. Et carcerem non euitasset, nisi iniusti furoris tela mature praeuisa declinando ad Heluetios clam aufugisset, trans Alpes securiores latebras quaesiturus [r]. Ibi docendae iuuentuti operam locauit suam, tanta praestantissimae eruditionis commendatione, vt ibi publicum ei docendi munus crederetur. Posita itaque eo loco fortunarum suarum sede matrimonium haud infoecundum iniit. Neque tamen eo in munere manere illum passa est, quae vbique de doctrinae eius elegantia disseminata est, fama, quae, cum plurimum eum in Aristotelis philosophia valere dictitasset, in Heidelbergensem academiam vocatus est, vt organon Aristotelis doceret, licet omnem postea Lycei doctrinam in illa schola tradiderit. Vita tamen transultatoria delectatus haerere illo in loco diu noluit, sed vocatus in Pannoniam ad explicandas leges illuc concessit, ibique duobus fere lustris iuris scientiam explicuit. Tum ad academiam recens Sedani fundatam a duce Bullonienſi vocatus, eo quoque in loco dialecticam Aristotelis exposuit. Belli tamen tumultibus paulo post omnia miscentibus, Sedano securitatis causa in Heluetiam iterum concessit. Et ex his terris vocatus ad Nemausenses, deinde Montempessulanum, professionem iuris regiam nactus est. Ibi magno eruditorum Moecenati Nicolao Claudio Peirescio innotescens, cum se magno viro excellentissimi ingenii dotes et elegantissima eruditio commendauisset, Aquas Sextias vocatus est, vt et magno viro praesens esset, et iuuentuti docendo prodesset. Facile tamen Valentina, quae post haec ei oblata est vocatio illum ad mutationes crebriores valde pronum permouit, vt illuc concederet. Et in ista quidem palaestra tanta gloria desudauit, vt eum Lugdunensis Batauorum, et Pisana quoque ac Patauina academia ad suscipiendum professoris munus inuitarent. Repudiatis vero istis vocationibus Patauium abiit, quo eum allexit senatus Veneti munificentia, qui et equitis S. Marci dignitate et stipendio mille ducentorumque coronatorum eum auxit, filiumque praeterea Iacobum professorem iuris ciuilis esse iussit. Climate tamen Patauino sanitati Pacii inimico, Valentiam rediit, vbi honestissima mercede conductus ad mortem vsque perdurauit; qua humanis rebus ereptus est anno MDCXXXV, quinque supra octoginta annos natus [s]. Ita qui inconstantis nomen in vita me-

supra modum calluit, et patriam alienis vocationibus praetulit. Obiit anno 1614. IV Id. Oct. annos natus 67. vid. TOMASSIN. l. c. FREHER. l. c. p. 1333.

q) Vid. Praef. ad Organon Aristotelis. Ab hoc studium artis rationalis didicit.

r) Tacet haec Tomassinus, forte ne episcopi mores improbare cogeretur. Verum autem esse hi Pacii versus probant:

Tum fatum iniusti fugientem tela furoris
Detulit ad fines tetra Lemanna, tuos.

s) Apud Io. FABRICIVM Hist. Bibl. suae T. III.

ruit, fixam apud manes sedem figere coactus est. Egregie autem de dialectica Aristotelica Pacius meruit, quam non editis modo *Institutionibus logicis; Rudimentis logicis, et Disputationibus logicis* [t] illustrauit, sed imprimis accurata et eleganti editione scriptorum Aristotelis dialecticorum, quae *Organon* dici solent, adiuuit, in qua textum ad fidem codicum Msc. emendauit, adiectisque in margine obseruationibus luculentis, obscuris locis medelam attulit. Cuius Organi editio prima, qua nos vtimur, Graeco-Latina, Morgiis anno MDLXXXIV et XCII prodiit, altera emendatior et auctior apud Wecheli haeredes Francof. an. MDXCVIII lucem vidit [u]. In id vero connisus est Pacius, vt quem vsum dialectica Aristotelis in aliis disciplinis, maxime in iuris scientia habeat, ostenderet. Neque tamen a reliquis philosophiae Peripateticae partibus abstinuit. Debemus enim Pacio *Libros de coelo et de anima* Graece et Latine, *Physicorum libros octo*, Graece et Latine cum commentario; itemque *Doctrinae Peripateticae Tomos tres*, nempe logicum, physicum, politicum. In quibus cum et magnam Aristotelicae philosophiae peritiam ostenderit, et perspicuitatem valde sectatus fuerit, meruit, vt inter optimos Lycei recentioris philosophos numeraretur.

Andreas Caesalpinus.

§. XXIV. Alio nomine tituloque, quam, quos hactenus recensuimus, ob Peripateticam philosophiam memorari merentur ANDREAS CAESALPINVS et CAESAR CREMONINVS, quorum vterque impietatis Aristotelicae suspectus factus, accusatusque est, quod diuinis veritatibus impios Stagiritae errores praetulerit. De Caesalpino autem tenues sunt, quae inter acta literaria occurrunt memoriae [x]. Aretinus is fuit natus anno MDXIX, et post humaniorum literarum studia philosophiae Peripateticae et arti salutari totum se tradidit, eo euentu, vt eum recentiorum primum et pene postremum cepisse, quid Aristoteles velit, SAMVEL PARCKERVS [y] iudicauerit. Talis cum esset, magna eius apud omnes, qui γνησίως secundum Aristotelem philosophari cupiebant, fuit existimatio, sic vt apud Germanos quoque summa de eius eruditione philosophica esset opinio. Videturque Caesalpinus, qui per Germaniam iter fecit inter philosophos Aristotelicos quosdam habuisse sibi amicissimos, certe Philippo Scherbio, Altdorfino philosopho, familiariter innotuit [z]. Hinc factum, vt plurimum eius libri commendarentur, magnique fierent opiniones eius licet παραδοξωτέραι. Testem damus, qui in eum insurgere coepit NICOLAVM TAVRELLVM, qui Caesalpina dogmata conqueritur [a] maiore apud Germanos fuisse in pretio, quam olim apud Graecos Apollinis oracula. Cum autem tanta eruditionis fama inclarescceret, vt inter

III. p. 458. annos tantum septuaginta attigisse dicitur: quod falsum, si natus est anno 1550. quod biographi eius asserunt. t) FREHERVS l. c.

u) Vid. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 109.

x) Oppido pauca sunt, quae habent FREH. p. 1313. THESS. T. IV. p. 439. BAYLE T. II. Art. Cesalpin. p. 117. et scriptores de atheismo itemque Bibliothecarum medicarum conditores.

y) De Deo disp. I. §. 24. p. 64.

z) Vid. Vitae selectae, quae Vratislauiae 1711. prodierunt p. 583. conf. Epp. Richterianae p. 23.

a) Praef. ad Alpas Caesas.

inter maxima ingenia numeraretur [b], munera quoque splendida deesse illi nullo modo potuere. Pisis enim diu philosophiam artemque salutarem magno applausu docuit; huius autem eximia, quam possidebat, peritia eum Clementi VIII, P. M. commendauit, qui ei inter medicos suos primum locum tribuit, et sanitatis suae curam demandauit, in collegio sapientiae autem publice docere iussit [c]. Quo in munere occupatum mors praeuenit, ereptum rebus mortalium VI Cal. Mart. anno MDCIII [d], cum annum quartum supra octogesimum attigisset. In arte vero medica celeberrimum sibi tum libris doctissimis multaque eruditione refertis [e], tum ea potissimum obseruatione nomen fecit, qua sanguinis circulationem ante Harueum detexisse visus est. Ita enim nobilissimus medicus [f]: „Idcirco „pulmo per venam arteriis similem ex dextro cordis ventriculo feruidum „hauriens sanguinem, eumque per anastomosim arteriae venali reddens, „quae in sinistrum cordis ventriculum tendit, transmisso interim aëre fri„gido per asperae arteriae canales, qui iuxta arteriam venalem protendun„tur, non tamen osculis communicantes, vt putauit Galenus, solo tactu „temperat. Huic sanguinis circulationi ex dextro cordis ventriculo per „pulmones in sinistrum eiusdem ventriculum optime respondent ea, quae „ex dissectione apparent. Nam duo sunt vasa in dextrum ventriculum „desinentia, duo etiam in sinistrum, duorum autem vnum intromittit tan„tum, alterum educit, membranis eo ingenio constitutis". Quae tamen vtrum ad eripiendam Harueo hanc inuentionis gloriam sufficiant, medicorum filiis definiendum relinquimus. In philosophia non minori quidem celebritate Caesalpini eruditio inclaruit, cum autem Aristotelem presso sibi pede sequendum esse statueret, et idcirco a communi interpretum Aristotelicorum sententia recederet, physiologiam autem Peripateticam ita explicandam sibi sumeret, vt quae erronea viderentur et aduersa Christianis dogmatibus, non refelleret ipse, sed theologis confodienda relinqueret, valde inquinata Caesalpini memoria, et plerisque ante Spinozam in hoc impietatis luto haesisse visus est [g]. Editis enim *Quaestionibus Peripateticis* [h] de primariis philosophiae naturalis et transcendentalis apud Aristotelem dogmatibus ita praecepit, vt non solum Aristotelicam impietatem de Deo eiusque motione et intellectione, et de intellectu hominum vno etc. seruauisse, sed deteriora quoque, ipso Stagirita protulisse visus esset. Inde factum, vt certatim a viris summis Caesalpinus atheismi insimularetur, quibus omnibus praeiuit Taurellus, qui atroci accusatione et acerrima disputatione contra Caesalpinum editis *Alpibus Cae-*

b) H. Boecler Bibliograph. crit. p. 604.
c) Patiniana p. 60.
d) Thvanvs ad h. a.
e) Vid. Merclin. Linden. renou. p. 40.
f) Q. q. Perip. L. V. c. 4. p. 125. apud Bayle l. c. not. E. conf. Leibniz Theodicée praef. §. 11. Conringiana p. 192.
g) Parcker. loc. cit. Bayle l. c. not. C. Reimmann. Hist. atheismi S. III. c. 4. §. 12. p. 368. Byddevs Thes. de Atheismo c. 1. §. 24. et de Spinocismo ante Spinozam §. 16. Anal. Hist. phil. p. 337. Leibniz l. c.
h) Venet. 1571. 1593. fol. conf. Relat. innoc. 1703. p. 755. Morhof. Polyhist. T. II. L. I. c. 11. p. 61. Byddevs. Isagog. in theol. p. 264.

sis [i] surrexit, et impias eius opiniones demonstrare conatus est. Dolemus nos, factam nobis copiam *Quaestionum Peripateticarum*, quas, cum Pisis doceret, Caesalpinus edidit [i], haud esse, vt de ipso philosophum ἀνὼν Caesalpini nexu αὐτόπτοι iudicare possemus. Quoniam autem Taurelli liber, non minus rarus paucisque obuius, nobis ad manus est, dabimus, accusationis summam, fide Taurelli stantes, qui in hac disputatione, in qua ipsa vbique aduersarii verba affert, potiora dogmata, quibus in deuia se abripi et impietati praelusisse Caesalpinus visus est, retulit. Quod tamen prius quam faciamus, Lectorem monemus, vt eorum memor sit, quae de systemate Aristotelis physiologico suo loco dicta sunt. Sine iis enim tota philosophematum Caesalpini connexio intelligi non potest. Haec autem, interprete Taurello, potissimum in Caesalpino reprehendenda sunt; „quod cum magnum affectauerit nomen, et „se velit haberi Peripateticum, ab Aristotelis tamen decretis faceßat lon„gissime, et vt fucum faciat, nescio quae Aristotelis loca perperam intel„lecta vel studio in alienos contorta sensus suis applicet nouis et falsis „dogmatibus; et ita libros quinque nouis compleuerit opinionibus, par„tim valde noxiis, partim etiam impiis. Praecipue autem monet, nequa„quam illa ferri posse, quae de Deo et hominum animabus asserere et tu„eri pertinaciter Caesalpinus ausus sit: deque his Christianae fidei pro„curatores, quos haereticae vocant prauitatis inquisitores fuisse monen„dos. Caesalpini enim de animabus humanis opinionem multo magis et „absurdam et impiam esse, quam Auerrois. Quod enim hic de intellectu „assistente dixerit, hoc ad animas hominum ceterorumque animalium, et „ipsius adeo mundi totius transtulisse Caesalpinum, vnam asserentem „per se esse animam pro corporum animatorum numero multiplicatam; „cuius scilicet participatione corpora sint animata et substantiae. Quod „si quaeratur, quis sit illa anima vniuersalis; respondendum esse, Deum „eam esse Caesalpinianum, quem in tot discerpat particulas, quot in hac „rerum vniuersitate putet esse substantias. Quo posito non tam Deus „efficiens rerum causa fuerit, quam constituens. Vt vero per se est De„us, et ab omni materia separatus, vere illi dici esse vnum; at nihil nisi „se ipsum intelligere, nihil etiam curare aliud, atque ita omnem Caesal„pinum Dei prouidentiam tollere. Nec ea quidem opus esse, si Deus ipsamet „sit rerum animatarum omnium substantia. Esse vero hos fructus Ari„stotelicae philosophiae, partim non recte intellectae, partim etiam non „emendatae; nam vtroque modo peccauisse Caesalpinum: Cum enim „docuisset Aristoteles omnem rerum multitudinem a materia proficisci, „magnum hinc dogma Caesalpinum instituisse, vnicam videlicet esse sub„stantiam incorpoream; ne vero vel corporeas faceret animas vel earum „cogeretur admittere multitudinem, has vnius illius incorporeae substan„tiae partes aliquas esse, professum fuisse, quae pro subiecta materia mul„titudi-

i) Franc. 1597. 8. dicemus de Taurello infra ex instituto. Etiam hic liber rarius occurrit. vid. Ven. VOGT. Cat. libr. rar. p. 562.

„titudinis ſubeant rationem. Sed et in ſequentibus conqueritur Taurel-
„lus, ideo quoque peccaſſe Caeſalpinum grauiter, quod non modo quae
„debebat, non emendauerit, ſed ex iis etiam approbatis multo deteriora
„produxerit, tum quod recte dicta perperam intellexerit, et expoſuerit.
„Axiomate enim Ariſtotelico, Ἡ δὲ νόησις ἡ καθ' αὑτὴν τοῦ καθ' αὑτὸ ἀρίστου,
„*quod in ſe optimum, id ſe ipſum intelligere*, aſſumſiſſe Caeſalpinum, vt
„diuinam tolleret prouidentiam, curamque rerum humanarum. Similia
„in phyſicis quoque Taurellus Caeſalpino obiicit, nempe, ſuſtuliſſe ſub-
„ſtantiae et accidentium diſcrimen; praedicamentorum vſum adeo eleuaſ-
„ſe, vt nihil haec ad demonſtrationes rerumque ſcientias, ſed ad logicas
„duntaxat diſſertationes facere velit. Expungere quoque eum ex ſubſtan-
„tiae praedicamento differentias, et velle, vt in definitionibus differentiae
„ex accidentium ordinibus petantur, ſic vt qualitates, actiones, paſſio-
„nes, ſitus et cetera non iam accidentia ſint amplius, ſed ſubſtantiae, in
„abuſum tracta ἐντελεχείας voce, quaſi hanc Ariſtoteles ſolis attribuerit
„ſubſtantiis: hincque rei cuiusque finem ſubſtantiam eius complere cenſu-
„iſſe.“ Haec Taurellus, graui indignatione Caeſalpino ſuccenſens, quod
veritatem corrumpere, quam vindicare maluiſſet. Non tamen ei ma-
gnam rerum ſubtiliter et ingenioſe inuentarum copiam et affluentiam dene-
gat, admirandam potius eius ſolertiam et mentis varie excultae acumen
extollit; laudat etiam, quod Caeſalpinus Peripateticorum ſuorum barba-
riem, obſcuritatem, contentiones, erroresque inextricabiles deploret:
dolet autem, acutae mentis foecunditatem, et rerum inuentarum vbertа-
tem, illi ſaepe confuſionem peperiſſe, non adhibito tantae copiae conue-
nienti iudicio. Saepe enim veri ſpeciem fraudem parere; quae etiam
Caeſalpinum decepiſſe videatur, quam plurimos ingenii ſui foetus in lucem
edere nimia properantem auiditate. Improbat quoque, quod praeclaras
ingenii ſui dotes non ad exquirendam in rebus difficillimis veritatem potius
quam ad ſophiſticas huiuscemodi fraudes, adhibuerit. Ex quibus, quid
Taurellus de impietate et ἑτεροδοξίᾳ Caeſalpini iudicet, facile rerum intel-
ligens capiet. Quamuis autem, quo iure haec aduerſario Altdorfinus phi-
loſophus obiiciat, vix ſine libri ipſius inſpectione accurate definiri queat,
fatemur tamen, iis in locis, quae ex Caeſalpini Q.q. Peripateticis adduxit,
et propriis verbis deſcripſit Taurellus, confirmari nos in ea opinione,
Taurellum viri boni officio non defuiſſe, et Caeſalpino nihil, quod non
reuera ab eo aſſertum ſit, inuidia duce affinxiſſe: pleraque etiam, ſi re-
cte conſiderentur, talia eſſe, vt a philoſopho, Ariſtotelem preſſo pede
ſequi apud ſe conſtituente, aliter dici vix potuerint. Cuius vt lector ſpeci-
men habeat, ecce quam παραδόξως Caeſalpinus Peripatetice ſtatuat, *prae-
ter animata et animatorum partes nullas eſſe ſubſtantias*; vel quae ipſius
verba ſunt: *Nullam eſſe ſubſtantiam praeter animae naturam.* Ex qui-
bus error ille, quem Taurellus Piſano philoſopho obiecit, fluit, *cum
multitudo a materia tantum oriatur, vnicam tantum in mundo eſſe ſub-
ſtanti-*

ſtantiam. Quae cauſſa fuit, cur vnanimi fere conſenſu Spinociſmum viri docti ei exprobrauerint. Quod, licet praeter fas fieri putemus, eo quod vnica Spinozae ſubſtantia alterius generis eſt: quam Caeſalpiniana, cum haec ad ſolam animam pertineat, illa ad materiam quoque, cui Peripateticis rationibus vſus Caeſalpinus vnitatem ſubſtantiae denegauit, fatemur tamen, haud leuiorem impietatem eam ſententiam fouere, et Stoicos errores recoquere, re ipſa Deum euertentes. Verum quoque, Auerrois eum hypotheſin de intellectu vno vniuerſali non emendaſſe, ſed adhuc magis corrupiſſe: ait enim, *Omnium animatorum animam communem quandam et vnam eſſe animam, quae pro varia ſubiectorum materia varias efficiat animatorum ſpecies.* Haec enim non ad intelligentiam infimam, ſed ad ſupremam ipſumque Deum Caeſalpinus retulit. Ita, vt eundem de vna ſubſtantia errorem incruſtet, contendit, *quia actus ſimpliciſſimus ab omni materia ſeparatus non ſit quantus, impoſſibile eſſe, multitudinem recipere; vnam igitur tantum fore huiusmodi ſubſtantiam.* Recte enim hic quaerit Taurellus, vbi ſunt angeli, vbi daemones? Nempe falſo hoc ſuppoſito nitebatur Caeſalpinus, *quod materiam non habet, vnum eſſe omnibus modis neceſſe eſſe, eo quod ipſius partes non ſint.* Ex his ſequuntur, quae Caeſalpinus porro affirmat: *Primam ſubſtantiam per ſe quidem vnam eſſe, ſed quia res multae ſunt, quibus ipſa communicatur, multas videri: Vniuerſi ſubſtantiam ſupra omne corpus exiſtentem, et ab omni materia ſeparatam pro multitudine corporum multis modis participari abſque eius diuiſione:* id quod abſurdum eſt, et impium, Deum eſſe mundi ſubſtantiam, eamque conſtituere, nec tamen eſſe in mundo, id quod ne quidem Peripatetice dici poteſt. Porro, *infinitum de iis tantum poſſe dici, quae quanta ſunt continue vel diſcrete, ſiue per ſe, ſiue per accidens: adeoque id dici proprie infinitum, quod poſſit eſſe finitum, et ob id aſſerendum eſſe, primi motoris virtutem neque finitam neque infinitam eſſe. Eſſe quoque primum motorem, intelligentiam ſpeculatiuam, non actiuam,* cuius rationem ab Ariſtotele petiit, quia ſubſtantiam ſeparata ideo mouet, quoniam deſideratur et appetitur; id eſt, intelligitur vt bonum; motionum autem naturalium actiuus intellectus eſſe nequeat. Nec de primo motore aliter Caeſalpinus ſtatuit, quam Ariſtoteles, ait enim: *Sufficientem eſſe ſpeculatiuum illum actum ſimplicem et perfectiſſimum, non alicuius gratia exiſtentem, ſed ipſummet finem omnium, vnde habent cetera et eſſe et viuere.* Et, ſi hoc verum, *ſpeculatiuum intellectum ſubſtantiam exiſtentem per ſe non alterius gratia appetibilem, ea quae apta nata ſunt appetere, perficere, non agendo quippiam, aut introducendo in materiam aliquid, hoc enim laboriosum eſſet, ſed per ſui praeſentiam educendo ex potentia materiae formam ad quam apta nata eſt.* Qua ratione Deus inſtar incubantis ouo gallinae eſſe, Taurello viſus eſt, quae ſuo calore formas in ouis delitescentes educit. Rectius interna vi educere formam ex potentia, quamuis

nihil

nihil ipse agat, dixeris. His similia sunt, quae porro habet: *Principium motus in patiente solum non in agente esse, quae natura dicatur vniuscuiusque; vnam tantum esse intelligentiam, quae sit Deus, cum implicet contradictionem plures esse intelligentias, id est substantias. Vnicam hanc intelligentiam omnium rerum intelligentiam continere: esse enim tanquam mensuram omnium, ita vt ab vno multitudo descendat.* Nec meliora habet de aliis rebus, e. g. *Cum impossibile sit potentiam aliquam esse sine subiecto, impossibile etiam esse, huiuscemodi intellectum seiunctum esse ab omni materia. Quod igitur immixtus dicatur a corpore, non significare a corpore separatum esse, sed eius esse non in corpore esse; non enim corpore vti dum operatur, licet inseparabilis sit a corpore. Materiam primam esse corpus, quaecunque ex semine fiunt, eadem posse fieri sine semine; foeminam non solum materiam tribuere conceptui, sed et formam, marem autem formam solum; animam non in singulis partibus esse, neque totam in toto, sed totam in corde &c.* Et huiusmodi quoque paradoxis ex Caesalpino Qq. Peripateticis collectis plenus est liber Taurelli, qui ea ipsis Caesalpini verbis expositit, cuius πρῶτον ψεῦδος fuit, non esse substantiam, nisi quod sit vnum, multitudinem autem absolute a materia tantum esse: licet haec vna substantia valde a Spinozae substantia vnica differat. Qua in assertione, et in iis, quae ex illa consequuntur Caesalpinus Aristotelem deseruit, vnde notatus est G. I. Vossio [k], quod contra Aristotelis mentem intelligentias motrices non esse per se multas, sed tantum ob coelestes sphaeras statuerit: qua ratione ipso Aristotele deterior omnem in substantialibus multitudinem negauit, et ad vnam omnino substantiam sensu Stoico, vel si mauis Pythagoreo, reuocauit. Ex quibus larga manu datis, nisi nos omnia fallunt, clarissime patet, Caesalpinum rationibus Peripateticis de vno et multo vsum et fascinatum isto praeiudicio multitudinem a sola materia proficisci, omnem veritatem et ipsa principia Aristotelica nonnunquam euertisse. Et hinc summa illa doctrinae Caesalpini, quam Samvel Parckervs [l] ὡς ἐν συνόψει exhibuit, iudicanda est, qui licet detestabilem Caesalpini hypothesin esse recte putet, eumque impietati praeluxisse obseruet, et Aristotelicas quoque nugas recepisse demonstret; tantum tamen, quantum Caesalpinus aberrauit, non attulit, cum ipso Aristotele discipulus Caesalpinus sit deterior. Et ex his intelligi potest, cur monstrosa et superba dogmata Caesalpino tribuat Ven. Reimmannvs [m], qui recte obseruat, ex Taurello impietatis eius luculentam delineari posse faciem.

§. XXV.

k) De Orig. et progressu idololatriae L. II. c. 4. p. m. 531.

l) loc. cit.

m) Hist. Atheismi p. 369.

Caesar Cremoninus.

§. XXV. Eiusdem commatis fuit CAESAR CREMONINVS, editus in lucem Centi, oppido in ducatu Mutinensi sito, anno MDL. n). Quantis is a natura ingenii dotibus auctus fuerit, quam egregie maturis eruditionis fructibus profecerit, inde argumentum capi potest, quod Ferrariae in aula ducis Atinensis gratiosus fuerit, et annorum viginti atque vnius iuuenis meruerit eo in loco cathedrae philosophicae praefici. Quam spartam non obstante iuuentute ita septendecim annis ornauit, vt summa eruditionis eius esset existimatio, et fama eius passim per Italiam innotesceret. Quae causa fuit patribus patriae apud Venetos, vt Patauinae eum scholae doctorem deligerent, collegamque adiungerent Francisco Piccolomineo, qui fatis functo in professionis, quam vocant, primariae honore et axiomate succesſit. Magna autem inter honestarum disciplinarum studiosos, quos illa schola alebat, fuit de eo opinio, qui vt ab eius ore velut a diuino quodam eloquio pendebant, ita magno studio applausuque eum audiebant. Vnde factum, vt, quas, discipulis suis dictauerat, lectiones, maxime fierent; contrarium libris eius euenirent, quos in officinis prostantes euiluisse testatur IMPERIALIS his verbis: „Illud nobis mi„randum, quod elaborata ipsius opera typis excusa in officinis hactenus „euilescunt, scripta vero Peripati more discipulis ab ipso deambulante „dictata sic excellunt, vt nihil ad arcana philosophiae detegenda perfecti„us ac suauius desiderari possit". In qua narratione, obscura causa P. BAYLIO o) visa est, cur dictata Cremonini exasciatis schediasmatibus praelata sint. Nobis vt haud insolens esse videtur, magis a iuuentute studiosa extolli praeceptoris dictata, licet haud raro αὐτοσχεδίως effusa, quam libros cum cura elaboratos, quod quotidie in academiis fieri, norunt, qui mores earum intelligunt; ita causam eam fuisse verisimile est, quod in his dictatis luculenter atque perspicue mentem Aristotelis Cremoninus exposuerit, in scriptis autem typis editis vel ob affectatam eruditionem, vel ob obscurius cautiusque exposita Lycei dogmata difficulter intelligi potuerit, ideoque etiam illa neglecta sint et euiluerint. Summo enim loco ponebat Aristotelem, et ab eius placitis discedere religioni sibi ducebat, contemnebat autem iuniores Peripateticos, quos probe nouerat multoties veram Aristotelis mentem euertisse, et nec sensus eius affecutos esse, nec ab iis ornandis, comendis, pingendis et in alienam sententiam detorquendis sibi temperauisse. Vnde ad ipsum Aristotelem auditores ducere, vel ex interpretibus vnum commendare Alexandrum Aphrodisaeum, quam turba commentatorum discipulos obruere, et veram doctrinam Peripateticam illis inuidere maluit. Ita vero factum, vt cum magna esset doctrinae eius praestantia, et famae claritas, summis is quoque principibusque viris esset carissimus, sic vt reges quoque eius imaginem velut viri clarissimi secum habere praeoptarent, et in rebus arduis magnique momenti

n) IMPERIALIS in Museo p. 173. CRASSO Elog. T. II. p. 124. FREHER. Theatr. p. 1525.
o) Dict. T. II. art. Cremonin. not. B. p. 224.

menti eius consiliis vterentur. Gaudebat enim acie mentis summa, ingenio vero versatili et in inueniendis rationibus mediisque foecundo, cui iungebat morum suauitatem et humanitatem supra modum iucundam, qua se facile animis insinuabat: vnde euenit, vt, licet superficiariam tantummodo in colloquiis eruditionem prae se ferret, eo quod ad differendi magis iucunditatem et elegantiam, quam ad eruditionis ostentationem in iis respiciebat, gratissima tamen et exoptatissima esset, quibuscunque illa obtigerat, eius conuersatio. His, teste NAVDAEO p), accessit, et forma corporis decora atque elegans, quae valde eum commendabat, et splendor, quem in vita, vestibus familiaque, affectabat, cum ex stipendio lautissimo sumtus ad eam rem abunde suppeterent. Et cum more gentis suae simulare egregie nouisset, tanto consensu mores eius probati sunt, vt et iuuentus, quae se literis dederat, illius potissimum partes sequeretur, et qui illi aduersabantur, parum contra eum valerent q). Ita quadraginta annorum spatio cum innumeros in Patauino gymnasio discipulos habuisset, peste tandem octogenarius anno MDCXXX obiit. Reliquit doctrinae, quam summam alebat Peripateticae specimen, praeter alia minoris momenti scripta, librum *de Paedia Aristotelis* r), et *Diatyposin vniuersae naturalis Aristotelicae philosophiae*; itemque *Apologiam de calido innato et semine pro Aristotele aduersus Galenum*, cui aliam quoque *Dictorum Aristotelis de Origine et principatu membrorum* opposuit s). Memorantur etiam eius *Illustres contemplationes de Anima* t), liberque *de Efficacia in mundum sublunarem*; et tractatus tres *de Sensibus externis, de Internis, et de Facultate appetitiua* u). Porro Disputatio *de Coelo, cum Apologia dictorum Aristotelis de Via lactea, et facie in orbe lunae* x), et alia *de Formis quatuor simplicium, quae elementa vocantur &c.* In his quidem scriptis eruditionem atque Peripateticam doctrinam abunde probauit meruitque inter insignes philosophos et primis iure accensendos numerari y): valde vero eruditionis eius fama impietatis suspicione commaculata est, eo quod Aristotelem nimis presse sequendo, de motore primo sibi tantum intento suaeque sphaerae affixo, de intelligentiis sphaerarum motricibus, de prouidentia sublunarium et similibus, et imprimis de immortalitate animae, quam stare non posse saluo systemate Peripatetico dudum Alexander Aphrodisaeus Cremonino summopere dilectus tradidit, ea praeceperit, quae religionis Christianae decreta funditus euertunt. Haec se quidem velut Peripatetice tantum statuere monuit, nec se ideo reiicere Christiana dogmata, more philosophorum Italicorum, qui ex Lyceo similia affirmauerunt, professus est: vnde nonnullis z) occasio

p) Naudaeana p. 55.
q) IMPERIALIS l. c. Naudaeana l. c.
r) Valde eam laudat MORHOFIVS Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 62.
s) MERCKLIN. Linden. renou. p. 135.
t) Vid. Cl. STOLLIVS Introd. in Hist. Lit. P. II. cap. I. §. 83. pag. 395.
u) Cat. Bibl. Thuanae T. II. p. 32 seqq. ed. Paris.
x) Cat. Bibl. Augustanae p. 459. 614.
y) BOECLER. Bibliograph. Crit. p. 605.
z) Enumerat eos REIMMANNVS Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. 14. p. 372.

enata est, ab impietatis macula Cremoninum absoluendi, inter quos, valde dolemus, nobis PAGANI GAVDENTII *Diatribam historicam* [a] *de Caesare Cremonino, Iulio Pacio et Ioanne Barclaio* visam haud esse, ex qua sine dubio clari viri res literariae valde videntur illustrari posse. Alii autem qui Cremoninum vel nouerunt vel audiuerunt, et qua diligentia ista Aristotelis placita iuuentuti inculcauerit, audiuerunt, is visus est, qui Christianae fidei excusationem dicis tantum caussa adhibuisset. Quorum loca cum indicauerit diligentissimus REIMMANNVS [b], eum exscribere nolumus. Quamuis autem difficile esse videatur, deficiente nobis scriptorum Cremonini omnium copia, quorum pauca vidimus, eo quod neglecta, tandem, vt fieri solet, in plerisque bibliothecis euanuerint, de genuina eius sententia pronuntiare, veroque non sit absimile, eum in lectionibus magis suis, quam in libris vulgatis ista Peripatetica dogmata, quae suspecta sunt, disseminauisse: fatendum tamen, si probabilem ratiocinationem sequi licet, et vera sunt, quae de illo tradunt, qui philosophum audiuerunt et cognouerunt [c], ab omni eum suspicione liberare vix posse. Nam non modo Imperialis atque Crassus, sed Naudaeus quoque testantur, fuisse eum sine religione, et haud obscure apud amicos interioris admissionis impiam de ea sententiam suam prodidisse, quamuis externam pietatem simulauerit. Quos tantum ei sine veritate opprobrium obiecisse, cum caussam calumniandi non habuerint, verisimile haud est: nosse vero facile potuerunt, quae illi mens insederit, praecipue cum Naudaeus eius consuetudine visus fuerit. Et quis, quaeso, ignorat, vt inter omnes proh dolor gentes! ita imprimis inter Italos, maxime inter eos, qui Peripateticismo ex animo addicti fuerunt, eam, quae Cremonino tribui solet, apud impietatis cultores regulam inualuisse: *Intus vt libet, foris vt moris est*? Id cum de Pomponatio, de Portio, de Caesalpino supra demonstratum sit, eadem ex caussa clanculum placita Lycei Christianis decretis opponentibus, cur non, quem in eodem luto Peripatetico haerentem videmus Cremoninum, eandem quoque viam tenere probabile sit? Valde vero hanc verisimilitudinem auget, quod Cremoninus Aristotelem eiusque genuinum interpretem Alexandrum tanta fidelitate secutus sit, vt eos intus et in cute nouisse iudicatus, ideoque Aristotelis genius vocatus sit [d]. Inde enim recte infertur, ab Aristotelica, quam physiologia Lycei infert, impietate eum non recessisse, et nec emendauisse Aristotelem, nec accommodauisse, vt alii fecerunt ad dogmata Christiana. Quamuis autem se, hanc Aristotelis doctrinam, tanquam philosophum modo admittere, et ecclesiae iudicio subiicere, exque eius decreto falsam esse fassus sit; faciunt tamen et insignis quam in ea inculcanda adhibuit industria, et prodita apud eos, qui eum nouerunt, simulatio, vt ad euitanda tantum inquisitionis tela ita statuisse merito videatur. Hanc enim elabendi rimam seruaue-

a) Adiuncta est libro De emulgatis Arcanis. Libri autem plerique Gaudentii rariores sunt, licet accuratam eruditionem non vbique referant.
b) loc. cit.
c) Talis Naudaeus fuit.
d) Citati.

uauerunt, quotquot in Italia impietatem Aristotelicae philosophiae pro summa sapientia habuerunt. Quod si verum est, quod nonnemo tradit [e], docuisse eum: coelum esse agens vniuersale, animamque calidum innatum, quorum vtrumque ex Peripatetico systemate fluit, facile inde allata coniectura confirmari potest.

Alii Peripatetici clari.

§. XXVI. Fuere hi philosophi velut stellae primae magnitudinis in coelo Peripatetico; neque tamen hi omnes sunt, quos ex Romanae ecclesiae addictis commendauit Aristotelica doctrina, sed et alii praestantissimam in eo philosophiae genere eruditionem comprobauerunt, quas breui delineatione, quam instituti nostri limites postulant, recensebimus. Inter hos primum locum damus FRANCISCO VICOMERCATO, qui et Vimercatus dicitur. Is gente patricia [f] apud Mediolanenses natus in Papiensi schola philosophiam, artes mathematicas et salutarem didicit, maturusque eruditione et meritis summos in arte medica honores consecutus est. Tum ad exercendam cui se deuouerat, artem sanandi in patriam redux, faustis auibus praxin medicam suscepit, tanta ob felicem curationum euentum fama, vt ad suscipiendum archiatri munus apud matrem Franciſci I regis, et subeundum simul professoris publici munus ad Parisienses vocaretur. Quo axiomate auctus non sanitatem modo regiam consiliis tueri, sed lectionibus quoque publicis et scriptis disciplinas, maxime philosophicas, iuuare annisus est. Huic enim, quam in Gallia fecit morae, commentarios debemus, quos in Aristotelis scripta philosophica edidit [g], nempe Comm. *in libros Metaphysicorum, cum versione eorundem e Graeco in Latinum, Comm. in Meteorologica, cum versione Latina, et in Libros de Anima* [h]. Edidit quoque *de Principiis rerum naturalium libros tres* [i], et *de Anima rationali Peripateticam disceptationem* [k]. Ex Gallia vero ob magnam eruditionem in Taurinensem vocatus et consiliarii intimi axiomate a Sabaudiae duce ornatus est. Discipulum is habuit LVDOVICVM SEPTALIVM, antiqua et generosa prosapia apud Mediolanenses anno MDLII, vt obseruatum BARTH. CVRTIO [l], prognatum. Alii III Cal. Mart. anno M DL in lucem editum esse asserunt [m]. Cum inter maiores magni nominis summaeque celebritatis iureconsultos numeraret, eorum exemplo vehementer ad comparanda sibi eruditionis ornamenta accensus est. Mediolani autem literarum elegantiorum et philosophiae rudimentis apud Iesuitas haustis in Papiensem academiam abiit, ibique Philelpho Amaltheo philosophiam, Paulo Cigalino medicam artem explicantibus auditorem se exhibuit acutum et industrium, Amal-

Franciscus Vicomercatus.

Ludouicus Septalius.

e) Nouantiqua, p. 425.

f) Vid. BART. CVRTIVS Notit. Script. Mediolanens. medica eruditione clarorum P. II. p. 70.

g) Valde eos laudat MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. II. p. 57.

h) Editi sunt Venetiis 1564 seqq. vid. Cat. Bibl. Thuanae P. II. p. 21. Bibl. August. p. 590.

i) Marpurg. 1604. Vid. Cat. Bibl. Aug. p. 378.

k) Extat ea in Collectione dissertationum de hominis perfectione, animo et ortu, Marpurg. 1590. edita.

l) loc. cit. p. 137.

m) GHILINI Theatr. P. I. p. 151. CRASSO Elog. P. II. p. 279. FREHER. Theatr. p. 1364.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

theo vero Taurinum vocato ab Octauiani Ferrarii ore pependit, annùmque vix natus vnum supra viginti doctoris honores consecutus est, tantique eius eruditio valuit, vt fatis concedente Cigalino ei in cathedra successor datus sit. Exacto autem in eo munere quadriennio illud deposuit, et in patriam reuersus arti medicae exercendae se tradidit eo successu, vt plurimis experientia eius ad salutem sanitatemque prodesset [n]. Horas autem subcisiuas, cum varia et eleganti doctrina polleret, scribendis libris tribuit. Inter ea versio quoque est librorum Hippocratis, *de Aëribus, aquis et locis* [o], itemque commentarius *in Problemata Aristotelis* [p], et scripta nonnulla medica alibi enarranda [q]. His vero meritis tantam sibi nominis celebritatem conciliauit, vt ab aula regis Hispaniarum scribendae historiae destinaretur, quod tamen munus declinauit, patriumque solum alienis terris praetulit. In illo vero anno aetatis LIII, professor moralis et ciuilis philosophiae in Canobiana schola designatus est, quo in amplissimo munere constitutus artem tamen medicam exercere, consiliisque suis aegris prodesse perrexit. Et huic quidem muneri debemus elegantem pariter atque rarissimum librum [r] *de Ratione instituendae et gubernandae familiae:* quemadmodum scriptorum quoque medicorum et consiliorum viris principibus exhibitorum fama vbique locorum, vbi honos erat literis inclaruit. Inde factum, vt ad Ingolstadiensem, Florentinam, Bononiensem et Patauinam cathedram, et ad hanc quidem insigni stipendio promisso inuitaretur. Quas vocationes tamen omnes respuit patriamque scholam et vrbem illis praetulit, cum quod numerosam familiam aleret, tum quod Mediolanum affatim et honoris et opum illi exhiberet. Anno MDCXXVIII ab Hispaniae rege ducatus Mediolanensis protophysicus generalis designatus est: quae prouincia vt honoribus eum auxit, ita vitae adduxit periculum. Anno enim sequente inualescente lue pestifera dum miseris auxilia affert, ipse illa labe corripitur, quam cum artis suae praesidio a se depulisset, vis tamen mali omnis expelli non potuit. Apoplexia enim tactus linguae vsum valde imminutum sensit, a quo tamen malo liberatus diarrhea quadriennio post prid. Id. Sept. [s]. an. MDCXXXIII rebus humanis senex ereptus est, relictis filiis [t] eruditionis et famae paternae haeredibus [u]. Praeter scripta supra iam enarrata de philosophia quoque Peripatetica editis *Libris duobus Analyticarum et Animasticarum dissertationum; Libris* porro *octo Politicorum*, vernacula vulgatis; *Commentario in Politicam et*

n) Citati, CVRTIVS l. c.

o) CVRT. l. c. Cat. Thuan. P. II. p. 140. Cat. Aug. p. 348.

p) Prodiit Hanou. 1602. fol. Lugd. 1632. fol. eum „vberrimum et locupletissimum, multa re„rum varietate referrum, et variis disquisitio„nibus disputationibusque physicis instructum“ vocat MORHOF., Polyhist. T. II. p. 58.

q) Vid. MERKLIN. Linden. renou. p. 768.

r) De eo ita NAVDAEVS Bibliograph. Polit. p. 17. „Vnus nostro tempore Ludouicus Septa„lius, medicus Mediolanensis, gloriam omnem „retulit, quae ex eiusmodi tractatione sperari „poterat, edito pereleganti libro de re familia„ri, in quo ita minute ac diligenter cuncta pro„sequitur, vt telum ferme semper ad intima „penetret“. Plura de libro rarissimo paucisque viso dabit Cel. SCHELHORNIVS Amoenit. H. E. T. I. p. 936 seqq. qui de Septalio quoque multa, vt solet, erudite attulit. Prodiit liber Mediolan. 1626. 8.

s) XIV. Cal. Sept. habet CVRTIVS l. c.

t) Habuit filios superstites septem.

u) CVRTIVS l. c.

et moralem philosophiam Aristotelis, et *Discussionibus Peripateticis* insigniter meruit; dignus visus MORHOFIO *x*, quem maximi nominis philosophum appellaret.

§. XXVII. Ferrarienſem inter Italos cathedram eruditione Peripatetica nobilitauit ANTONIVS MONTECATINVS, eo in loco anno MDXXXVI natus. Qui cum et doctrinae elegantiam et prudentiae alacritatem Alphonſo II, duci Ferrarienſi, probauiſſet, magnis ab eo rebus adhibitus, et ad legationes quoque obeundas aliquoties delectus eſt. Qua occaſione talem ſe praeſtitit, vt hero ſuo conſilia operamque fideliter demonſtrauiſſe iudicaretur. Inde factum, vt et vrbi Regii regendae praeficeretur, et non ſemel vniuerſam ditionem conſiliarius produx adminiſtraret, et Ferrariae quoque tribunatum gereret *y*, denatus anno aetatis LXIII, reparatae ſalutis MDXCIX *z*. Auxit is Peripateticam philoſophiam commentationibus *in Libros octo Phyſicorum*, et *tres libros Politicorum priores* *a*, itemque *in tres libros de Anima*. Has non ſcholiis modo et quaeſtionibus amplificauit, ſed et digreſſiones in Auerroëm adiunxit *b*. Neque vero ita Ariſtoteli ſe deuouit, vt non Platoni quoque illuſtrando operam tribueret ſuam. Eius enim *Rempublicam partitionibus et paraphraſi* explicuit, ſimilemque laborem *libris de Legibus et Epimenidi* praeſtitit, cui *Collectionem legum quinque rerumpublicarum veterum* *c* addidit. Neque tamen in Platone commentariis exponendo aeque felix fuiſſe viſus eſt, quam in Ariſtotele illuſtrando. NAVDAEO enim iudice *d*, libros de Republica Platonis, et Ariſtotelis diexodicis notis tabulis, diſtinctionibus explicare conatus nunquam neque ſibi, neque lectori ſuo ſatisfecit. Cui plus tribuimus, quam BOECLERO *e*, qui opera Montecatini omnia egregia eſſe pronunciat. Verona Lyceo dedit IOANNEM FRANCISCVM BVRANAM, qui ex diſciplina Hieronymi Bagolini prodiit, qui circa annum MDXXVII, in Bononienſi academia logicam Ariſtotelis, non ſine laude docuit, notus quoque editis *Libris tribus* SYRIANI PHILOXENI *in Metaphyſicam Ariſtotelis f.* Hoc praeceptore in dialecticis bellis egregie exercitatus Burana a ſtudioſa iuuentute poſtulatus eſt, qui ipſe ſe illis ducem in eo ſtudio praeberet; id quod ita praeſtitit, vt et iudicium probaret et eruditionem, et auditoribus mire ſatisfaceret. Collatis enim interpretum fere omnium, Graecorum, Latinorum, Arabum commentariis, luculentam *Explicationem in libros priorum Analyticorum* conſcripſit, quae perſpicaciſſima audit

Antonius Montecatinus.

Io. Franciſcus Burana.

x) Polyhiſt. lit. loc. cit.

y) AVGVSTIN. SVPERVS Apparat. hominum illuſtrium Ferraria ortorum p. 84.

z) BAYLE Dict. T. III art. Montecatin. p. 412.

a) Conf. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. I. c. II. p. 57. 58.

b) Ferrariae 1566. inde ſuppleri poteſt BAYLE l. c. not. B. qui annum editionis ſe ignorare ait.

c) Nempe Hippodamiae, Laconicae, Creticae, Carthaginenſis, Athenienſis, contra quas Ariſtoteles in poſteriori parte ſecundi politici diſputauit, vt habet titulus.

d) Bibliograph. Polit. p. 27.

e) Bibliograph. Crit. p. 605.

f) Venet. 1558. 4. Latine, Graece enim lucem non viderunt, conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 451.

audit MORHOFIO [g], vt ipse Burana optimus philosophus. Linguam autem Hebraeam ideo didicit, vt in illa Arabum interpretationes Aristotelis legere posset: qua iuuante ad vertendam Auerrois expositionem se accinxit. Exhibet titulum libri a Bagolino editi, eo quod Burana vltimam imponere manum labori huic non potuerit, P. BAYLE [h], qui hic est: *Aristotelis priora Resolutoria, Latino sermone donata et commentariis illustrata a Ioanne Francisco Burana, adiecta Auerrois expositione in eosdem libros, cum Expositione secundi secti de facultate propositionum, et Auerrois in eosdem compendio eodem Burana interprete cum Annotationibus Hieronymi Bagolini.* Non vero substitisse diligentiam Buranae in solis Analyticis prioribus illustrandis, sed simili eum industria etiam posteriora exposuisse, ex titulo *Tomi secundi operum Aristotelis, qui cum commentariis Auerrois prodierunt Venetiis anno M D LX* patet [i]. In eo enim continentur *Aristotelis posteriorum Analyticorum libri duo cum duplici textu, nempe veteri et Auerrois cum vtraque ibidem Auerrois Cordubensis expositione, media videlicet et magna, singulo cuique textui, accommodata, Ioanne Francisco Burana interprete.* Publico vero docendae philosophiae muneri diu vacans, illud tandem deposuit, reliquamque vitam artis medicae praxi consumsit [k]. Floruisse eum circa annum MDXXXIX asserunt KOENIGIVS [l] et COLOMESIVS [m]. Quod falsum esse monet desideratissimus WOLFIVS [n], eo quod commentarius in analytica priora primum Venetiis deinde Parisiis anno M D XXXIX lucem viderit, qui tamen posthumus a Bagolino, cui id negotii Burana moriens commendauerat, editus est. Verum nihil valere hanc rationem inde patet, quod ille liber Venetiis primo MDLXVII et deinde apud Wechelum Francofurti MD XCIII editus est: vnde typothetae vitio apud PET. BAYLE, quem secutus est Wolfius, positus annus M DXXXIX.

Ioannes Paulus Pernumia.

§. XXVIII. In Patauina Musarum sede vt diu multumque ad haec nostra tempora philosophia Aristotelica floruit, ita nunquam non illa celeberrimos eius nutriuit interpretes [o]. Inter eos ex medicorum ordine Aristoteli illustrando insudauit IOANNES PAVLVS PERNVMIA, is enim ea in vrbe edidit [p] *Aristotelis philosophiam naturalem ordine definitiuo traditam, quod a nullo hactenus est factum.* In eadem academia fortunarum suarum sedem posuit IOANNES COTTVNIVS, homo Graecus, ex Borrhoea Macedonius teste DEMETRIO PROCOPIO [q]. Is barbariem patriae pertaesus ad Italorum scholas diuertit, et phi-

Ioannes Cottunius.

g) Polyhist. T. II. L. I. c. II. § 7. p. 57.
h) Dict. T. I. art. Burana, not. A. p. 708.
i) Recensionem rari operis decem tomis constantis vide in Cat. Bibl. Aug. ab ELIA EBINGERO confectae p. 579.
k) AND. CHIOCCVS de Collegii Veronensis illustribus medicis et philologis Sect. III. c. 2. et 3. qui liber recusus est in Thesauro Italico T. IX. Vol. VIII.
l) Biblioth. p. 143.
m) Ital. Orient. p. 57.
n) Ad h. l. not. d.
o) Conferenda COMNENI PAPADOPOLI Historia Gymnasii Patauini.
p) 1570. fol. Vid. MORHOF. l. c. c. II. p. 57.
q) In Recensione succincta eruditorum Graecorum, superioris et recentioris seculi §. 25. Bukarestae ad FABRIC. transmissa, et inserta Bibl. Graec. Vol. XI. p. 779. 780. Ex ea suppleri potest MORHOF. Polyhist. l. c. c. 14. §. 68. p. 104.

philosophiae atque medicinae studio lucubrationes suas deuouit; eo successu, vt dignus haberetur, cui philosophiae publicae docendae munus Patauii concrederetur. Cui labori se parem non docendo modo iuuentutem, sed editis quoque commentariis in plerosque Aristotelis libros ostendit, inter quos laudatur *Commentarius in Aristotelis libros physicos editus Patauii MDCXLVIII*, in quo potissimum commendandum, quod praemiserit operi quaestiones prooemiales, quarum primaria est historica de Aristotele; in qua, teste MORHOFIO [r], omnia adducit in laudem Aristotelis argumenta, additis etiam iis, quae in contrarium afferuntur, ita vt non pauca obiecta a Francisco Patricio refutet; et ad minutias vsque in describendo Aristotele descendat. Aitque IDEM, diligentissimum eum esse auctorem in omnibus Aristotelicis examinandis, et cum Aristotelicis praecipue Graecis interpretibus conferendis. Sui autem apud Patauinos memoriam reliquit, condito suis sumtibus phrontisterio, siue schola Graecis erudiendis destinata, vt studiis inuigilare apud Italos natio domi a barbarie pressa posset. Cottunio Graeco alium ex ea gente iungimus paulo antiquorem IASONEM DE NORES, Cyprium, Nicosiae ex nobili familia prognatum, et praeter philosophiam artis quoque poëticae cognitione celeberrimum, et controuersia cum Guarino de pretio tragi-comoediarum, quae pastorales dici solent, notissimum [s]. Is tradendae philosophiae morali in academia Patauina destinatus, cui officio tredecim annis praefuit, illi humaniorum disciplinarum, maxime rhetoricae, in qua Aristotelem sibi ducem elegerat, elegantiam iunxit, scribendi quoque artificio et iucunditate, perspicuitate et ordine commendatissimus. Neque tamen ita Aristoteli addictum prodidit animum, vt non ad alios quoque veteris aeui philosophos diuerteret. Ex quo studio enata *Institutio in philosophiam Ciceronis*, liberque *de Constitutione partium humanae et ciuilis philosophiae*. Neque omittendum, quod quem vsum in theatro publico philosophia moralis habeat, quibus legibus in eo philosophandum sit, exposuerit. Obiit moerore confectus anno MDXC. Tertium his iungimus in academia Patauina philosophum Peripateticum FORTVNIVM LICETVM, doctorem philosophiae et medicinae celeberrimum; natus is V. non. Octobr. anno MDLXXVII, in ditione Genuensi, apud Bononienses artis salutaris et philosophiae praecepta didicit: auctisque animi diuitiis comparataque eruditione elegantissima, ad Pisanam et post hanc ad Patauinam cathedram vocatus est, quam magna quoque eruditionis fama ornauit, denatus anno MDLVI. Quanta is veneratione Aristotelem prosecutus sit, ex *Apologia pro Aristotele atheismi accusato*, cuius *Tomo Primo* mentio facta, intelligi potest. In eo enim, quem *de Pietate Aristotelis* conscripsit, libro, omnes ingenii doctrinaeque neruos intendit,

Iason de Nores.

Fortunius Licetus.

r) Polyhist. liter. loc. cit.

s) Vid. THVANVS ad an. 1590. TEISSIER. Elog. T. IV. p. 96. et quae BOCCALINVS ea de re differit Relat. ex Parnasso Cent. I. rel. 31.

dit, vt in Numinis venerationem cultumque non peccasse Aristotelem ostenderet. Quod qua veritate demonstrauerit, ex eo disci potest, quod suo loco de hoc argumento differuimus, quae heic non repetimus. Nos hoc vnum adiicimus, magnis eum rationum moliminibus egisse, vt librum *de Mundo* Aristoteli vindicaret: ita enim impietatem Peripateticam magis eludi posse probe pernoscebat. At inuita id veritate fieri, intelligent, qui ea expenderint, quae suo loco de hoc libro diximus. Scripsit multa vir πολύγραφος καὶ πολυμαθὴς, quorum historiam ipse libris duobus complexus est. Eorum scriptorum breuem dedit syllabum IOANNES HALLERVORDIVS [t], qui videndus. Inter ea memorari meretur, quod *Allegoriam Peripateticam* inscripsit, in quo libro de imagine et sepulchro Aristotelis, quod Venetiis esse traditur, agit, nec non aenigma celeberrimum: Aelia, Laelia, Crispis, ad rationes Aristotelicas exponit, librumque de mundo Aristoteli vindicat. In reliquis, quae ad naturalem philosophiam pertinent scriptis, a systemate quidem Peripatetico discedere religioni sibi duxit, ita tamen iis vsus est, ne quam tanto conatu defendebat ὀρθοδοξίαν Aristotelis, euerteret. Inde magna ei nominis celebritas enata est, quam vel ex vna GABRIELIS NAVDAEI epistola [u] discas, in qua eum summis in coelum extollit laudibus, aliisque philosophis praefert. TOMASSINVS [x] autem clarissimum nostri aeui philosophum vocat, consentiente RHODIO aliisque [y]. Quod quo sensu verum sit, ex dictis intelligere est. Plura qui desiderat ei adeundi sunt IMPERIALIS [z] et LAVR. CRASSVS [a].

Antonius Scaynus.

§. XXIX. Inter Brixienses ANTONIVS SCAYNVS, Salodiensis memorabilis est, cum ob illustratam Peripateticam philosophiam commentariis editis; tum ob paraphrases, Aristotelis fauente Minerua lingua vernacula confectas. Edidit enim *Commentarios in libros Metaphysicorum Aristotelis; Expositionem in libros octo Physicorum.* Tum *Paraphrasin in quatuor libros Aristotelis de Prima philosophia*, itemque *in libros de Anima*, cum *Annotationibus, et in Politica* [b]. Quibus Scayni laboribus multum adiutum fuisse Danielem Heinsium, in edenda *Paraphrasi in politica Aristotelis*, obseruat HENR. BOECLERVS [c]. Accurate enim docteque mentem Aristotelis perspexit, vnde CONRINGIO [d], aequissimo in his rebus iudici, *vir* audit *doctus et analytices peritus, iudicio graui et firmo perspicue et polite dicendi facultate pollens.* Inter Romanos autem in Peripatetica philosophia explananda industriam suam comprobauit ANTONIVS ROCCVS. Qui cum Romae, Perusiae, et Patauii disciplinarum cum humaniorum tum seueriorum fundamenta felici ingenio vsus posuisset, tandem Venetiis consedit, ibique philoso-

Antonius Roccus.

t) Bibliotheca curiosa p. 79.
u) pag. 51.
x) De Donar. p. 32.
y) Conf. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 609.
z) pag. 207.
a) Elog. P. I. p. 294.
b) Vid. KOENIG. Bibl. p. 730. MORHOF. T. II. L. II. c. 11. §. 27. p. 67.
c) loc. cit. p. 650. 651.
d) Conringiana p. 290.

losophiam medio seculo XVII docuit, reiectis vocationibus, quae ad alia loca eum inuitabant. Neque vero viua tantum voce philosophiae Aristotelicae pomoeria dilatare sategit, sed scriptis quoque, paulo quidem, vt talia solent, rarius occurrentibus. Edidit enim *in vniuersam Aristotelicam philosophiam Exercitationes*, itemque *Commentationes in libros logicos et physicos*, et *Tractatum* de *Immortalitate animae* [e], quem pro genio Aristotelicae philosophiae egregium esse iudicat MORHOFIVS [f]. Leguntur etiam eius *Exercitationes philosophicae* et alia, de quibus videndus PROSPER MANDOSIVS [g]. Eiusdem classis fuit FELIX ACCOROMBONVS Eugubinus, medicinae et philosophiae laude celebris. *Felix Accorombonus.* Is enim *Philosophiam moralem Aristotelis* commentario illustrauit, si BOECLERO [h] credendum, non contemnendo: et conscripta tractatione, cui titulum fecit: *Vera mens Aristotelis et dilucidissima in omnia Aristotelis opera explanatio*, lucem obscuris Stagiritae locis accendere sategit, librum quoque *de Controuersiis inter Platonicos, Aristotelicos et Galenum*, aliumque *de Fluxu et refluxu maris* vulgauit: in quibus omnibus se Aristoteli pollicem premere demonstrauit. Neque omittendus hoc loco inter Peripateticos, quos Italia protulit, FRANCISCVS ROBORTELLVS, Vtinensis, quamuis is locum potissimum haud postremum inter criticos seculi XVI mereatur. *Franciscus Robortellus.* Nam non humanitatis tantummodo literas et eloquentiam, sed philosophiam quoque, praecipue moralem, Pisis et postea Luccae, Venetiis, Bononiae, Patauiique docuit. De cuius in rem criticam et eruditionem veterem meritis, controuersiis, acerbitate, plagio, et quae alia ei obiici solent, quibus meruit a SCALIGERO [i] *bestia magnusque corrasor* dici, hoc loco dicendum non est, videndae autem censurae virorum doctorum parum Robortello honorificae, quas collegerunt THOMAS POPE-BLOVNT [k] et ANTONIVS TEISSIERIVS [l]. Tacemus eos, qui vitam eius tetigerunt, IMPERIALEM, FREHERVM, GHILINVM, GADDIVM, libris notissimis. Ideo vero nobis hoc loco memorandus est, quia Aristotelis ethicam versione Latina donauit, quam quoque operam eius rhetoricae praestitit, ipse melior orator quam philosophus. Simili fere ratione de Aristotele meruisse censendus est, qui inter oratores seculi XVI eximium occupauit locum, MARCVS ANTONIVS MVRETVS, de cuius vita, quia operibus eius praefixa est, tetigeruntque eam omnes fere, qui historiam eruditam recentioris aeui enarrauerunt, nihil afferimus. *Marcus Ant. Muretus.* Is vero *Commentarium in libros X Ethicorum et Oeconomicorum Aristotelis* edidit, quo ostendit, se non infeliciter versatum fuisse in Peripatetica doctrina, et plura dare potuisse, si tantum, quantum arti dicendi impendit, studium ei tribuisset.

e) Vid. KOENIG. p. 676. f) l. c. c. 14. p. 107.
g) Biblioth. Romana.
h) loc. cit. p. 605.
i) Scaligerana secunda p. 205.
k) pag. 693.
l) T. II. p. 291.

Hiſpani Peripatetici.

§. XXX. Non ſola vero Italia Peripateticorum philoſophorum ferax fuit, ſed praeter Germanos noſtros, quorum potiores in ſequentibus enarrabimus, Hiſpania quoque et Gallia eruditionem et diligentiam in eo diſciplinae genere demonſtrauit. Ex multis, facile apud SCHOTTVM et NIC. ANTONIVM inueniendis paucos dabimus, quos Peripateticae eruditionis celebritas extulit.

Io. Bapt. Monlorius.

Inter eos merito refertur IOANNES BAPTISTA MONLORIVS, Valentinus, canonicus Oriolanus. Is enim *Priores Analyticos Ariſtotelis libros* Latina veſte induit, et *Paraphraſi atque ſcholiis illuſtrauit*, librum quoque *de Entelechia et Vniuerſalibus* edidit, in qua partes eum Realium ſecutum eſſe ait MORHOFIVS [m].

Franciſcus Valleſius.

Superauit hunc Peripateticae doctrinae fama FRANCISCVS VALLESIVS, Couarrubianus, inter doctiſſimos ſuae gentis philoſophos numerandus. Is cum ſe magno ſtudio ſummoque ingenii acumine cognoſcendis philoſophiae et artis ſalutaris myſteriis tradidiſſet, praematura eruditione inclaruit. Iuuenis enim editis *Libris decem Controuerſiarum medicarum et philoſophicarum cum libello de locis manifeſte pugnantibus apud Galenum* [n], magnam gloriam conſecutus eſt, viamque ita ſibi parauit ad profeſſionem regiam in academia Complutenſi, quam ſpartam ſumma diligentia et inſolita ingenii claritate diu ornauit. Quibus eius in arte quoque medica meritis commotus Hiſpaniarum rex Philippus II, in aulam eum vocauit, ſalutisque atque capitis ſui tutelam ei permiſit, et cubiculo ſuo medicum praeeſſe magna gratia muneribusque auctum iuſſit. Teſtes autem eruditionis praeſtantiſſimae reliquit libros plurimos tum medicos, recenſitos a MERCKLINO [o], tum philoſophicos et philologicos, de quibus videndus NICOLAVS ANTONIVS [p]. Commentatus enim diligenter eſt in diuerſos libros Ariſtotelis, eo eruditorum iudicio, *vt doctrina quidem et excellenti iudicio praeditus viſus eſſet, at nonnunquam ſtructurae negligens, vt perſpicuitatis curam nullam propemodum habuiſſe cenſeretur.* De qua eius obſcuritate conqueritur, qui Patauii [q] commentarium eius in *Ariſtotelis librum IV Meteorologicorum* edidit, vir doctus. Maxime autem illuſtrem famam conſecutus eſt, *edita Philoſophia ſacra, ſiue de iis, quae ſcripta ſunt phyſice in libris ſacris*, ſaepius recuſa [r]. In qua cum lectionis copiam et interioris philoſophiae Peripateticae cognitionem plane ſingularem et excellentiſſimam demonſtrauiſſet, dici non poteſt, quanta virorum doctorum approbatione ſuſceptus ſit [s], ita vt *eum cum multiplici reconditiori doctrina refertum, magnoque iudicio confectum eſſe, et omnium pene induſtriam in eo argumento ſuperare* iudicauerint, *tum nihil in eo temere deſiderandum* cenſuerint, *niſi forte, quod opiniones ſuas non vbiuis ſatis idoneis argumentis muniat, et quaedam*

m) T. II. I. I. c. 14. p. 104.
n) Complut. 1564. Francof. 1582.
o) Linden. Renou. p. 302.
p) Bibl. Hiſp. T. I. p. 375.
q) 1591. 4.
r) Vtimur inter reculas noſtras editione Lugdun. 1588. 8. cui addita LEVINI LEMNII tr. de Plantis ſacris et FRANC. RVEI de Gemmis.
s) Conf. Io. FABRICIVS Hiſt. Biblioth. ſuae T. VI. p. 408.

dam miraculoſe facta nimis ad naturales cauſſas videatur reducere. Id quod tamen ſuppoſita, quam auctor ſequitur philoſophia Peripatetica intelligendum eſt; quam qui reiicit, ei quoque diſplicere ratiocinationes Valleſii neceſſe eſt. Laudandus tamen, quod Ariſtotelem in iis, quae ab eo perperam et contra veritatem Chriſtianam dicta ſunt, qualis eſt aeternitas mundi, deſeruerit, et rationibus oppugnauerit: et commendandus quoque ob hiſtoriae philoſophicae notitiam, quam paſſim ſpargit haud vulgarem. Tertium his iungimus inter Peripateticos Hiſpanos nobiliſſimum, PETRVM IOANNEM NVNNESIVM, itidem Valentinum natum anno MDXXIII. Qui eruditionis ſemina concepit Pariſiis a praeſtantiſſimis viris Audomaro Talaeo, Petro Ramo et Iacobo Carpentario. Quibus ducibus illam linguae Graecae atque Latinae et philoſophiae notitiam ſibi comparauit, vt domum reuocatus felici Minerua Ariſtotelicam philoſophiam explicare poſſet. Inde ad gymnaſium Caeſarauguſtanum ad explicandos Ariſtotelis libros poëticos et rhetoricos, et tum teſte MIRAEO *f* ad Barcinonenſes vocatus eſt, vt magno ſtipendio conductus Graecas Latinasque literas et eloquentiam doceret. Otii tamen literarii deſiderio captus, munere ſe abdicauit, vitaeque reliquum libris et amicis, cum eam caelibem ageret, tribuit, denatus anno MDCI, prope octogenarius. Praeter libros alios, quos enumerat ANTONIVS *ff*, ſcripſit etiam *de claris Peripateticis*, *Scholia in organon Ariſtotelis*, *de Curriculo philoſophiae Peripateticae*, ſiue *Inſtitutiones philoſophiae*, quibus orationem *de Obſcuritate Ariſtotelis eiusque cauſſis earumque remediis*, luculentam ſane et doctiſſimam iunxit, multamque hiſtoriae librorum Ariſtotelis lucem accendit. De quo tamen ſcripto eius, cui *Vitam Ariſtotelis* ab Ammonio editam adiecit, ſuo iam loco *Tomo primo* differuimus *t*. Ceterum cauendum, ne cum aliis Nunneſiis et praecipue Luſitano medico, cui itidem nomen Petro fuit, confundatur. Is et ipſe in mathematicis ſcientiis et Peripatetica philoſophia doctrinam ſuam probauit, et commentatione *in Ariſtotelis problemata* famam meruit. Docuit matheſin apud Conimbricenſes. Videndi de eo ANTONIVS *u*, TEISSIERIVS *v*, FREHERVS *w*, VOSSIVS *x*. Ex Gallis his vnum addimus Robertum Balfureum, gymnaſiarcham Burdegalenſem, inter celeberrimos Ariſtotelis interpretes a MORHOFIO *y* relatum. Edidit enim *Commentarios in libros Ariſtotelis ethicos, et logicos.*

Petrus Ioannes Nunneſius.

Robertus Balfureus.

§. XXXI. Hactenus fuſe ſatis, quae fata genuina diſciplina Peripatetica inter eruditos habuerit, qui Romanae eccleſiae ſymbola receperunt, explicuimus: iam eius quoque fortuna enarranda eſt, qua in illis coetibus gauiſa eſt, qui ab iſta eccleſia receſſum facere coacti, proteſtantium nomi-

Germania inter Proteſtantes Ariſtoteli deuota.

f) De Script. ſeculi XVI. c. 133.
ff) T. II. p. 163.
t) Conf. Io. FABR. Hiſt. Bibl. ſuae T. VI. p. 4.
u) loc. cit.
v) T. III. p. 132.
w) pag. 1275.
x) De Scient. Mathem. c. 36. §. 17. p. 191.
y) loc. c. p. 104.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne appellari solent. In quibus cum viri iudicii acumine et eruditionis laude summam famam consecuti vixerint, qui omnem fere aetatem in literis, et praecipue in philosophiae studio consumserunt, factum inde est, vt non minus momentum Peripateticae philosophiae historia inter eos habeat. Quamuis autem longe lateque in Europae regionibus restitutae lucis purioris semina sparsa sint, nostra tamen Germania, potissimam partem recepit. In qua cum in scholis publicis passim magni ingenii philosophi viuerent, Peripatetica quoque schola in hac maxime gente suos assecias habuit, et benignis satis fatis diu vsa est: Ast concussa quoque haud semel tandemque a Cartesiana, longe vero fortius ab eclectica philosophia eiecta est. Quam tamen Aristotelis fortunam in academiis Protestantium accurate describere, quamuis nobilis ea recentioris historiae philosophicae pars sit, a nostro instituto satis remotum est, et plenam tractationem postulat, qua hucusque caremus z). Nobis scopi nostri memoribus sufficit, generali narratione summam rei tradere, eosque viros doctos recensere, qui Peripateticae disciplinae laude inclyti, hanc sectam prae aliis nobilitauerunt.

Fortuna Aristotelis in academiis Protestantium.

§. XXXII. Quanto feruore Scholasticam philosophiam, ipsumque Aristotelem reiecerint, eumque in ecclesia tolerandum non esse statuerint, qui emendandis doctrinae euangelicae corruptelis manus admouerunt, et quam acris imprimis Lutheri de philosophia Aristotelis censura fuerit, supra luculentis testimoniis expositimus; ex quibus constat, Stagiritam hostem iudicatum esse diuinae veritatis, et philosophiam eius diuinae inimicam gratiae. Quamuis autem summus initio esset, quo in Aristotelem insurgere coepit virorum magnorum ardor, eo quod damna intelligerent, quae in ecclesiam inuexerat superstitiosa eius veneratio; remisit tamen, vt plerumque fieri solet, aliquantulum, et paulo mitior de philosophia Peripatetica opinio caput coepit extollere. Nec id sine ratione factum est, vel vertiginoso quodam spiritu impulsore accidit, sed rationes non contemnendae in causa fuerunt. Nempe philosophiae luce opus esse, viri optimi atque praestantissimo iudicio praediti et per se intelligebant, et ex rerum enascentium circumstantiis et ecclesiae fatis haud prorsus laetis colligebant. Cum enim pseudo-philosophiam vehementer reprehendissent, et Aristotelem a Scholasticis in throno collocatum ob tyrannidem, quae in

z) Plenam de fortuna Aristotelis in academiis Protestantium tractationem adhuc desideramus, eo quod non minoris momenti vicissitudines, quam in Parisienſi, Aristoteles in illis habuit, vt ex iis intelligi potest, quae suo loco de controuersiis Ramaeis, Sennertianis, Hofmannianis, Pufendorfianis, Thomasianis &c. dicentur. Dedit quidem de Varia fortuna Aristotelis in academiis Protestantium dissertationem, eamque libro Io. Launoii de Fortuna Aristotelis in academia Parisiensi praefixit B. Herm. ab Elswich, quae docta satis et iucunda est, sed nec plena, nec accurata, et primae magis lineae, quam iusta tractatio. Quae cum suscipi nequeat, nisi acta academiarum publica consulantur, vt factum a Launoio, optamus merito, vt in academiis Protestantium viri docti, quibus ad ea aditus pater, similem laborem susciplant, et ex ipsis academiarum tabulariis arcanam Peripateticae philosophiae historiam depromant. Id quod hodie minori difficultate fieri potest, quam olim, cum desierint esse, quibus sacrosancta visa est Aristotelis auctoritas, et quibus piaculum creditum, talia vulgari.

in ipsas inde conscientias enata fuit, deiicere constituissent, prorepsit genus hominum enthusiasticum et ineptum, nec literis satis cultum, nec animi probitate subactum, quod cum miris ingenii somniis miscere omnia, et imaginationis vagabundae nugis replere ecclesiam coepisset, philosophiam, ex qua insanienti ferociae repagula oriri posse intelligebat, prorsus reiecit, abusumque est iusto zelo virorum piorum, qui pseudo-philosophiam improbabant. Huius generis homines ipsa, ex qua lumen euangelii spargi coepit, Witteberga protulit, in quo agro cum tritico amara! ista succreuere lolia, Anabaptistis in id connitentibus, vt ducibus hominibus audacissimis sacra et profana miscerent omnia, ipsamque doctrinae puritatem turbarent, et philosophiam simul ob eum, quem sibi praefixerant scopum, eiicerent. Testis eius rei est PHILIPPVS CAMERARIVS *, qui de ista hominum turba, quae in agro Vitebergensi duce Ciconia quodam, eiusmodi errores, qui Aabaptisticorum nomine innotuere disseminauit, sermonem faciens ita inter alia differit: *Ciconia iste se imperitum literarum esse penitus simulabat, vel erat etiam fortasse, praedicans sibi diuinitus scientiam salutarem contingere. Esse tamen studebant hi in numero suo literatos aliquos. Sed et ipsi se magistros doctoresue homines habuisse habereue affirmabant nullos, et copiam scientiae sibi diuinitus conferri vniuersae. In quibus vnus erat Marcus nomine praecipuus, qui sibi a Deo hoc esse datum tributumque eximium gloriabatur, vt ipse interpretando et explicando scripta sacrarum literarum excelleret. Hic gentis, quae putabatur incolere eam regionem, quam veteres Narisci appellarint, ciuis, aliquando fuerat discipulus scholae Wittebergensis, sed studia deseruerat, siue antea, seu postea quam in illam societatem peruenisset. Nam et hoc erat in legibus illorum, ne quis in otio liberali bonis artibus et literis operam daret: neu aliunde scientiae cognitionisque facultatem quaereret, quam ab aeterna Dei benignitate, cui adiumentis humanis nihil esset opus. Nam cur colere aut venerari aliquis vellet Deum? si non dignaretur eo beneficio, quod datum esset patribus et sanctis viris prisco seculo. Quin etiam par commercium colloquiumque esse a Deo flagitandum, et vrgentibus tribui.* Haec cum ad perditissimum enthusiasmum incrustandum disseminarentur, probe viderunt, qui pro puritate nuper demum tantis laboribus restituta, sarte tecteque conseruanda custodiendaque vigilabant, philosophiae opera retundendos esse insanorum hominum proteruiam et furorem, nec pati se posse, vt quod contra abusum philosophiae, falsumque sapientiae genus dixissent, ad euertendam ipsam rationem eiusque vsum sobrium raperetur. De ponendis itaque declarandisque iustis philosophiae limitibus acrius, quam antea, cogitare coeperunt; praecipue cum inter ipsos literarum professores essent, qui artium et scientiarum iugulum suo fanaticismo

*) In Vita Melanchthonis p. m. 48.

ciſmo peterent [a]. Et hoc quidem pacto factum, vt de philoſophiae ſtudiis iuuentuti tradendis ſerio diſpiceretur, et ipſe Lutherus de iis mitius ſentiret, et rectum philoſophiae vſum non modo minime improbaret, ſed et ſollicitis rationibus commendaret. Qua de re cum luculenta teſtimonia attulerint clariſſimi viri CHR. AVG. HEVMANNVS [b] et HERMANNVS ELSWICHIVS [c], breuitatis cauſſa ad eos lectorem amandamus. Maxime vero Philippus Melanchthon ad id plurimum contulit, vt philoſophia in Proteſtantium Scholis diligenter coleretur. Quamuis enim acriter ſatis in Scholaſticam philoſophiam et inſanos Ariſtotelis admiratores eſſet inuectus, ipſam tamen, quam cum elegantiori literatura docebat philoſophiam ſeruandam eſſe, et temperandum Lutheri de ea iudicium, quod verbis magis acerbioribus pſeudo-theologiae, quam ſententia verae philoſophiae oppoſitum eſſe nouerat, ſtatuit [d]. Qua in re ſi eclecticam philoſophandi rationem commendauiſſet, omne ſane tuliſſet punctum. Quam, vt erat iudicio acri et ingenio optimo, non ita ignorauit, vt eam ſectariae poſtponere debuiſſet. Cordate enim, et vt decet philoſophum, ſcribit: *Nolo philoſophando quemquam nugari, ita enim fit, vt communis etiam ſenſus tandem obliuiſcare; ſed ex optimis optima ſelige, eaque cum ad ſcientiam naturae, tum ad mores formandos attinentia* [e]. Verum ad alia diuertit vir optimus, ratus ſufficere, ſi Peripateticam philoſophiam a ſordibus, quibus eam Scholaſtica natio inquinauerat, purgatam reſtituiſſet. Qua in re potiſſimum magnorum virorum, qui in Italia cum honeſtis diſciplinis reliquis philoſophiam Peripateticam natiuo vultui redditam reſuſcitauerant, exemplo confirmatus eſt, quibus Iacobi Fabri ſimilia apud Gallos molientis conatus iungebat ſibi imitandos. Erant inter hos ſummos viros nonnulli, quibus cariſſima erat Melanchthonis amicitia, inter quos imprimis Petrus Bembus et Iacobus Sadoletus cardinales fuere, qui elegantiam ingenii atque eruditionis in Philippo admirabantur. Qui cum valde Ariſtotelicae doctrinae patrocinarentur, admodum Melanchthonem in amore Peripateticae philoſophiae eorum confirmauit auctoritas. Neque id magnopere mirandum eſſe, quilibet intelliget, qui paulo attentius Philippum conſideraverit. Cui licet animus contigiſſet placidus et ingenium optimum, quod moderate de ſe ſentiebat, procul tamen ab ea mentis fortitudine aberat, quae ad eiiciendam philoſophiam ſectariam requirebatur; quaque ſola de ſectae praeiudicio triumphare licet. Quem animi characterem vt in tota vita demonſtrauit, vt infra pluribus dicetur, ita in cauſſa ille quoque fuit, vt ſectariam philoſophiam repudiare nollet, quod tamen, vt erat ingenti animo, Lutherus voluerat. Hoc itaque pacto animo affectus cum philoſophiae culturam commendare, ſuoque

a) Id feciſſe Andream Bodenſtein Carlſtadium, notum eſt ex Annalibus huius temporis. Et hunc hiſtrionem intelligit MELANCHTHON Or. de Doctr. phyſ. T. IV. p. 256. qui ſimulatione religionis vituperat naturae inquiſitionem.

b) Act. philoſ. Vol. II. p. 590.

c) loc. cit. §. 10. p. 29. §. 15. p. 42.

d) Diximus ea de re, quantum ſatis, ſupra c. 1 §. 11.

e) Declamat. T. I. p. 507.

ſuoque exemplo et doctrina iuuare vellet, in Ariſtotele ſubſtitit, quem, qui pulchrius philoſophari cupiebant, eo tempore ſequi conſtituerant, rati ordine, ſoliditate et ſubtilitate Ariſtotelem reliquos Graecis philoſophis praeferendum eſſe. Eandem ſententiam tenuit Philippus, qui ſufficere putauit, ſi retento Ariſtotele ex aliis demum quaedam corpori doctrinae philoſophicae aſſuerentur. Ait enim: *Eruditam philoſophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullae res ſubſunt* f. *Ideo dixi, vnum quoddam philoſophiae genus eligendum eſſe, quod quam minimum habeat ſophiſtices, et iuſtam methodum retineat. Talis eſt Ariſtotelis doctrina.* Quibus cum adieciſſet, cur reliquas ſectas repudiandas cenſeret, addit: *Quanquam is, qui ducem Ariſtotelem praecipue ſequitur, et vnam quandam ſimplicem ac minime ſophiſticam doctrinam expetit, interdum et ab aliis auctoribus aliquid ſumere poteſt.* His rationibus inductus Melanchthon cum reuiuiſcentis literaturae florem in ſchola Leucorea promouere vehementer vellet, philoſophiae quoque ſtudium Saxoniae electori, auctoritate ea, qua apud optimum principem literis egregie fauentem vtebatur, vehementer commendauit, cumque is eſſe crederetur, cuius omnium maxime iudicio ea in re fidendum eſſet, illa philoſophandi et literas quoque elegantiores iungendi ratio facile obtinuit, et iuſſu principis introducta, et tota encyclopaedia ad veterum mentem reſtituta, philoſophiae inſeruire iuſſa eſt. Qua de re eleganter differit in oratione *de Studiis corrigendis* g, et quo potiſſimum pacto veteris eruditionis elegantia haurienda ſit, prolixe exponit: gratulatur autem adoleſcentibus ſuam fe„licitatem, „quibus benignitate optimi ac ſapientiſſimi principis Friderici „ducis Saxoniae electoris contigerit longe ſaluberrimis erudiri: fontesque „artium ex optimis auctoribus haurire. Hunc enim natiuum ac ſincerum „Ariſtotelem, illum Quintilianum rhetorem, hunc Plinium tantum non „ditiſſimum paediae ac veluti quoddam copicae ornu, illum argutias, ſed „arte temperatas docere. &c.“ Ita vero adornato in academia Vitebergenſi philoſophiae ſtudio ad hunc bonarum artium mercatum inuitante Philippicae eruditionis, quae vbique per ora virorum doctorum volitabat, fama adcurrebat, quicquid literis elegantioribus et philoſophiae ſe dare conſtituerat. Vt non inepte iudicauerint, qui Philippum communem Germaniae praeceptorem vocarunt, eo quod omnem fere Germaniam artium praeceptis imbuiſſet. Ita vero Melanchthonis cura Ariſtotelica philoſophia a priſtinis ſordibus purgata et tum nitori ſuo reſtituta, tum humanitatis ſtudiis ornata commendataque inualuit. Quae initia eius valde laeta non minor excepit felicitas, et incrementa haud parua ſecuta ſunt. Nam ex Italia atque Britannia, vbi iam tum melior literatura et imprimis ſincerus Peripateticiſmus inualuerat, viri nonnulli docti religionis emendationem et libertatem ſecuti ad Germanos diſceſſerant,

f) De Vtil. philoſ. l. c. p. 336.

g) Declamat. T. I. p. 505.

rant, qui cum eruditione sua tandem obtinuissent, vt publicis docendi muneribus admouerentur, eam, quam domi didicerant, philosophiam Peripateticam iuuentuti tradiderunt. Quod imprimis in Lipsiensi Schola factum ab Alexandro Alesio Scoto et Simone Simonio [h]. Basileensis autem academia cum Erasmi praesentia ornaretur, eiusque commendatione valde vigeret vetus eruditio et imprimis philosophia Peripatetica, publicatis Iacobi Fabri lucubrationibus, alia, quam prius, facie innotesceret, ex hoc etiam equo Traiano milites progressi sunt, qui in arena philosophica pro Aristotele strenue dimicarunt. Nihil tamen magis Melanchthonianam de eo philosophiae genere sententiam Germanis persuasit, et Peripateticos in coetibus Protestantium disseminauit, quam quod ex disciplina tanti viri innumeri viri prodierint, qui scholis et academiis praefecti, secundum praeceptoris mentem encyclopaediam omnem finxerunt, ipsamque adeo Peripateticam doctrinam barbariei Scholasticae surrogarunt. Qui cum discipulos itidem suos eundem in modum formauissent, et ex hac disciplina sua nouas propagines emisissent, Philippica philosophandi consuetudine omnis Germania repleta est. Inter quos Philippi discipulos imprimis Valentinus Friedlandus Trocendorfius [i], vir clarissimus et doctrinae elegantia commendatissimus, memorari meretur, qui cum singulari dexteritate et felicitate innumeros adolescentium animos, magistri sui praeceptis atque methodo vsus, formauisset, latissime inter Germanos eam disciplinarum seriem propagauit, et Peripatetica quoque doctrina hoc pacto aucta et vbique locorum introducta est. Et ex his fontibus magna illa fortuna fluxit, qua Aristoteles in scholas Protestantium post reformationem vsus est, cum suscepta religionis emendatione parum spei illi superfuisset. Nam ab illo tempore in omnibus Protestantium scholis a discipulis Philippi Peripatetica philosophia iuuentuti literarum studia aemulanti tradita est, tanto feruore, vt principum, sua gratia academias nutrientium statutis philosophantibus Aristoteles dux praefigeretur. Id quod in Vitebergensi schola factum esse, ex allato supra Melanchthonis loco patet: et sequentibus quoque annis cum in ea, tum in Lipsiensi academia obtigit, cuius testis esse potest professio organi Aristotelici hodienum ibi durans, euincuntque philosophi inter Peripateticos haud vulgaris nominis, qui in ista academia docuerunt, inter quos seculo XVI, praeter Camerarium, Simon Simonius enituit, de quo postea dicendum, ex cuius disciplina praeter multos alios Ioannes Neldelius vir acutissimus prodiit. Sed et Victorinus Strigelius eodem in loco Philippica methodo vsus in arena Peripatetica militauit [k]. Anno vero MDLXXVII, Lipsiensi et Vitebergensi academiae, teste ELSWICHIO [l] ab Augusto Saxoniae electore constitutio praescripta, qua secundus professor philosophiae,

h) De Simonio dicetur infra, de Alexandro Alesio consulendus IAC. THOMASIVS Orat. p. 300. et BAYLE Dict. T. I. art. Alesius.

i) Vid. MELANCHTHON. Declamat. T. V. et ex eo ADAMI Vit. philos. p.m. 167.

k) Videnda elegans et doctissima tractatio de Vita Victorini Strigelii, quam plaudentibus Musis edidit V. C. HIERONYMVS MERZIVS, collega nobis coniunctissimus.

l) §. 16. p. 64.

sophiae, nec non septimus, octauus et nonus, solius Aristotelis libros in dialecticis, physicis, ethicis, et politicis praelegere, disputationes item et examina promouendorum ex Aristotelis libris instituere iubentur. Idem in Rostochiensi academia factum, quam Melanchthonis studio et opera reformatam dederant principes Mecklenburgici. Teste enim DAVIDE CHYTRAEO [m], ea in schola, contemta, quae tum inualescere coeperat, Ramaea dialectica, sola Aristotelis placita ex libris Philippi publice explicata sunt, nec passi sunt doctores publici alium praelegi. De qua philosophiae Aristotelicae institutione in academia Rostochiensi cum prolixius ipse MELANCHTHON differuerit [n], lectorem ipsum ad eum ablegamus. Similia de Tubingensi, Argentoratensi, Altdorfina aliisque inter Protestantes scholis facile dici possent, si id iam ageremus, et non ex iis, quae dicenda restant, pateret, simile vbique institutum obtinuisse.

§. XXXIII. Ex eo tempore magnus vbique inter Germanos in academiis Protestantium prouentus fuit, cathedrae enim philosophicae, si Rami affeclas excipias, vsque ad Pufendorfii tempora et finem seculi XVII, a Peripateticis vbique occupatae sunt. Catalogum itaque Peripateticorum inter Protestantes molienti, series tantum philosophorum qui logicam, physicam, metaphysicam, ethicam, politicam tradiderunt, notanda est, hi enim omnes coeco plerumque obsequio Aristotelem secuti sunt. In quo saxo voluendo tempus perdere nec institutum nostrum poscit, nec historiae philosophicae interest. Fuerunt tamen in ingenti horum hominum numero nonnulli, quos singularis Peripateticae philosophiae peritia communi reliquorum turbae exemit. Inclaruit enim in Lipsiensi academia praeter Ioachimum Camerarium, de quo supra dictum, et Simonem Simonium, de quo infra pluribus agemus, Ioannes Neldelius, Glogauio-Silesius, qui cum Simonem Simonium praeceptorem habuisset, iudicii acumine et eruditionis copia eum superauisse CONRINGIO [o] visus est. Admotusque publicae, quae organon Aristotelis interpretatur, cathedrae, in collegio principum maiori locum inuenit, et academiae decemuir factus est, denatus prid. id. Febr. anno MDCXII. Reliquit autem specimen doctrinae Peripateticae *Institutiones de vsu organi Aristotelici in disciplinis omnibus*, recusas curante HENRICO CRELLIO [p], cum praefatione CONRINGII ob vtilitatem apud Helmstadienses [q], laudatas BOECLERO [r], MORHOFIO [s], CONRINGIO, aliis *. In Rostochiensi schola Philippi institutione vsus Peripateticam philosophiam docuit Dauid Chytraeus, vt ex eius epistola, ad quam supra prouocauimus constat, in qua Matthaeo Dressero, contemtum Aristotelis et dialecticae Philippeae obiicienti respondet. Cum enim iussu du-

Peripatetici nonnulli in Protestantium academiis.

Lipsiae.

Rostochii.

m) Epist. p. 824.
n) Declamat. T. IV. p. 176.
o) loc. citando.
p) Vitam eius enarrat Programma acad. Lipsi. in eius funere, quod exhibet WITTENIVS, Memor. philos. Dec. I. p. 53. q) 1666. 4.
r) Bibliograph. crit. p. 884.
s) Polyhist. T. II. L. I. c. II. §. 28. p. 62.
*) ELSWICH de Fort. Arist. in Acad. Protest. §. 17. p. 15.

cis Mecklenburgici, Arnoldus Burenius, reſtaurator elegantiorum inter Roſtochienſes, literarum [f], Vitebergam eſſet profectus, vt de emendandis eius ſcholae ſtudiis cum Melanchthone ageret, Chytraeum potiſſimum ob elegantiſſimam eruditionem ille commendauit [ff]. Qui illuc traductus, Philippi methodum in tradenda philoſophia, cum rationali tum morali ſecutus eſt, vt ex libro eius *de Studio dialectices inſtituendo* conſtat. Plurimum viri celeberrimi commendatio ad ſtabiliendum eo in loco Peripateticiſmum valuit, cum et eruditiſſimus eſſet, et magna eius in iſtis oris celebraretur auctoritas; de quibus tamen rebus eius cum limites nobis poſiti non patiantur differere, conſulenda eſt poſt ADAMI, REIMMANNI, TEISSIERII [f] diligentiam, erudita *Dauidis Chytraei* vita edita
Tubingae. a V. C. OTTONE FRIDERICO SCHVZIO [t]. In Tubingenſi academia ab ipſis reſtauratarum literarum initiis Peripatetica philoſophia docta eſt. Maxime vero Iacobus Schegkius celeberrimum inter ſui temporis Ariſtotelicos nomen conſecutus eſt, quam non Tubingae modo verum etiam in aliis omnibus Germaniae ſcholis obſeruari ac vigere, ſuo tempore ſcripſit, qui ad pedes Schegkii conſedit, et ab eo philoſophiam didicit
Argentorati. NICOLAVS TAVRELLVS [u]. Argentoratenſis ſchola de tradenda Peripatetica philoſophia aliquando ita ſollicita fuit, vt cum idoneo profeſſore philoſophiae deſtitueretur, duo theologi Petrus Martyr et Hieronymus Zanchius Ariſtotelem interpretari iuberentur [w]. Quod munus eo lubentius clariſſimi viri ſuſceperunt, quo magis Ariſtotelem habuerunt ſummopere carum, eumque familiariſſimum eſſe debere veris theologis crediderunt. Sed et alii poſtea viri docti in tradendo hoc philoſophiae genere in hac academia induſtriam comprobauerunt ſuam. Inter quos praeter Ioannem Sturmium [x], veteris literaturae apud Argentoratenſes ἐργοδιώκτην, et Andream Planerum, celebritatem nominis conſecutus eſt Io. Ludouicus Hauenreuterus, Argentoratenſis, filius Sebaldi poliatri [y]. Is enim Sturmium Planerumque praeceptores nactus tanta felicitate in philoſophiae ſtadio praeeunte Ariſtotele, cucurrit, Hieronymi Wolfii quoque apud Auguſtanos contubernio et conuerſatione vſus, a quo celeberrimo viro, intimiorem Graecae linguae notitiam et τὰ μαθήματα didicit, vt licet XXIV annorum iuuenis dignus tamen haberetur, cui publica phyſices et logices Ariſtotelicae interpretatio crederetur, praemiſſa, quae ei iniungebatur explicatione libri *de Mundo* [z], quod ideo factum eſſe videtur, quoniam ἐρδοδοξωτέρως in eo libro Ariſtotelem fuiſſe philoſophatum, plerique ſibi perſuaderent. Ita explicatis Ariſtotelis libris celebrioribus, et inter eos quoque,

f) Vid. AEPINVS de Meritis Weſtphalorum in academia Roſtoch. p. 37 ſeqq. ROLLII Memor. philoſ. p. 105.

ff) Vid. ADAMI Vit. Theol. p. m. 681. REIMMANN. Hiſt. lit. Germ. P. IV. p. 573.

t) Elog. T. IV. p. 402.

u) Supplementum Hiſt. eccleſ. imprimis Lutheranae ad dimidium ſeculum XVI quatuor libris expoſitae, quibus continetur vita Dauidis Chytraei Hamb. 1728. 8.

v) Praef. Alp. caeſarum.

w) Vid. ELSWICH l. c. p. 45.

x) Vitam eius exhibet ADAM. Vit. phil. p. m. 243.

y) IDEM Vit. Medic. p. 311.

z) STVRMIVS apud ADAM. l. c. p. 443. conf. FECHT Schediaſm. p. 488.

quoque, qui *de Motu animalium* differit, dum eruditionem rerumque naturalium scientiam probat, ita doctrinae pulchritudinem commendat, vt artem quoque salutarem tradere iuberetur. Quam ita docuit, vt philosophiam tamen minime negligeret, testeque, cui vitae eius historiam debemus MELCHIORE ADAMO *, *non lacunas putridas, sed limpidos fontes consectaretur, et quae docebat, ex auctoribus optimis, imprimis ex Aristotele depromeret, ratus neminem philosophorum doctiorem nec acutiorem, nec in rebus inueniendis diiudicandisque acriorem esse.* Inde laudes in illum congestae, et fauentissima de Hauenreutero iudicia. Inter quae eminet, quod effigiei eius adscriptum est:

Orbis amor, morum exemplar, pietatis ocellus,
Alter Aristoteles, alter et Hippocrates †.

Tanto autem amore philosophiam Peripateticam prosecutus est, vt, cum professoris medicinae et poliatri munus nimis viro ob strenuos et continuos labores languenti graue esset, ideoque professionem medicam relinqueret, exorari se tamen a conuentu academico passus sit, vt denuo physicam, metaphysicam et logicam explicaret. Metaphysicam tamen professionem accrescente aetate deposuit, physicam ad vitae finem retinuit, quem subiit denatus anno MDCXVIII, anno aetatis septuagesimo. Quantus autem in Peripatetica philosophia vir fuerit, ex scriptis eius philosophicis intelligitur. Nam praeter Zabarellae opera, quae iunctim edi curauit, elucubrauit *Analysin libri primi posteriorum Analyticorum*, et *libri quinti Ethicorum Aristotelis*, tractatum *de Anima*, et *Compendium physices*. Platonicam tamen philosophiam commentando quoque attigit scripta *Explicatione ciuitatis Platonicae ex libro decimo de Republica.* In Ienensi academia praeter alios Aristotelis interpretes Victorinus Strigelius nostras, quem Lipsiae quoque philosophiam docuisse supra innuimus, nomen sibi fecit celeberrimum. Cum enim Graecam linguam satis calleret, et veteri literatura esset instructissimus, Melanchthonis autem παιδείας τρόπον accurate referret, Aristotelem ita consuluit, et iuuentuti philosophiam discenti consulendi auctor fuit, vt ad hunc vnum praeceptorem, interprete tamen Philippo, cuncta referrentur [a]. Quo consilio ipse quoque libros ethicos Aristotelis interpretatus est, editos a IACOBO MONAVIO [b], vel potius [c], quod recte obseruatum B. FABRICIO [d], paraphrasi illustrauit. Vt vero Peripateticam philosophiam latius propagaret, quam Erfurti quoque docuit, *Philippi dialecticam* et *Ethicam hypomnematibus* explicuit. Accepisse Victorinum hunc Aristotelis amorem a praeceptore Ioanne Zinckio, medico et philosopho haud incelebri, cum Friburgi ab eius ore penderet, ab eoque tam alte pectori infixum esse, vt eradicari non potuerit, affert Cl. REIMMANNVS [e]. Quod facile quidem *Ienae.*

*) loc. cit. †) Ibid.
a) Vid. IAC. MONAVIVS loc. citando.
b) Lipsi. 1572. 8.
c) Id fassus est in praefatione editor.
d) Bibl. Graec. Vol. II. p. 154.
e) Hist. lit. German. P. IV. p. 448.

dem concedi poteſt, multo tamen magis ad commendandum Strigelio Ariſtotelem contuliſſe videtur Melanchthonis auctoritas [f], quae tanta Victorino viſa eſt, vt eius opiniones mordicus tueretur, nec calamitates inde ſibi obortas metueret. Nec deſunt, qui Ariſtotelicae philoſophiae amorem nimium et praepoſtorum errores illi ſyncretiſticos perſuaſiſſe contendunt, quod an verum ſit, in hiſtoria viri, in actis ſeculi XVI eccleſiaſticis ſatis memorabili excutiendum eſt, nec huc pertinet, videndus autem, qui praeclare de hoc ciue noſtro meruit doctiſſimus HIERONYMVS MERZIVS [ff] noſter. Illud hic ſufficit, certum eſſe, et teſtimonio virorum doctorum comprobatum, Strigelium inter nominatiſſimos Peripateticae philoſophiae doctores ſuo tempore connumeratum fuiſſe [g]. Eandem Ariſtoteles fortunam inter Noricos habuit, nutriuit enim Altdorfina academia Peripateticos magnae famae et ſummae eruditionis, Philippum Scherbium, Nicolaum Taurellum, Erneſtum Sonerum, Michaëlem Piccartum. Qui cum primum fere locum inter philoſophos Ariſtotelicos recentiori aetate tuiti ſint, paulo curatius infra enarrandi ſunt. Id vero hoc loco non praetereundum, ipſam hanc ſcholam, quae gymnaſii formam initio habuit, conſtitutionem ſuam, auctoritate magiſtratus Norimbergenſis accepiſſe a viris ſummis Ioachimo Camerario, Eobano Heſſo et Philippo Melanchthone, translatamque Altdorfium primum rectorem accepiſſe Valentinum Erythraeum γνώριμον Melanchthonis [h], hocque pacto Melanchthoniana quoque docendi diſcendique ratione ipſam philoſophiam Peripateticam ibi inualuiſſe. Quin et primus theologiae profeſſor eo in loco Ioannes Piccardus, Michaëlis parens, totus a Melanchthonis ore pependit [i], quo euenit, vt Philippica methodus in ea ſchola diu obtineret. Idem in Helmſtadienſi accidit, quam Dauid Chytraeus ordinauit; quem Philippi diſcipulum fuiſſe ſupra diximus. Hinc celeberrimi Lycei recentioris doctores nonnulli eo in loco fuere, quos in ſequentibus commodiore loco enarrabimus. Nec aliter in Regiomontana academia euenit. Eius enim condendae auctor cum Alberto marchioni Brandenburgico duci Pruſſiae fuerit Georgius Sabinus [k], gener Melanchthonis, anno MDXLIV, ipſeque per triennium primus ei rector praefuerit, intelligitur inde ſine negotio Peripateticiſmum Melanchthonianum ea in ſchola praeualuiſſe. Et haec quidem Ariſtotelis fortuna fuit in academiis Proteſtantium, qui inuariatam confeſſionem ſequuntur, rudi penicillo adumbrata. In reformatorum, qui vocantur, ſcholis idem obtinuit, et Ariſtoteles, vbique, etiam

Altdorfii.

Helmſtadii.

Regiomonti.

f) Innuit id MONAVIVS l. c. ſcribens de Strigelio: „Quinimmo Ariſtotelica illa, quae de „aliorum non contemnendis interpretationibus „alibi didiciſſet, libenter tamen ſeſe ſua ſponte obliuioni tradidiſſe confirmabat, vbi primum Vitebergam venit, et hanc Atticam apiculam, vel potius Muſarum luſciniam (Melanchthonem) audire ipſi contigit.

ff) loc. cit.

g) Vid. BAYLE Dict. T. IV. art. Strigelius p. 284. ADAM. Vit. theol. p. 417. TEISSIER. Elog. T. II. p. 315.

h) Vid. SIG. IAC. APINI Vitae prof. philoſ. Altdorf. init.

i) B. ZELTNERVS Vit. prof. theol. Altdorf. p. 2. et praef.

k) Vid. ALBINVS in Vita Sabini edita iterum et obſeruationibus aucta a THEOD. CRVSIO p. 134.

etiam extra Germaniam triumphauit. Exemplo esse potest Geneua, Aristotelicae philosophiae tenacissima; in qua cum nonnemo ex professoribus Derodoni adhaereret, grauissimae inde inter doctores publicos controuersiae exortae sunt [l]. Maxime vero id patuit, postquam ad Geneuenses Ramus peruenit; obtenturus professorium munus, nisi obstitisset Theodorus Beza, qui ea de re ad ipsum Ramum scripsit [m]: *Certum ac constitutum esse Geneuensibus, in ipsis tradendis logicis et in ceteris explicandis disciplinis ab Aristotelis sententia ne tantillum quidem deflectere.* Inde factum, vt Arminio, studiorum causa Geneuae haerenti et philosophiam secundum Ramum, tradenti, facultas legendi ex instigatione cuiusdam Peripatetici adimeretur, teste GER. BRANTIO [n]. Inter Anglos, quamuis tempus esset, quo Platonica philosophia apud nonnullos triumphauit, apud plerosque tamen Aristoteles obtinuit, summoque loco est habitus. Relinquimus vero CHRISTOPHORI ARNOLDI fidei ad Georgium Richterum scribentis [o]: *In priuatis collegiorum Oxonienſium disputatiunculis tantam Aristotelis auctoritatem esse, vt si quis opponendo eam infringere, aut vilipendere sustineat, solidos quinque Anglicanos, hoc est, Philippicum vnum soluere omnino teneatur.* Inter Batauos autem quanta Aristotelis existimatio fuerit, Cartesianae controuersiae satis loquuntur, cum non minus aegre tulerint eius regionis philosophi contemni Aristotelem, quam, quod credebant vim inferri scripturae. Immo inter ipsa Remonstrantium certamina ferre non potuere, qui contrarias partes defendebant, contemni ab Arminii sequacibus philosophiam Peripateticam [p], ipsique insanias multas et impietates imputari.

Geneuae.

In Anglia.

In Hollandia.

§. XXXXIV. Diu durauit inter Protestantes ista Aristotelis veneratio, cuius ratio vt haud vna fuit, ita potissimum ad Melanchthonis methodum referenda causa est, quae effecit, vt qui eum sequebantur, pulchrius et melius philosophari posse neminem, crederent. Illa qualis fuerit, non alienum erit, praeeunte IACOBO MONAVIO [q] hoc loco exponere. Nempe ea non inhaerebat singulis verbis, neque immorabatur explicationi omnium argutiarum atque λεπτολογημάτων, quae in Aristotele reperiuntur, sed explicabat res meliores et magis etiam necessarias, quam sunt alicubi Aristotelicae, et quod est potissimum vsum atque fructum illarum artium atque doctrinarum demonstrabat luculenter. His vero adaptatum genus orationis, vt Lucianus nominat, εὐπόριστον, hoc est proprium, disertum, planum, perspicuum, significantissimum, ad omnem docendi rationem maxime accommodatum et directum. Accedebat ordo ac via docendi Ariadnaeo filo μεθοδικώτερος; tum delectus ex immensis artium atque auctorum cumulis, quo ea solum depascerentur et seligerentur,

Caussae Peripateticismi inualescentis methodus Philippica.

l) Conf. ELSWICH l. c. p. 71.
m) Epist. 34. p. 153. ep. 36. p. 156.
n) In Vita Arminii p. 12. Sectabatur autem Arminius Ramum, obseruante Cel. MOSH. ad h. l.
o) Epist. Richter. p. 487.
p) Vid. Epistolae Remonstrantium editae a LIMBORCHIO p. 959.
q) loc. cit.

tur, quae et maxime essent necessaria, et quae vsum potissimum ad rationem dicendi scribendique et ad formandum mores atque iudicium haberent, reiectis ac repudiatis iis omnibus, quae nec scienti prosunt, nec ignoranti nocent, et in quibus non est, vt ille ait, κρέιττον παιδεύεσθαι. Tria haec in scriptis doctrinaque Philippi omni inueniri, illi, qui eius γνήσιον παίδευμα esse cupiebant, conueniebant; ratique ideo sunt, philosophiam, quae est καθ' ἀλήθειαν, soli Philippo tribuendam esse, et qui hunc ex alto despicerent, eique nescio qualia praeferrent, illis comparabant, qui inuentis frugibus glandes tamen comedere mallent. Hac vero opinione ducti a Philippo recedere eiusque semitam relinquere piaculum credebant, eiusque scriptis velut coelesti rore cicadae victitare alique gaudebant r. Et hinc genus illud disciplinae Melanchthonianum ortum est, quod diu floruit, quodque praecipui post Philippum viri docti propagauerunt, qui vna eademque omnes via incesserunt. Et floruisset illa methodus philosophiae Philippica, (hoc enim nomine insigniebatur) diutius, si intra philosophiae limites subsistere, nec ad theologiam nouo labore nouisque opinionibus eam illi transferre maluissent. Ita enim magnam illam inuidiam declinauissent, quae in eorum postea capita conflata est, et tandem disciplinam Melanchthonianam extinxit. Nec silendum, quamuis praeclara multa tradidisse in scientiis philosophicis Melanchthonem, et de philosophia quoque optime meritum esse faterentur, quotquot literas nouerant, illisque pretium statuebant, displicuisse tamen multis hanc Philippicam secundum Aristotelem philosophandi methodum. Licet enim ex affectu fraterno, quo se inuicem excipiebant discipuli Philippi, fieri, vt vnus alterum saepe numero ad verbum exscriberet, censebant, qui aequius iudicabant, eo quod id commune videbatur reliquisse praeceptor, quod ex eius eruditionis haereditate ad vniuersos peruenisset, quo nomine a plagii crimine forte possunt absolui s; recte tamen illis exprobrabatur, nihil ita noui, nihil quod philosophiae studium magnopere iuuaret, afferri, et intra compendiorum cancellos nimis angustos et repetita magistri placita et verba consisti, contemni vero et iuuentutis manibus eripi Aristotelem, viamque parari ad eruditionem quandam leuem et superficiariam. Qua de re acerbe conquestus est, magni nominis theologus POLYCARPVS LYSERVS, cuius verba digna sunt, quae hic legantur t. *Porro*, ita scribit, *vt quoque de Aristotelis philosophorum principis scriptis quid sentiam, scribam, tantum abest, vt illa ex scholis releganda esse statuam, vt nunquam dissimulauerim, me mirari, qui fiat, quod in hac schola nostra* (Vitebergae) *quae cum reliquarum in Germania academiarum quasi communis mater esse statuatur, tantum com-*

r) Memorabilia sunt, quae de auctoritate, quam dialectica Philippi obtinuit, narrat MATTHESIVS in Vita Lutheri, conc. VII. p. m. 65. Similia de eius ethica traduntur Declamat. T.VI. Quae Hospitalius de ea iudicauerit, recenset WENDLERVS de Meritis theolog. sec. XVI. §. 21. p. 109.

s) Conf. IAC. THOMAS. de Plagio §. 199. p. 82.

t) Collect. Epist. Lyser. p. 287.

compendia philoſophiae ſtudioſae iuuentuti praelegantur, Ariſtotelis autem libri prorſus negligantur. Ego omnino iudico, D. Philippum initio compendia philoſophiae ſaltem pro incipientibus ſcripſiſſe, idque non hoc conſilio feciſſe, vt Ariſtotelis libros ex manibus diſcentium prorſus excuteret: ſed tantum vt eosdem ad legendum ipſum Ariſtotelem introduceret, et quaſi viam ſterneret. Iam vero, dum Ariſtoteles ab aliis negligitur, ego inſimulor, quaſi eius libros ceu inutiles reiiciam: cum ſtatuam, ex dignitate academiarum eſſe, vt in illis iuniores a compendiis ad fontes ipſos ducantur. Recte ratiocinatum eſſe Lyſerum, agnoſcet, quisquis Melanchthonis commentationes de ſtudiis inſtituendis, corrigendis, tradendis, legerit, et imprimis expenderit, quae pro Ariſtotele dixit in oratione *de Vtilitate philoſophiae.* Aſt aliter eueniſſe, mirandum quidem haud eſt, et facile fuit relictis fontibus Ariſtotelicis riuulos Melanchthonianos conſulere. Illi enim et obſcuritate ſua et difficultate tum dicendi generis tum argumenti iuuenes, et forte nonnullos profeſſorum deterrebant, hi facilitate ſua et diſcendi compendio valde ſe commendabant. Quo aliter fieri non potuit, quam vt deſertis ſcriptis Ariſtotelis ſola iſta ſumma conſuleretur, quam de praecipuis philoſophiae partibus ſecundum Ariſtotelem Melanchthon reliquerat.

§. XXXV. Ita vero, quod ſurrexit et laeta incrementa habuit, Ariſtotelicae philoſophiae ſtudium ſua mole impeditum eſt, et a genuina facie deflexit. Cuius cauſſa partim in infauſtas lites, quae Philippi aſſeclas cum aduerſariis diu commiſerunt, partim in ſtudium metaphyſices Scholaſticae, quod exoriente ſeculo XVII inualeſcere coepit, coniicienda eſt. Et innumeris quidem controuerſiis Synergiſticis, Adiaphoriſticis, Crypto-Caluinianis et ſimilibus, cumulatam fuiſſe Proteſtantium eccleſiam in Germania nemini ignotum eſt, qui annales eccleſiaſticos huius temporis conſuluit. Eae autem cum Philippicae philoſophiae praeſidio gererentur, valde autem iſtis diſſidiis ſuſpecta fieret et exoſa Philippi factio, odium illud in ipſam philoſophiam, cuius ſe cuſtodem iactabat, conuerſum, magnaque inde ipſum Ariſtotelem inuidia ſecuta eſt. De quibus enim diſceptabatur, eorum praeſidium haud raro petebant ex philoſophicis notionibus; quo factum, vt qui Philippi partibus infenſi eſſent, acriter in ipſum Ariſtotelem, quin immo in ipſam philoſophiam inueherentur. Cuius luculentum exemplum adduxit ELSWICHIVS [t] ex diſputatione Vinarienſi, in qua de ἐλτιώσει humanae naturae beneficio vnionis hypoſtaticae facta inter alia diſputabatur. In ea qui, prout vocabant, Crypto Caluinianiſmum fouere credebantur, cum ad argutias philoſophicas confugiſſent, ita pars altera in philoſophiam Ariſtotelicam exacerbata eſt, vt MATTHIAS FLACIVS ILLYRICVS [u], Ariſtotelicam philoſophiam inter iſta φιλοσοφέ-

Cauſſae decreſcentis Peripateticiſmi genuini inter Proteſtantes.

Philippica methodus ſuſpecta.

t) loc. c. §. 20. p. 52.

u) Clau. Script. P. I. p. 893. v Philoſophia.

σοφέμενα referret, a quibus Christiano cauendum esse D. Paulus monuit; isque reuocato in memoriam Lutheri de Aristotele iudicio eum plane insuper habendum esse contenderet, eo feruoris delapsus, vt Dei cognitionem ex philosophia naturaeue lumine haberi non posse statueret. Tacemus alia, in quae virum cetera doctum, sed praeferuidum et nimis acrem disputatorem praecipitem egit philosophiae, qua ad corrumpendam doctrinae puritatem abuti Philippi sequaces credebat, odium. Alia Flacianae partis loca, digna quae legantur, attulit, laudatus ELSWICHIVS [v] ex quibus constat, metuisse eam, ne eo redeat studium theologicum, vt pro Paulo Aristoteles sit concionaturus, quod antea inter Scholasticos erat factum.

Altera causa corruptae inter Protestantes Peripateticae philosophiae, metaphysica Scholastica renocata.

§. XXXVI. Altera, quam inquinati inter Protestantes Peripateticismi genuini causam esse diximus, ratio quaerenda est in studio logicae et metaphysicae, siue ontologiae Scholasticae, quae oriente seculo decimo septimo caput iterum efferre, et ex puluere se attollere coepit. Quamuis enim ipsa doctrinarum theologicarum systemata seculo XVI inter Protestantes, maxime Germanos, edita, inter quae reliqua eruditione, perspicuitate et celebritate facile vincunt PHILIPPI MELANCHTHONIS et MARTINI CHEMNITII *Loci theologici*, non careant disciplinae philosophicae colore atque methodo, simplicitas tamen quaedam vtriusque libri, qui in plerisque academiis sacrae doctrinae studiosis praelegebantur, obstitit, quo minus sartago ista Scholastica posset immisceri. Aliter autem factum ineunte seculo XVII. Tum enim citatis pedibus, qui philosophiam ancillari theologiae cupiebant, ad id concurrebant, vt argutias logicae et metaphysicae Scholasticae postliminio reuocarent. Quod quidem non ideo euenit, ac si stramineam hanc sapientiam esse, et recte a reformatoribus et praecipue a Luthero, graui Scholasticae philosophiae aduersario, damnatam eiectamque ignorauissent: ast coëgit eos, qui haec suscipiebant, necessitas quaedam, ex seculi, quod tum exoriebatur fatali deriuanda periodo. Nempe illud totum vt in orbe ciuili bellicosum, ita in ecclesia orbeque literario eristicum et contentione plenum fuisse, neminem latet, qui acta ecclesiastica huius aetatis vel per transennam inspexerit. Cum itaque cum aduersariis congrediendum saepiuscule theologis Protestantium esset, qui Scholasticae philosophiae telis ex logicae et metaphysicae pharetris desumtis acriter pugnabant; ad idem armorum genus descendendum, et ea ipsa Scholastica philosophia ad retundendos hostes frangendamque insultantis suae armaturae praesidio hostis aciem in partes vocanda fuit. Quod non potuit non plerorumque, qui philosophiae studium sibi ad iuuandam theologiam elegerant, diligentiam excitare, vt hanc iterum Venerem deperirent. Cuius infausti sideris, quod philosophiam afflauit occasionem dedisse colloquium Ratisbonense, recte viris doctis obseruatum est [w]. Cum enim in eo auctoritate iussuque principum Pala-

v) loc. cit. p. 53. w) BVDDEVS Isagog. L. I. c. 4. §. 28 p. 244. ELSWICH. l. c. §. 26. p. 75.

Palatinorum inter Iesuitas et Protestantes apud Sueuos theologos disputatio inita esset, illorumque πρόμαχοι Andreas Tannerus, Balthasar Hagerus, et qui reliquos eruditione et acumine vincebat Iacobus Gretserus, cum vim facere aciei Protestantium et aperto Marte eorum phalanges retundere non possent, ad caligines metaphysicas et Stratagemata philosophiae Scholasticae confugerent; terminis et distinctiunculis ex hoc armamentario velut telis acutis desumtis hostium copias reprimere contenderunt. Id vero magno, si fatendum quod res est, damno cum theologiae, tum philosophiae factum est. Cum enim infaustarum litium exempla vbique iactarentur, theologiae simplicitas, quae satis hactenus casta floruerat, et in prosternendis aduersariis aliis telis vsa erat, tota corrupta, ipsaque doctrina diuinior polemica facta, et controuersiarum subtilitatibus repleta est; sic vt eae fere solae tum in ecclesia personarent. Cum autem istae lites theologicae cum Neo-Scholasticis reciprocarentur, qui suismet armis erant aggrediendi, vehementer se commendauit Scholasticae philosophiae, praecipue in rationali et transcendentali parte, studium x. Quod excolentes et iuuentuti tradentes, qui isto seculo in academiis philosophiae docendae praeerant, in id vires contulere suas, vt Aristotelem a Scholasticis suum factum suisque acuminibus armatum in cathedris philosophicis explicarent: quo pacto veram Lycei faciem corrumpi, et a natiuo Aristotele recedere oportebat. Et hinc magna illa moles librorum logicorum et metaphysicorum orta est, quos seculo decimo septimo protrusere academiae Protestantium; in quibus licet nec ingenii acies, nec eruditio desideraretur, Aristotelis nomen autem vbique praefigeretur, vera tamen Peripateticae philosophiae effigies non apparuit.

§. XXXVII. Nec tamen omnes hoc seculo a veteri Peripati disciplina ita deficiebant, sed passim in cathedris philosophicis personabat doctrina virorum eruditissimorum, natiuam Aristotelis philosophiam explicantium: qui vel peregrinorum Peripateticorum libros iuuentuti exponebant, vel suas interpretationes ei tradebant. Prius Nunnesii, Vallesii, Caesalpini, Riccoboni, Portii aliorumque ex recentiori Lyceo virorum celeberrimorum scriptis accidit, quae apud Germanos eo fine recusa sunt, vt hermathenae instar iuuentuti literis operam nauanti essent, et praelectionibus philosophorum illustrari possent. Posterius exemplo philosophorum Altdorfinorum, Helmstadiensium, Giessensium, Ienensium, Lipsiensium, aliarumque academiarum apud Germanos professorum luce meridiana clarius patet. In his enim Musarum sedibus omnibus non deerant viri acuti, docti, graues qui posthabito Scholastico sterquilinio, puriorem Aristotelis philosophiam excolerent. Et ex Altdorfina quidem Schola inter celebriores Peripateticos Scherbium, Taurellum, Sonerum et Piccartum infra nominatim producemus. Laudandumque nobilis Heliconis

Seruatus tamen passim Peripateticismus purior seculo XVII.

Altdorfii

x) Conf. Cel. Chr. Matthaevs Pfaffivs Diss. Anti-Baeliana I.

istius studium, quod iuncta philologiae veteris cura Aristotelem natiuum tradere summopere contendit. Cuius caussa potissimum quaerenda est in optimo consilio generosissimorum eius scholae curatorum, qui illustris senatus Norici auctoritate vsi, cum ipsi literas essent egregie docti, viros, quos nancisci poterant, eruditissimos illuc, vocarunt, quorum imprimis Graecae linguae et historiae philosophicae nota esset et celebrata cognitio. Quae ansae duae cum sint natiuae philosophiae Aristotelicae cognoscendae, mirum non est, talibus professoribus cathedrae philosophicae praefectis iisque statoribus et vindicibus Lycei existentibus philosophiam eius a barbarie, quae recrudescere incipiebat, Scholastica affertam fuisse. Multa quoque ad hunc Lycei florem eo in loco conseruandum contulit Philippi Scherbii diligentia, qui cum Rami factioni latissime tum inter Germanos grassanti se opponeret, ad ipsa Stagiritae oracula Graeca confugere, et καινοφιλίας prurientis seculi veteris literaturae Peripateticae elegantiam opponere coactus est. Cui cum accederet prudentissima illustris reipublicae Norimbergensis constitutio, Musis Altdorfinis data, quae arcto inter se nexu matheſin cum philosophia coniungebat; hoc ipso philosophis eius scholae medium suppeditatum est felicissimum, gnauiter in lectione Aristotelis proficiendi, quae hominem postulat mathematicarum disciplinarum haud imperitum. Quibus caussis conspirantibus factum est, vt philosophiae Altdorfinae in Lyceo recentiori non minor fama esset, atque Conimbricensis, Complutensis vel Burgundiacae inter Scholasticos, eiusque magna esset inter Aristotelicos huius aetatis γνῶσις auctoritas. Quae commouit Io. Paulum Felwingerum eius scholae professorem, vt collectionem scriptorum philosophicorum a Scherbio, Sonero et Piccarto editorum, philosophiae Altdorfinae titulo vulgaret [y]. Ex hac vero schola postea, velut ex equo Troiano alii quoque praeter istam trigam, philosophi Peripatetici genuinae notae multaeque eruditionis prodierunt, de quorum meritis et doctrina cum praeclare differuerint, doctissimi viri et praematuro fato nostrae amicitiae erepti, G. G. Zeltnerus [z] et Sig. Iac. Apinus *, lectorem ad eos, ne nimii hoc loco simus, dimittimus. Quorum ille quoque de hac philosophiae Altdorfinae celebritate ** vna cum illustri Io. Iac. Bayero [a], Noricis Musis et orbi medico intolerabili vulnere subtracto est legendus. Durauit hic Peripateticae philosophiae cultus flosque egregius vsque ad tempora Cartesii, et discipulorum eius, quibus aliam et iucundiorem planioremque viam naturalis et rationalis philosophiae ineuntibus philosophia quoque Altdorfina a tramite Peripatetico coepit deflectere, obstetricante in physica parte celeberrimo

y) Titulus libri est: Philosophia Altdorfina, i. e. Phil. Scherbii, Ern. Soneri et Michaëlis Piccarti Disputationes philosophicae in vnum fasciculum collectae, et ab interitu vindicatae Norimb. 1644. 4. vid. Morhof. Polyhist. T. II. L. I. c. 11. p. 62. Io. Fabric. Hist. Bibl. suae T. V. p. 509.

z) Vit. Theol. Altdorf. p. 344.

*) Vit. philos. Altdorfiens.

**) In Hist. Crypto-Socinismi Altdorf. P. I. §. 10. p. 24 seq.

a) Pec. progr. de Praestantia philosophiae Altdorfinae quod praefixum est Apini Vitis phil. Altdorf.

rimo Ioanne Christophoro Sturmio, in logica, Georgio Paulo Roetenbeccio, quorum ille *Physicam eclecticam* hic *Logicam, in qua veterum iuxta ac recentiorum philosophorum vtilissima praecepta colliguntur*, edidit [b], eamque philosophantibus viam patefecit, quae hodie ad eclecticae philosophiae cognitionem studiosa iuuentus successu ducitur feliciſſimo.

§. XXXVIII. Post Altdorfinam Iulia potiſſimum academia, quae Helmstadii floret, operam nauauit diligentiſſimam, ne Aristotelicae philosophiae decora Scholasticis sordibus iterum conspurcarentur. Viros enim aluit in eo doctrinae genere exercitatiſſimos, et de Lyceo praeclare meritos. Inter quos cum singulari fama excelluerint Cornelius Martini, Conradus Horneius et Hermannus Conringius, infra paulo planiorem inter celeberrimos Protestantium Peripateticos eorum dabimus notitiam. Praeter hos non contemnendum in hoc philosophandi genere nomen consecuti sunt Samuel Rachelius, Henricus Iulius Scheurlius, Henningus Arniſaeus, Andreas Froelingius, Henricus Rixnerus RACHELII diligentiam in philosophia veteri probauit praeter *Commentarium in Officia Ciceronis* [c] bonae frugis plenum, *Introductio in philosophiam moralem* quam subiunxit libris ARISTOTELIS [d] *de Moribus ad Nicomachum* Graece et Latine a se editis. Qui si iudice CLERICO [e] paulo minus Aristotelis auctoritati detuliſſet, vtiliſſimum iuris naturalis apud veteres interpretem se praestitiſſet. In eodem moralis doctrinae Peripateticae stadio cucurrit HENRICVS IVLIVS SCHEVRLIVS, cuius *Bibliographia moralis* [f] valde laudari solet [g], et historiam ethices literariam haud ineleganter enarrat. Is imprimis ob penitiorem cum Peripateticae tum Stoicae philosophiae notitiam clariſſimorum virorum laudes meruit, de quibus praeter eius biographiam quam exhibet HENR. WITTENIVS [h], videndi quos laudat IOANNES FABRICIVS [i]. HENNINGVM ARNISAEVM, Halberstadienſem, Francofurtum ad Viadrum primo habuit moralium professorem, tum Iulia academia medicinae professorem, tandem in aulam Christiani IV, Danorum regis, ad tuendam regis salutem translatum, viuisque ereptum anno MDCXXXV. Is praeter scripta eruditiſſima; quibus artis salutaris incrementa praeclare adiuuit enarrata MERCKLINO [k] et P. BAYLE [l], imprimis de metaphysica et Politica philosophiae Peripateticae parte egregie meruit. Illius specimen est edita ab ARNISAEO *Epitome metaphysicae, in qua fundamenta Aristotelica ordine scientifico explicantur, et postea controuersiae pleraeque suis deciduntur argumentis &c. omnia composita ad mentem Aristotelis, et ex*

Helmſtadii.

b) Lipſ. 1709. 8. conf. ARINVS l.c. p. 284 ſq. qui eius vitam enarrat.
c) Francof. 1668. 8. Amſtelod. 1686. 8.
d) Helmſtad. 1660. 4.
e) Bibl. vniuerſ. T. V. p. 266. conf. BVDD. Iſag. L. I. c. 4. §. 31. p. 308. STOLLIVS Hiſt. Lit. P. III. c. 1. §. 38. p. 602.
f) Helmſt. 1648. 1686.
g) BVDDEVS l. c. p. 292.
h) Memor. philoſ. Dec. V. T. II. p. 106.
i) Hiſt. Bibl. ſuae T. V. p. 289. conf. REIMM. Hiſt. Lit. Germ. P. I. p. 64. 301.
k) Linden. Renou. P. I. p. 390.
l) Dict. T. I. Art. Arniſaeus not. D. p. 349.

antiquitate Graeca ac Latina longe secus, quam ab hodiernis nonnullis nouatoribus fieri solet, deducta [m]: huius, scripta politica plaudentibus viris doctis edita, inter quae eminet *Doctrina politica in genuinam methodum, quae est Aristotelis, reducta, et ex probatissimis quibusque philosophis, oratoribus, iurisconsultis, historicis breuiter comportata et explicata* [n]. In quo libro architectonicam partem philosophiae practicae Aristotelis illustrare aggressus multa lectionis copia ex optimis scriptoribus congessit, quicquid lucem accendere argumento aptum nouerat. Vnde multa in eo libro inueniuntur, quae in aliis ipsoque Aristotele frustra inquiras. Eiusdem commatis sunt tractatus *de Auctoritate principum in populum semper inuiolabili, librique tres de iure maiestatis*, itemque *Relectiones politicae*, de quibus eius laboribus eruditis praeter P. Bayle * consulendus Cl. Reimmannvs [p]. Ita vero meruit, insigni elogiorum cumulo ornari, quae cum collegerit Magirvs [q] ipse adeundus est. Instituto nostro vnus sufficit Conringivs [r], cui audit *aeternum Iuliae Academiae et incomparabile ornamentum; in quo fuit ingenium capacissimum, industria sine exemplo, iudicium nullo non Aristotelicae philosophiae aliarumque artium genere subactum.* Displicent tamen Morhofio [s] controuersiae iuridicae nimis large admixtae, Boecleroque * visum, laudandum quidem Arnisaeum, eo quod Aristotelem sequatur: eum tamen antiquos scriptores non satis interdum intellexisse, et contra sensum ipsorum laudasse. Addimus censuris virorum doctorum, nimiam Arnisaeum affectare lectionis copiam et locorum veterum et recentiorum congestione lectorem obruere magis, quam iuuare. Quae licet ita se habeant, fatendum tamen, plurima eum doctissime annotauisse, mereturque veniam, si interdum lapsus fuerit, cum a medicae professionis viro ista scripta sint [ff]. Ceterum hoc quoque nomine in historia philosophiae recentioris memorari meretur, quia principiis monarchomachorum se fortiter opposuit, Althusium frigidam iis suffundentem aggressus [ff]. In rationali vero parte philosophiam Peripateticam Helmstadii illustrauit Andreas Froelingivs, Calenbergensis, logices professor et posthaec superintendens generalis. Aristotelis *Organon* enim Graece et Latine cum prolegomenis haud contemnendis edidit, artemque rationalem tractatu *de natura Logicae* explanauit, denatus anno MDCXXXII [t]. Tandem his iungendus quoque est Henricvs Rixnervs, Helmstadiensis, philosophus et theologus eius scholae celeberrimus, qui post cathedram metaphysicam et physicam, et dein theologicam Halberstadiensibus ecclesiis praesul datus est. De cuius vita videndus Henric. Pippingivs [u]

Is

m) Reimm. l. c. P. IV. p. 17.
n) Saepissime prodiit. Vtimur editione Francof. 1606. 4.
o) loc. cit.
p) l. c. P. V. p. 153 seqq. Boecler. Bibliogr. crit. p. 656.
q) Eponymol. crit. p. 82.
r DeC P p. 14.
s) Polyhist. T. III. L. I. §. 3. p. 491.
*) l. c. p. 658.
f) Conf. Bartholinvs de Script. Danor. p. 52. Moller ad h. l. p. 233.
ff) In libro de Auctorit. principum.
t) Vid. Witte in Diario ad h. a.
u) In Memor. theolog. p. 459.

Is hoc loco memorandus est ob tractatum *de Vsu metaphysicae*. Ex eo enim discitur, qua ratione isto tempore metaphysicam ad reliquas scientias diuinas pariter et humanas transferendam esse iudicauerint, qui γνησίως Peripateticam philosophiam excolere sibi sunt visi [v]. Et hac quidem ratione per integrum fere seculum XVII Aristotelica philosophia in celeberrimo hoc Athenaeo exculta est, donec circa finem eius, et initia seculi XVIII, eclectica philosophia caput extolleret. Cuius initia si non primus excepit, certe insigniter promouit B. Io. Andreas Schmidivs, cuius venerabilis theologi memoriam bonis omnibus carissimam debitis laudibus celebrauit [w], dignus in eius cathedra successor, illustris Io. Lavrentivs Moshemivs, in quo habet alma Iulia, quicquid veteris recentiorisque philosophiae mysteriis, quidquid sanctioris disciplinae arcanis recludendis aptum, iuuandisque literis natum est.

§. XXXIX. Non difficilis labor esset, eundo per omnes Germanorum academias, similem Peripateticorum catalogum colligere, si id ageremus, vt specialem Lycei recentioris historiam conderemus. Verum nec id institutum nostrum postulat, nec dicenda quae restant, permittunt, quae cum innumera adhuc sint, breues nos esse iubent. Damus tantum speciminis loco ex Giessensi schola Christophorum Scheiblerum, ex Leucorea, Iacobum Martini, ex Ienensi Danielem Stahlium et Paulum Sleuogtium. Qui enim Regiomontanam academiam ornauerunt Christianus Dreierus et Melchior Zeidlerus, quique praestantissimo eruditionis cultu Lipsiae eminuit, Iacobum Thomasium, sequenti Peripateticorum inter Protestantes insignium indici seruamus. CHRISTOPHORI SCHEIBLERI vitam ex Frehero [x], Schvmachero [y], Rollio [z], aliisque discs. Waldecciae ciuis fuit Arnsfeldiae natus, Giessaeque tanta felicitate studiis innutritus, vt sumta anno aetatis XVIII magisterii laurea, anno XXI professioni Graecae linguae, et paulo post metaphysicae logicaeque praeficeretur; addita postea professione physicae extraordinaria et munere paedagogiarchae. Anno MDCXXIV autem Giessa ad Tremonenses vocatus scholae isti et ecclesiae vsque ad mortem, neglectis, quae eum Brunsuicum, Hamburgum Amstelodamum aliaque ad loca inuitabant, vocationibus praefuit, humani corporis vinculis solutus anno MDCLIII [a]. Is ea aetate qua philosophiae adhuc elementa alii discere solent, librum *de Anima*, aliumque *sententiarum siue axiomatum* edidit, et plurimis disputationibus, tribus centuriis editis, philosophiam Peripateticam maxima industria illustrauit; conscripsit quoque *Synopsin philosophiae*. Praeclarum autem in historia Peripateticismi recentioris nomen meruit

Giessae.

v) Addi his ex Helmstadiensibus potest Ioannes a Felde ICtus, libro de Interpretatione et Commentario in Grotium de I. B. et P. celebris, vid. Magirvs l. c. p. 344. Stollivs Hist. lit. P. III. c. 2. p. 631.

w) In Oratione in obitum B. abbatis habita.

x) In Theatr. p. 511.

y) In Conspectu Waldecciae literatae.

z) De DD. academicis ad gymnasia vel scholarum gubernacula vocatis.

a) Perperam 1623. ponitur apud Reimm. Hist. lit. Germ. P. IV. p. 23.

meruit *Opere logico de natura et praedicamentis logicae et de argumentis logicae;* itemque altero *Opere Metaphyſico* [b]. Non immunis quidem eſt a ſubtilitatibus Scholaſticorum, quas explorare eum iubebat temporis genius, quem ſupra prodidimus. Laudandus autem in eo eſt, quod ipſum tamen Ariſtotelem conſuluerit, illorumque παρερμηνείας ex hoc fonte interdum ſanauerit. Inde factum, vt viuus adhuc inter ſummos et in toto orbe celeberrimos philoſophos numeraretur [c], tantique fierent opera eius philoſophica, vt apud Oxonienſes [d] eo adhuc viuo recuderentur. Plura de eius in diſciplinam quoque ſacram meritis dabit HEN. WITTENIVS [e]. In Witebergenſi ſchola qualis ſeculo XVII philoſophia Peripatetica fuerit ex IACOBI MARTINI libris diſci poteſt. Is enim non theologicam modo cathedram, ſed et philoſophicam magna diligentia ornauit. Vitam eius cum exhibeat WITTENIVS [f], eius enarratione lector detinendus haud eſt. Sufficit annotaſſe, ſtudiorum elementa hauſiſſe eum Helmſtadii a Daniele Hofmanno, contra cuius tamen partes, de quibus ſuo loco dicendum, acriter poſtea dimicauit. Deinde in Leucorea academia Polycarpi Lyſeri beneuolentia vſum, reportatis honoribus philoſophicis Nordam ad gymnaſii rectoratum vocatum, cum Ieſuitis tanta acrimonia diſputaſſe, vt inuidiae et inſidiarum declinandarum cauſſa Friſia excedere et ad Witebergenſes cum ſuis dilabi cogeretur: eo vero loco tribuiſſe illi diuinam pronoëam ſatis lauta, et digna eius eruditione munera, nempe logices et metaphyſices profeſſionem, et poſt XXI annos theologiae quoque tradendae vocationem, inque eo axiomate ſummis illius loci honoribus perfunctum anno MDCXLIX ſatis conceſſiſſe. Ex his enim ſatis conſtat, inter ſummos illius aetatis viros et doctores ſuos Leucoreum Pindum eum numerauiſſe. Quanta vero ſedulitate et contentione Peripateticam philoſophiam illuſtrauerit, omnium clariſſime ex indice ſcriptorum eius intelligitur [ff], Vt taceamus enim diſputationes, orationes aliasque ſcriptiones Ariſtotelicas minores [g], et *Logicam per dichotomias* explicuit [h], et *Syſtema logicum Keckermanni* illuſtrauit [i], et *Inſtitutiones logicas* edidit [k]; tum *Exercitationes de anima* vulgauit, et *Collegium phyſicum ſpeciale*, publicauit. [l] Maxime vero metaphyſicam, *Exercitationum libris duobus* [m]; *Partitionibus metaphyſicis*, *Quaeſtionibus metaphyſicis* [n] adiuuit. Nec in his aliisque ad firmanda tantum placita et opiniones Ariſtotelis reſpexit, ſed reprimere quoque, qui aliter ſentirent, ſtatuit. Inde multae illi magnaeque lites cum Rami aſſeclis, et inter eos praecipue cum Clemente Timplero, Bartholomaeo Kecker-

Witebergae.

b) Naſſou. 1617. 8. Marpurg. 1636. 4.
c) SCHVPPIVS Lucian. p. 810. REIMM. p. 24. MAGIRVS Eponymol. p. 736. d) 1637.
e) In Diario ad a. c. et Mem. theol. p. 1073.
f) Memor. theol. p. 714 ſeq. FREHER. p. 546. REIMM. p. 49.
ff) Apud WITTEN l. c.
g) Prodierunt in collectione, quae titulo Miſcellanearum diſputat. Viteb. 1608. 1613. 8. editaeſt.
h) Witeb. 1613. ea Rami ſectatoribus Dichotomias extollentibus oppoſita eſt.
i) Praelectionibus extemporaneis. Vit. 1612. 1617. 8.
k) 1614 ſeqq. ſaepius recuſas.
l) Vit. 1607. 4. 1617. 8.
m) Ibid. 1608. 4.
n) Prodierunt Viteb. et Lipſiae a. 1606. ad 1617.

Keckermanno, aliisque; itemque cum hostibus philosophiae quos Helmstadium tulerat, et duce Hofmanno in aciem produxerat. His enim *Speculum rationis*, lingua vernacula, vastum volumen oppositit, rectius causae optimae, iudice Ven. REIMMANNO* consulturus, *si his hominibus respondisset breuius, neruosius, grauius, planius, moderatius, et se a tot citatis prolixissimis, repetitionibus item et petitionibus principii, ac cauillis et scommatibus abstinuisset.* Ceterum nimiae subtilitatis affectatae vitio eum infecit seculi genius, vnde factum, vt Aristotele licet duce, per dumeta Scholasticorum reperet, quo potuit non vera disciplina Peripatetica adulterari. Cuius exemplum qui vult, ex *libris* eius *duobus de Loco* capere potest. Habuit autem domi quoque aemulum, Ioannem Scharfium, Vitebergensem philosophum, inter Aristotelicos, Scholasticos et Ramistas non sine aliorum inuidia et contumelia medium tenentem, de quo, ne nimii simus, videsis Cl. REIMMANNVM *o*. In Ienensi academia inter philosophos Aristotelicos haud ignotum nomen fuit DANIELIS STAHLII Hammelburgo-Franci, qui positis apud Argentoratenses, Giessenses, Ienenses literarum atque philosophiae tyrociniis, cum se ingenii acumine et perspicuitate commendasset XXXI annos cathedram logicam et metaphysicam ornauit, denatus anno MDCLVI *p*. Variis enim scriptis philosophicis, quibus iudicium in Peripatetica philosophia haud vulgare probauit, de Aristotelis philosophia meruit. Inter quae *Institutiones logicae*, et *philosophiae moralis*, itemque *metaphysicae; Regulae* porro *philosophicae* a IACOBO THOMASIO Dilucidationibus illustratae, et *Compendium metaphysicae in XXIV tabulas redactum* valde isto tempore commendata sunt *q*. Acumen quoque philosophicum in controuersia, quae eo tempore satis acriter ventilata est, de origine animae, probauit, pro animae creatione fortiter pugnans. Eadem in schola vixit et Aristotelicam philosophiam nobilitauit PAVLVS SLEVOGTIVS, logices et philosophiae primo professor, quem Hebraicae quoque literaturae cognitio praeclare commendauit, laudatum ex merito, qui vitam eius enarrauit Io. ERNESTO GERARDO *r*, GOD. GVIL. LEIBNIZIO *s*, THEOPHILO SPIZELIO *t* aliisque, qui, ne lectorem nimis moremur, ipsi videndi. Is hoc nobis loco memorandus est, propter *Disputationes academicas* cum philosophicas tum philologicas, quae iunctim post auctoris fata, quae ei anno MDCLV, LX aetatis annum agenti obtigerunt, editae sunt. In illis elegantissimam non minus eruditionem quam magnam ingenii acrimoniam prodidit, et quamuis Scholasticos, vt hoc seculo erat more receptum, in partes vocasset, eos *Ienae.*

*) Cat. Crit. p. 485.
o) loc. c. p. 28.
p) Vitam eius exhibet WITTEN. Mem. phil. T. II. p. 168.
q) Editiones enumerat IDEM l. c.
r) Praefixa est haec Biographia Disputationibus Eius academicis, insertaque WITTENII Memor. Phil. T. II. p. 244. Inde sua hausit FREHERVS p. 1543.
s) Discursu praelim. ad. Theod. p. m. 13.
t) Templ. Honor. referat. p. 373.

eos tamen cum ipso Aristotele diligenter comparauit, lucemque obscurissimis argumentis attulit: in eo potissimum laudandus, quod philosophiae veteris historiam in subsidium haud raro vocauerit, cuius doctum specimen nobis dedit in dissertatione *de Vniuersali anterem*ff, in qua controuersiis Platonis, Aristotelis, Stoicorum, Realium, Nominalium de ideis lucem haud contemnendam attulit: distincte enim et perspicue philosophatus est, licet methodo vsus sit Scholastica, quae minus iucundam eius lectionem facit. Simili ratione complures ex Protestantium coetibus addere liceret Peripateticos, si id institutum posceret: quia vero nimium id videri queat, lectorem ad Cl. REIMMANNVM t remittimus, qui Germanorum de philosophia Peripatetica merita diligenter enarrauit.

Impedimenta philosophiae Peripateticae ex inualescente factione Rami.

§. XL. Nihil vero Peripateticae philosophiae imperium, quod in academiis Protestantium obtinuit, magis debilitauit, quam bellum, quod illi intulit Ramaeae factionis vehementia. Et graues quidem atque diuturnas lites, quas Rami asseclae cum Peripateticis reciprocauerunt, alio loco ad historiam innouatae doctrinae rationalis delati ex instituto enarrabimus: hoc tamen loco id notare series tractationis poscit: commendauisse Ramaeam dialecticam et in contemtum adduxisse disciplinam Peripateticam, perspicuitatem atque ordinem, quem in Ramaea philosophia omnes deprehendebant, cum e contrario grauissimis tenebris tecta videretur philosophia Peripatetica. Ea enim acutum ingenium et veteris literaturae haud ignarum requirebat, et multorum annorum diligentiam haud vulgarem poscebat; quae a paucis poterant expectari. Cui difficultati cum medelam adhibuisset Philippi Melanchthonis et sequacium industria, qui insuper habitis subtilitatibus Aristotelis, summam eius philosophiae perspicuis enarrare verbis contenderant, neglectum tamen studium haud plane contemnendum effecit, vt pristina incommoda redirent. Quibus cum se inutilis subtilitas Scholastica postea iunxisset, et ad pristina metaphysicae dumeta ingenia ducerentur, mirum non est, Ramaeam philosophandi rationem, vt plerumque noua omnia ingeniis se maximopere commendant, prae Peripatetica obtinuisse. Nihil tamen magis ea in re Aristotelicae philosophiae obfuit, quam quod Ramaea dialectica, quae totam artem rationalem ad dicendi copiam et ornatum referebat, multo felicius, quam Aristotelica, scholae, quam vitae aptior, differendi et de rebus quibuscunque claros sermones miscendi artem pandere crederetur. Ita enim in eo seculo, quod sapientiam tantum non omnem ad dicendi differendique de quocunque argumento facultatem referebat, euilescere oportebat philosophiam Peripateticam, quae cum tota metaphysico habitu incederet, a politica ista philosophia ad mores hominum se attemperante, multis in locis victa est, quamuis acerrima contra Ramaeos praelia Peripatetici susciperent, nec sine vulnere dimitterent aduersarios. Docebit autem

ff) Ienae 1656. 4.

t) Hist. Liter. Germanorum P. IV. et V.

autem tractatio suo loco plenior danda, actum fuisse de dialectica et metaphysica Peripatetica, nisi earum professores, cum disputationum vehementia victoria, prout sperabant praeoptabantque, potiri haud potuissent, ad summos principes, sub quorum imperio academiae Protestantium vigebant, confugissent, demonstratoque periculo, quod a Ramismo metuendum esse clamabant, eos monuissent, perituras breui artes omnes et philosophiam, et intolerabilem barbariem obtenturam esse, nisi malo grauissimo ipsi principes medicinam adhibeant. Quod cum illi facile crederent, vt solet in aula minima non semper curare praetor, interesse autem videretur academiarum, vigere disciplinam hactenus receptam, sanctionibus seueris et constitutionibus principum Ramaea factio suppressa est, resque Peripateticorum restitutae sunt, quibus tamen paulo post immedicabile vulnus attulit Cartesiana, et totam denique rem perdidit eclectica philosophia, vt suo loco docebimus. Et haec quidem ad rationalem et metaphysicam Peripateticae philosophiae historiam pertinent. Tangenda iam fata sunt, quae physica quoque Peripatetica habuit. Ea multo fortius longeque periculosius conuulsa tandemque radicitus euersa et pessundata est, nec vires recolligere potuit. Cum enim seculo hoc XVII, inter Anglos primus fere magnus Verulamius ineptam naturalis philosophiae Aristotelicae conditionem detexisset, et in eadem quoque gente Kenelmus Digbaeus nouam physicam meditaretur, quem feliciori conatu et laetiori gressu innumeri postea alii secuti sunt, vt suo loco luculentis demonstrabitur speciminibus: inter Gallos autem Peripateticas nugas nonnulli claram in lucem producerent, vt a Bassono factum, maxime vero Petrus Gassendus contemtis vanitatibus Peripateticis nouam de rebus naturalibus philosophandi viam, praeeunte Democrito et Epicuro fuisset ingressus, adeo omnium oculos illa lux perstrinxit, vt in ipsa academia Vitembergensi, in qua metropolin olim Peripatetica disciplina obtinuerat, Andreas Sennertus, vir doctissimus, auderet semitam Aristotelicam deserere, et comtius ornatiusque de rebus naturalibus philosophari. Qui cum discipulos haberet plurimos, qui obseruationibus indies a viris doctis vbique locorum institutis philosophiam naturalem augere studebant, resurgere physica Peripatetica non potuit, immo nec medicina illa vim salutarem habuit, quam attulere, viri quidem acuti, veterem physicam Peripateticam, cum recentiorum obseruationibus conciliare conantes, quod vir summus GOD. GVIL. LEIBNIZIVS [u], IO. BAPTISTA DVHAMEL [v] aliique conati sunt, alibi enarrandi. Moralis tamen philosophia Aristotelis vsque ad Samuelis Pufendorfii tempora obtinuit. Quamuis enim magis frugifera et iucunda dederit magnus Grotius, sui tamen temporis circumstantiis inseruiendum ratus, nouam iuris naturalis disciplinam Peripatetico

u) Vid. eius Epistola ad Iac. Thomas. T. II. Ep. 10. p. 121. collect. Kortholt.

v) In Philos. veteri et noua. Dicetur de his conaminibus infra, vbi de syncretistis et conciliatoribus sectarum agendum.

cothurno, quantumpote adaptauit, hacque ratione meruit, vt ipsi Peripatetici in eius librum commentarentur, sicque noua quasi parte augerent encyclopaediam Aristotelicam. Ast surgente ingenti animo Esaia Pufendorfio, et omni morali doctrinae Peripateticae acerrimum praelium indicente, dici non potest, quantam stragem in academiis Protestantium Aristoteles passus sit. Quamuis enim coelum terramque cieret, et misceret omnia Peripatetica factio, et nec conuitiis, clamoribus, iurgiis, nec exilio, carcere et violentis remediis quibuscunque parceret, deiecta tamen a throno, in quo per duo fere secula inter Protestantes regnauit, resurgere et pedem figere non potuit, vt suo quoque loco docebitur. Id quod extra Germaniam, et imprimis in scholis publicis Batauorum a Cartesiana philosophia factum est, quae licet diu cum Peripatetica disceptauisset, tandem vicit, et sedem tamen fixam tueri potuit. In Anglia vero Platonicae philosophiae amor, qui se animis theologorum Oxonienſium insinuauerat, Aristotelis partibus grauis fuit et exitiosus, vt infra demonstrabitur w. Donec fauente Numine in libertatem se assereret humanus intellectus, abiectoque omni sectae studio eclecticae philosophiae curam susciperet. Quod quanto molimine, quoque euentu factum sit, infra suis locis enarrabitur. Et hoc quidem pacto fortuna Aristotelis in academiis Protestantium prorsus euersa est.

Aliae causſae euersae philoſophiae Peripateticae apud Proteſtantes.

§. XLI. Fuerunt tamen aliae quoque causſae, quae non quidem in se, accidentali tamen euentu Aristotelicae philosophiae obfuerunt, eiusque interitum accelerarunt, hoc loco non plane silentio praetereundae. Inter eas Cocceianorum odium in philosophiam refert ELSWICHIVS x, ad ANTONIVM HVLSIVM prouocans, *qui Cocceianos et Carteſianos coniungat, ob arcanam neceſſitudinem, quae inter vtrosque intercedat, qua alterum genus alterius cauſſam ſtrenue ſe agere haud quaquam diſſimulet, quod ex communi commercio euidenter liqueat.* Alia quoque addit vir doctus, quibus euincere satagit, Cocceianos non minus inimicos fuisse Aristoteli, quam Carteſianos, pleraque tamen ex obiectionibus adversariorum desumta. Nos facile quidem concedimus, Cocceianam factionem aliquid ad contemnendam philosophiam Aristotelicam contulisse; ea enim spineta et aculeos theologiae Scholasticae, quos ex Aristotelis disciplina accersere solebat, valde perosa fuit, et longe alia methodo doctrinam sacram tradidit, qua qui delectabantur, non potuere non contemnere disciplinam Peripateticam, quae nullius illis vsus erat, et debuit illis fordescere philosophia, quam corrumpere sacram eruditionem crederent. Ast inuita tamen veritate fieri putamus, si ob Carteſianismum omnibus id imputetur, qui Cocceii partes secuti sunt; ea enim inter Cocceianismum et Carteſianismum societas ad excitandam modo inuidiam illis a Vo-

w) Legenda interim THEOPHILI GALEI Praefatio ad Philosophiam generalem.
x) §. 32. p. 97.

a Voëtio obiecta est y). Certe ad alios ex hac factione theologos non pertinet, nisi illos, qui de articulis nonnullis theologicis Cartesiana ratiocinia secuti differuerunt. Inter Lutheri vero assecias Aristotelicae philosophiae multum nocuisse putat ELSWICHIVS z) σύξξαξιν quam nominant, Pietisticam. Monet enim fuisse, „qui studium pietatis, semel iterumque „atque iterum in scripturis diuinioribus commendatum, sed nimis per „omnes, vt rebantur, ordines statusque collapsum restituere volentes, „cum solam diuinarum literarum lectionem sufficere sibi persuaderent, in „contemtum adduxisse philosophiam, eoque dementiae nonnullos prola„psos esse, vt praelectiones logicas et metaphysicas, quas calamo ante „exceperint, igne combusserint. Cuius rei cum exemplum aliquod ad„duxisset, caussam quaerit in theologiae mysticae amore, quam viri isti „boni putauerint quam maxime facere ad promouendam pietatem, eo quod „micantes quasdam inusitatae pietatis stricturas in se contineat. Quae cum „surculus sit philosophiae Platonicae, facile inde rationem apparere putat, „quamobrem Peripatetica sigillatim adeo contemtim sit habita. Eius rei „testem excitat auctorem praefationis ad tabulas hodosophicas (quem B. „Io. IAC. SPENERVM * esse, nemini ignotum est) eo quod ex illa occa„sionem inuehendi pariter in Aristotelem sumsisse alii censendi sint. In „illa praefatione haec in Aristotelis philosophiam legi ἐγκλήματα, *longe „maiorem noxam Aristoteles ecclesiae intulit quam Plato. Peripatetica „non est melior Platonica, sed deterior. Philosophia Aristotelis omni „alia plus nocuit. Satis ex pluribus indiciis apparet, vt ei exsequias „eatur, parum abesse, nec enim quale seculum nostrum est ingeniorum „perspicacium ferax diu amplius ferre potest pristinam seruitutem.* „Dici quoque alibi a): plus boni in philosophia Stoica, Platonica, Pytha„gorica, quam Aristotelica dari, cum illa propius ad vetustiorem Iudai„cam accedat, et quaedam eius rudera complectatur". Ad quae stricte respondet vir doctus, ita tamen, vt nec neget graues habere Peripateticam philosophiam errores, nec huius patrocinium suscipere audeat, nisi vt demonstret, aeque patienter ferri posse Aristotelem, quam Platonem, fanaticismi patronum, &c. Nos de momentis huius disputationis hoc loco non dispiciemus, cum id limites nostros excedat, facile ipse intelliget lector, frustra patrocinium vnius sectae ex comparatione aliarum suscipi, et rectius omnem sectariam reiici philosophiam. Id vero praetermittendum non est, iniuriam fieri viro beato, et immortaliter de ecclesia literisque merito, cum is dicitur Platonicam philosophiam reiecta Peripatetica probauisse, qui luculenter innuit, omnem sectariam philosophiam suspectam esse. Ait enim b): *Platonicam, Pythagoricam, Epicuream, Stoicam, quod attinet sectas, non solum vniuersam philosophiam ex istarum*

y) Vid. ALBERTI Disp. de Cartesianismo et Cocceianismo. Io. OLEAR. Diss. praelim. ad Controu. Cartes. et Cocceian. in Synopsi controu. p. 590.

z) loc. cit.

*) Consil. theol. Lat. P. I. c. 2. art. 1. p. 211.

a) Consil. theol. P. I. c. 2. art. 1. s. 10. p. 410.

b) loc. c. p. 213.

rum placitis fruſtra quaeſiuerimus, ſed et quae ſuppetunt, auctores homines olent, adeoque errori obnoxios, quorum nullum tutus ſequare. Sed alia mens fuit theologo vere pio prudentique, qui, cum probe noſſet Ariſtotelem a Scholaſticis mire deturpatum per tot ſecula non ſine damno in eccleſia regnaſſe, hoc iugum excuti cupiebat ex animis eorum, qui ſacris operantur, et ad veram philoſophiam graſſari eos iubebat. Quod id non vult, nullas eſſe veritates in Ariſtotele, ſed id tantum commendat, Deo duce et ratione comite ſobrie et ſine ſectae ac auctoritatis praeiudicio philoſophandum eſſe. Hinc prudenter monet et velut σοφὸν φάρμακον luxuriantibus ingeniis haec propinat: *Hoc facturi, ac ita ſua manu in ſapientiae adyta ſibi commiſſos ducturi, ipſi ſibi cauebunt, ne in magiſtri vllius verba iurent, ſed quae Plato, Ariſtoteles, Zeno vel quaecunque priſca ſeu noua nomina ſunt, prodidere vera, reiectis aſſumentis falſis, aſſumant, non quia illis auctoribus prodita, ſed quia vera agnita, quae eclectica methodus omni ſectaria longe potior et certior erit, atque adeo doctoribus atque diſcipulis conſultior. Haec lex ſi ſtet, nulla earum ſcientiarum, quas ſub philoſophiae nomine complecti ſolent, fuerit, cui non in gynaeceo theologiae reginae ſuus concedi locus poſſit.* Quae vt pulchra ſunt et egregia, et a nemine contemni poſſunt, qui, quid reipſa ſit philoſophari, intelligit, ita ſatis produnt, virum ſummum non Platonicae, vt Ariſtoteli aegre faceret, philoſophiae frigidam ſuffudiſſe, eamque damnato Stagirita commendaſſe, ſed reieciſſe philoſophiam ſectariam omnem et eclecticum philoſophandi genus comprobauiſſe. Vnde dica, quam ei, neſcio qua mente, ſcripſit Elſwichius, ad eum non pertinet. Fatemur tamen, adeo in damnando exagitandoque Ariſtotele deſipuiſſe nonnullos, qui ad ſinceriorem pietatem orbem perduxiſſe ſibi viſi ſunt, vt non Ariſtotelicam modo philoſophiam, ſed omne quoque philoſophiae genus condemnarent reiicerentque[c]. Quales homines ineptos eiecto ratiocinationis criterio ſuis nugis et ferocientis imaginationis ſomniis praeſidium quaerentes ideo philoſophiam omnem, cum Ariſtotelica reiicere, vt deliria ſua triumphent, intelligent, quicunque eorum querelas altasque, quas de cathedra pronuntiant, voces expendunt. Quorum loca cum more ſuo diligentiſſime conquiſiuerit GOTTFRIDVS ARNOLDVS[d], apud eum facili negotio legi poſſunt. Verum de huiuscemodi hominibus infra quoque, vbi de hoſtibus philoſophiae agendum, aliquid dicendum eſt. Ceterum verum fuiſſe Vaticinium B. Speneri, fore, vt Ariſtotelicae philoſophiae exſequias eatur, euentus comprobauit: ita enim hodierno die in academiis Proteſtantium euiluit Ariſtotelis auctoritas, vt non ſit, qui vni illi ſectario nomine adhaereat, et non malit philoſophari eclectice.

§. XLII.

c) Exemplum ſume ex Io. FRID. HAVGII Praef. ad Theoſophiam pneumaticam.
d) Hiſt. eccleſ. et haeret. P. II. L. XVII.

§. XLII. Haec Aristotelis inter Protestantes fortuna fuit, quam rudi hactenus penicillo adumbrauimus. Dicendum etiam aliquid esset, quem locum inter Arminianos et Socinianos habuerit, nisi argumenti prolixitas locum in hac nostra tractatione respueret. Nos ὡς ἐν παρόδῳ heic loci monemus, repetendum esse, quod supra iam diximus, noluisse pati Geneuenses, vt Arminius, cum studiorum causa in ea schola commoraretur, Ramaeam logicam doceret. Addendum istis, quod porro narrat GERARDVS BRANTIVS [e] eius negotii pertaesum Arminium tempori aliquid dandum Geneuamque aliquandiu relinquendam statuisse, sedibus Basileam traductis, ibique summum ingenio et doctrinae eius honorem habitum esse. Quod ideo obtigisse opportune monet cel. MOSHEMIVS [f], quia maius Basileenses pretium doctrinae Petri Rami statuerint, apud quos iam antea Io. Thomas Freigius discipulorum Rami non postremus, docuerit, et tum Altdorfio relicto commoratus sit teste MELCH. ADAMO [g]. Immo ipsum Ramum Basileae versatum fuisse ex vita eius a FREIGIO scripta liquet. Idem tamen Arminii biographus in sequentibus narrat, eum Geneuam reuersum *comperisse, plerosque eorum, quos defendendis circa philosophiam Petri Rami placitis non ita pridem irritauerat, multum de rigore suo remisisse; Itaque ipsum quoque, ne fautores suos hac via offenderet amplius, de impetu suo remittendum ratum, ita se porro gessisse, vt acutum ipsius excitatumque ingenium summa cum animi moderatione coniunctum quisque suspiceret et miraretur.* Ex quo colligimus, Arminium, vel callidum simulatorem palpum Geneuensibus professoribus obtrusisse, vel reuera ex Ramista syncretistam factum, inter Aristotelem et Ramum conciliatorem egisse, quam viam iniisse Bartolomaeum Keckermannum suo loco dicemus. Inde vero factum esse putamus, vt Arminii sequaces non tantopere ab Aristotele abhorrerent, quam ab iis fieri oportebat, qui grauem dicam reformatis scribebant doctoribus. Quamuis enim feruente schismate nonnullos satis acerbe in Aristotelem fuisse inuectos supra ex epistola Caroli Niellii obseruauerimus, fatendum tamen, plerisque satis commode cum Aristotele conuenisse. Cuius luculenta exempla duo existunt ex hac asseclarum Arminii parte magni viri Gerardus Ioannis Vossius [h] et Hugo Grotius. Et ille quidem adeo Aristotelis veneratione captus fuit, vt non erubuerit scribere, postquam laudes eius recitasset: *Quid multis? si non partem aliquam virtutum, sed totum philosophum consideremus, vnus ille ingenii acie ac varietate doctrinae, eorum qui praecesserant lumina tantum praestinxerit, quantum sol lunae et siderum minorum.* Grotium autem in decantatissimo *de Iure belli et pacis* opere Aristotelica multoties principia secutum fuisse, immo ne a Scholastica quidem philosophia sibi temperauisse, nemo est scriptorum eius lector non incuriosus, qui ignoret, et ipsa

Aristotelis fortuna inter Arminianos.

e) In Vita Arminii p. 12.
f) Ad h. l.
g) In Vit. Iureconf. p. 252. conf. BAYLE Dict. T. II. art. Freigius.
h) De Sectis philos. c. XVII. §. 5. p. m. 83.

ipsa eruditissimi cetera libri docet inspectio. Cuius rei exemplum esse potest, quod Aristotelis errorem, non dari in morali doctrina certitudinem, non modo ipse errauerit, sed recenti quoque condimento ex eruditionis suae penu desumto gratiorem reddere et verisimiliorem fategerit. Causam vero cur Grotius multa Aristotelis dogmata in libro de I. B. et P. retinuerit, cur maximis eum adulationibus super omnes philosophos extulerit, cur Scholasticos a modestia tantopere laudauerit, eorumque placita haud pauca receperit, eam esse vir doctissimus, qui *Grotii Manes vindicatas* eleganti tractatione nobis exhibuit [i], putat, quia postquam ex Patauia in Galliam se contulit, variis hominum ingeniis sese accommodare, et vbique locorum inseruire tempori necesse habuerit, si salarium suum sartum tectumque retinere, aulae gratiam conseruare, neque ecclesiasticos vrsorum circulatores irritare vellet, ac in se concitare. Licet coniiciat, hoc ideo quoque euenisse, quod academia Parisiensis, certa quadam ratione anno MDCXI ad Aristotelis doctrinam fuerit adstricta, illudque decretum per parlamentum anno MDCXXIV et XXIX confirmatum sit. Nos facile quidem concedimus, eo lubentius se Aristoteli et Scholasticis Grotium attemperauisse, quo gratius id fore nouisset illis, a quorum gratia eo tempore pendebat. Certi tamen sumus, Grotium, cum praeceptores Aristotelicos habuisset, et in ea philosophia fuisset educatus, isto iuuentutis praeiudicio impeditum, quod eo tempore summos quoque viros fascinabat, non ausum fuisse huius philosophiae principia contemnere, quamuis nouam disciplinam, Peripateticis magnam partem ignotam condere coepisset. Eadem enim ratione aliis quoque inter Remonstrantes idem accidisse, facile ostendi potest. Certe Simonem Episcopium, *cum ad penitus eam intelligendam*, verba damus PHILIPPI LIMBORCHII [k], *totum se addixisset, ac triennium in hoc studio magna cum diligentia impendisset, et postremo, vbi se theologiae applicuit, non tamen omisisset philosophiam, ad quam ingenti, arcana eius penitius rimandi cupiditate subinde redibat*, aliam philosophiam, quam Peripateticam, elegisse, nullibi legitur, et ex eo philosophiae genere, quod sub initio seculi XVII Lugduni Batauorum personuit, ipsisque qui tunc docuere eius praeceptoribus, intelligitur, quos Peripateticos fuisse, acta eius academiae literaria testantur. Melius tamen hic quoque postea coetus sapuit, eclectica philosophia recepta, quae plurimum ex eo grege debet Ioanni Clerico. Ceterum nec inter Socinianos Aristoteli defuisse assecias luculento exemplo comprobauit IOANNES CRELLIVS. Is enim cum Altdorfii praeceptores habuisset Conradum Rittershusium, Scipionem Gentilem, Nicolaum Taurellum, Ernestum Sonerum, Michaëlem Piccartum [l], quorum nominibus nihil celebrius eo tempo-

Inter Socinianos.

i) p. 277.
k) Vita Sim. Episcopii p. 4.
l) Vid. SANDIVS Biblioth. antitrinitar. p. 150. ARNOLDVS Hist. eccles. P. II. L. XVII. §. 15. p. 538. SAM. FRID. LAVTERBACH. Ariano-Socinism. Polon. c. II. n. 37. p. 351.

tempore fuit in orbe Aristotelico, ratio inde intelligi nullo negotio potest, cur Peripatetica ei philosophia tantopere arriserit, illique operam ipse haud vulgarem impenderit? Et ex hoc ipso agro, cum imprimis a Soneri ore penderet, Sociniſmi semina, in animo sparsa foecunda habuit, vt pulchre obseruatum Cel. ZELTNERO [m]. Nec deposuit philosophiae Aristotelicae amorem, cum ob doctrinae dissensum in Poloniam recederet, Racouiensem scholam recturus, et ministerio sacro postea functurus, in quo munere anno MDCXXXIII, vix tres supra quadraginta, annos natus obiit. Nam licet ecclesiae, cui se addixerat, pomoeriis dilatandis, eiusque placitis defendendis esset intentus summopere, scripsit tamen *Ethicam Aristotelicam ad sacrarum literarum normam emendatam, quam ethicae Christianae virtutum et vitiorum* subiunxit [n]. Quam Germanico quoque habitu exornatam prodiisse auctor est SAM. FRID. LAVTERBACHIVS [o]. Cur autem Socinianis Aristotelica philosophia gratiae inimica arriserit, non ignorant, qui horum hominum placita intelligunt.

§. XLIII. Hactenus, quantum licebat, strictim, breuique narratione fata philosophiae Aristotelicae in coetibus eorum, qui a Romanae ecclesiae placitis discesserunt, enarrauimus: liceret iam ad aliarum sectarum Graecanicarum rastauratores progredi, ni, quem semel ingressi sumus in condenda Peripateticismi recentioris historia, tramitem deserere fas haud esset, non recensitis prius viris illis celeberrimis, quorum studio Peripatetica philosophia quam maxime seculo XVI et XVII inter Protestantes floruit. Quos licet praetereundo quasi digito tetigimus, tanta tamen fuit nominis eorum claritas, tanta eruditionis existimatio, tanta in Aristotelicam philosophiam puriorem et natiuam meritorum gloria, vt omnino aequum esse censendum sit, vt paulo plenior eorum literaria exponatur historia. Inter eos summo loco ponendum esse Philippum Melanchthonem, communem Germaniae praeceptorem, ex iis, quae de meritis eius in philosophia iam tradidimus, satis quidem constat. Quia tamen verus ille primusque philosophiae Aristotelicae elegantioris et natiuae restaurator fuit, eoque duce ipsa philosophia aliam accepit faciem, digna eius vitae historia est, quatenus philosophiae fata respicit, quae accurate exponatur: cum plurima sint in ea occurrentia, quae in historia philosophiae seculi XVI negligi omittique haud possunt. Huic postea subiungemus alios de Lyceo recentiori meritissimos viros, Simonem Simonium, Iacobum Schegkium, Philippum Scherbium, Nicolaum Taurellum, Ernestum Sonerum, Michaëlem Piccartum, Cornelium Martini, Conradum Horneium, Hermannum Conringium, Christianum Dreierum, Melchiorem Zeidlerum, Iacobum Thomasium. Quibus nominibus nihil praeclarius fuisse in theatro Peripatetico-

Celebriores Peripatetici inter Protestantes.

m) Hist. Crypto-Socin. Altdorf. §. 10. p. 62.
o) loc. cit. p. 362.
n) Tom. II. Bibl. Vnitar. s. Fratrum. Polon.

ticorum, norunt, qui Annales literarios seculi XVI et XVII paulo curatius euoluerunt.

Fontes historiae literariae Philippi Melanchthonis.

§. XLIV. Ducem caputque se praebuisse PHILIPPVM MELANCHTHONEM illis, qui relictis sordibus Scholasticis ornatius prudentiusque philosophari cupiebant, ex hactenus dictis est notissimum. Ille itaque velut ὁδηγὸς viaeque verus auctor ad philosophiam Peripateticam puriorem considerandus, eiusque historia literaria expendenda est. Tantus autem ille vir fuit, tot meritis in ecclesiam et rempublicam literariam illustre sibi nomen comparauit, tantisque nexibus arcte eius historia cum fatis, quae ecclesia seculo XVI habuit, cohaeret, vt integer liber illi scribendus sit, qui plenam immortalis famae viri historiam scribere velit. Quod cum nostrarum paginarum refugiat angustia, respuantque, qui nobis positi sunt cancelli, nihil hoc loco de actis eius meritisque dicemus, quibus indelebilem sibi in ecclesia peperit memoriam. Reperient ea, quae ad tanti viri plenam historiam comparandam facere possunt, qui his delectantur, in annalibus ecclesiasticis, iis praecipue, quos laudabili instituto summaque eruditione et accuratione condidit illustris VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS. Vehementer autem dolemus, intercepisse mortem laborem χαλκεντέρου FABRICII, quem vulganda diatriba *de Religione et scriptis Melanchthonis* suscipere promiserat [p], et pauca tantum collectanea quaedam ad eam supersesse [q]. In ea enim demonstraturum se recipit vir in his quoque literis summus, Melanchthonem et literas tum humaniores et philosophiam, tum illas grauiores quoque ac theologicas insigniter illustrauisse ac promouisse. Hoc itaque interprete dum caremus, illi consulendi sunt, qui summi viri historiam accurate exposuerunt, et quaecunque non modo pro ecclesiae salute suscepit gessitque, sed quae etiam pro artium, et scientiarum incrementis egit, enarrauerunt. Quamuis autem complures sint, qui celeberrimi theologi et philosophi vitam exposuerunt, biga tamen virorum doctissimorum Ioachimi Camerarii, et Viti Winshemii eo magis ante alios consulenda est, quo magis testes illi sunt de rebus Melanchthonis omni exceptione maiores, qui et scire res eius potuerunt intima illi amicitia et praesentia quoque multorum annorum iuncti, et causam, cur mentiantur, non habuerunt. IOACHIMVS CAMERARIVS enim, qui multorum annorum amicitiam, consuetudinem et commercium literarium cum Melanchthone aluit, et intimas eius rationes atque circumstantias pernouit, vitam eius eleganti scriptione enarrauit, editam hoc titulo: *De Philippi Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo, et morte, implicata rerum memorabilium temporis illius hominumque mentione atque indicio, cum expositionis serie cohaerentium, narratio diligens et accurata* [r]. In qua vitae Melanchthonia-

p) Centifol. Lutheran. P. I. p. 436.

q) Vid. Cl. REIMMARI Historia vitae Fabricii p. 210.

r) Lipsi. 1566. 1592. 8. qua editione nos vtimur. Recusa est, cura FRID. BENED. CARPZOVII Lipsi. 1696. 8.

nianae historia res non tantum priuatae, sed et publicae tanguntur, quibus interfuit Philippus, historia autem literaria et philosophica, quantum ad Melanchthonem pertinet, accurate exponitur, vnde calculum virorum doctorum ista biographia meruit [s], licet sint, quae non iniuste in ea desiderentur [t]. Alteram vitae rerumque Melanchthonis enarrationem debemus VITO WINSHEMIO, theologo et professori Ebraicae linguae in academia Vitebergensi, quam solenni oratione recitauit in exequiis Melanchthonianis [u], qui cum intima quoque amicitia Philippo iunctus fuerit, quae vero dixit, coram frequentissima pronunciauit auditorum corona, quae res magni viri omnes nouerat, fide quauis dignus est. Ex his duabus biographiis vitam Melanchthonis duplicem consarcinauit MELCH. ADAMVS, eamque inter Vitas theologorum [x] et philosophorum exhibuit, quibus locis lectoris commodo merita Melanchthonis de disciplinis sacris et profanis simul vno fasce comprehendit [y]. De quibus cum nonnulla collegerint quoque, recentiores historiae literariae scriptores ANTONIVS TEISSIERIVS [z], PETRVS BAYLE [a], THOMAS POPE-BLOVNT [b], IAC. FRID. REIMMANNVS [c], illi quoque consuli debent, vt quanta in literis et philosophia fuerit Melanchthonis gloria intelligatur. Commendari quoque deberent, si titulo responderet tractatio, *Collectanea locorum communium, per multos annos ex lectionibus D. Philippi Melanchthonis et aliorum doctissimorum virorum relationibus excerpta* a IOANNE MANLIO [d]. Ex eiusmodi enim libris miscellaneis haud raro de viris doctis et arcanis eorum circumstantiis iudicari feliciter posse, neminem latet, qui literariae historiae fontes intelligit. Ast non immerito fidem in ea collectione desiderant et iudicium amici Melanchthonis, ex his imprimis IOACHIMVS CAMERARIVS [e], recteque obseruarunt, parum ex inepta hac corrasione dictorum Melanchthonis vel lucis vel claritatis accedere ad historiam viri maximi [f]: vnde, etsi in ea nonnulla occurrunt, quae ad Melanchthoniana de philosophia merita pertinent, ad eam tamen non prouocabimus.

§. XLV. Natus est Philippus, dictus Schwarzerd, id enim Graecum Melanchthonis nomen in vernacula nostra vult, Brettae Palatinatus superioris oppido [ff] XIV Cal. Martii anno MCCCCXCVII, domo et familia honesta, patre Georgio magistro armorum, apud principes Palatinos *Vita Melanchthonis.*

s) TEISSIER. Elog. T. II. p. 26. SECKEND. Hist. Lutheranism. L. II. §. 57. p. 156. MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 19. §. 34. p. 223. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 141.

t) Vid. Casauboniana p. 29. WOLF. ad h. l. CRENIVS de Libris scriptorum optimis p. 205.

u) Extat T. V. Declam. Melanchthonis p. 283 sq.

x) pag. 327. y) pag. 154.

z) loc. cit. T. II. p. 35 seqq.

a) Dict. T. III. art. Melanchthon p. 369.

b) Cens. celebr. auct. p. 615.

c) Hist. lit. Germ. Vol. III. p. 120 seq. addi potest MATTHESII Vita Lutheri, vbi multa quoque de Philippo occurrunt.

d) Basil. 1562. 8.

e) loc. cit. p. 88.

f) Vid. WOLF. l. c. Praef. p. 10. Cat. Reimmann. p. 110.

ff) Conf. Monumenta diem annumque natalem Melanchthonis designantia apud CHR. IVNCKERVM in Memoria Lutheri numismatica, p. 141. ed. Germ.

Philippum et Rupertum : de cuius virtutibus, quibus se ipsi Maximiliano imperatori et viris principibus aliis fecit commendatissimum, multa iucunda et memorabilia narrat CAMERARIVS [g]. Ex cuius obseruationibus patet, eum non inter fabrilis artis rudimenta substitisse, sed machinis quoque bellicis affabre fabricandis feliciter insudauisse [h]. Is cum plerumque in aulis haereret, gratiosus ob artis praestantiam apud viros principes, de Philippi educatione pie prospexit auus; qui quoque, cum is patrem anno a Christo nato MDVIII amisisset, senili nostrum prudentia, grauitate et integritate cum auctoritate summa rexit educauitque. Is itaque vt agrum, quem foecundum esse mature intelligebat, sparsis literarum seminibus iusto tempore coleret, nepotem scholae patriae erudiendum commisit, et quamprimum discendis literis aetas apta fuerat, sollicite curauit, vt, quam acceperat, indoles excellentissima iusta cultura exornaretur. Inde vero abductum, quod praeceptor lue venerea infectus esset, domestico magistro formandum tradidit, Ioanni Vngero, quem se grauem annis Phorcae vidisse virumque integerrimum puram euangelii doctrinam praedicantem audiuisse scribit CAMERARIVS [i]. Huius viri memoriam conseruauisse Philippum ait WINSHEMIVS [k], donec vixit, singulari cum pietate et veneratione ; sine dubio quod ad eum literarum optimarum rudimenta referret. Cum autem eam prae se indolem ferret Philippi ingenium, de qua optima quaeque sperari possent, et emineret illa vis animi, qua et celeriter perciperet, atque comprehenderet, quae tradebantur, et fideliter meminisset, et liquido exponere illa sciret, ad eam scholam traductus est, quam non sine laude regebat Portae Herciniae Georgius Simlerus, qui iurisprudentiam postea Tubingae docuit. Quo loco memorari meretur, quod CAMERARIVS [l] tradit, cum plurimis in locis, melius iam tum, quam dudum, pueritia institui et doctrina in scholis vsurpari politior coepisset, quod et bonorum auctorum scripta in manus sumerentur, et elementa quoque Graecae linguae alicubi proponerentur addiscendum, cum seniorum admiratione maxima, et ardentissima cupiditate iuniorum Simlerum initio doctrinam haud vulgandam aliquantisper arbitratum, Graecarum literarum Scholam explicuisse tantummodo aliquot discipulis suis, quos habuit carissimos, priuatim. His itaque literis dum insatiabili discendi desiderio inuigilat Philippus, linguae Graecae Latinaeque artiumque, quae ab humanitate nomen sortitae sunt elementa feliciter haurit, eaque fundamenta ponit, quibus totum postea elegantissimae eruditionis inaedificauit aedificium. Factum autem est non sine prouidentiae diuinae nutu, quae nostrum reformandis emendandisque literis destinauerat, vt in domo sororis Ioannis Capnionis, cognatione Philippo iunctae degere posset. Quo loco cum haud raro diuerteret Ioannes Reuchlinus, isque puerorum, qui ibi instituebantur, explorare ingenia soleret, facile Philippi

g) l. c. p. 2 WINSHEM. p. 286.
h) Conf. BAYLE l. c. not. A. SECKENDORF. Hist. Lutheranismi L. II. §. 57. p. 156.
i) pag. 5.
k) p. 286. Conf. B. MAII Vita Reuchl. p. 144.
l) pag. 6.

ſippi indoles ſupra modum alacris bonarumque artium ſtudiis intenta illius in ſe conuertit oculos. Is itaque attente conſiderare naturam pueri et ingenii profectus explorare coepit, qui cum omnibus reſponſionibus praecelleret, miratus Reuchlinus ingenii ſingularem prorſus et mirificam praeſtantiam, ſpe ſingulari de eo concepta acriter ad proſequendum literarum ſtudium cohortatus eſt, libellos etiam quosdam ei donauit, inter quos erant plenior Grammaticae Graecae inſtitutio, lexicon Graecum, et bibliorum codex; impoſito ei, vt honeſtam aemulationem accenderet, pileo purpureo, quod doctoratus inſigne ipſe olim acceperat [m]. Et heic quoque nomen eius germanicum in Graecum Melanchthonis conuertit, vt ipſe ab Hermolao Barbaro Capnionis nomen pro vernaculo Reuchlini acceperat. Ex quibus conſtat, errare quidem MORHOFIVM [n], qui Reuchlinum inter praeceptores Melanchthonis numerat, aſt plurimum tamen apud Melanchthonem adoleſcentem Capnionis exhortationes valuiſſe, vt inſatiabili deſiderio in bonarum literarum ſtadio currere pergeret. Quo ἐργοδιώκτῃ cum Philippus Latinae Graecaeque literaturae ſe dediſſet, feliciſſimo conatu illa tum fundamenta iacta ſunt, quibus poſt ea tempora ſplendidum doctrinae Melanchthonianae ſuperſtructum eſt aedificium. Ita per biennium literarum elementis hauſtis ad pleniorem ingenii cultum et mercatum doctrinae vberiorem Heidelbergam, quae parentis eius patria erat, miſſus eſt, anno MDIX, quo vix duodecimum aetatis annum exegerat. Ibi quamuis admodum adoleſcens ob ingenii rariſſimi praeſtantiam morumque ſuauitatem atque venuſtatem adeo carus bonis omnibus fuit, vt cum in domo Pallantis Spangelii theologi verſaretur, isque eius integritatem, virtutem et doctrinam mire depraedicaret, comes Ludouicus a Löwenſtein eum liberorum ſuorum praeceptorem deligeret. Meruit itaque inter pueros praecoces a BAILLETO praedicari [o], eo meliori iure, quo maiori eius poſtea eruditio enituit, nec hanc ei gloriam ringens quidem etiam apud hoſtes veritatis eripuit inuidia. Plurimum autem ad augendam Philippi eruditionem contulit honeſta cum viris doctiſſimis, qua in domo Pallantis fruebatur, conuerſatio, inter quos maxime familiariter vſus eſt Petro Sturmio Argentoratenſi, Iacobi fratre. Cui cum tunc priuatus doctor adeſſet Iacobus Wimphelingius, vir vt optimus et integerrimus, ita eruditiſſimus, et tum temporis inter literatiſſimos ſuae aetatis homines numeratus [p], eius amicitia ad augendas doctrinae diuitias Melanchthoni iuueni fuit vtiliſſima. Sed et alios viros doctos amicos habuit, qui cum dicendi fingendique facilitate excellerent, in

m) WINSHEM. p. 287. CAMERAR. p. 9. MAEVS l. c. p. 145.

n) Polyhiſt. T. I. L. I. c. 19. p. 223.

o) De Pueris praecocibus p. 129. Conf. BAYLE l. c. not. B.

p) Iacobus Wimphelingius Sletſtadio-Alſatus natus eſt anno 1449. hauſtis ſacrarum diſciplinarum iurisque pontificii praeceptis in academiis Friburgenſi, Baſileenſi, Erfordienſi ac Heidelbergenſi, Spiram ad obeundum eccleſiaſtae munus ob diſertiſſimam concionandi rationem vocatus eſt anno 1494. ſeculi tamen pertaeſus, depoſito munere Heidelbergam profectus, ibique et auctores optimos interpretatus eſt, et iuuenes formare

vtroque orationis genere, haud segniter se exercuit, et vtriusque copiam illam sibi comparauit, quam hodienum in viro summo miramur. Neque tamen seueriores disciplinas neglexit, sed philosophiae studio se quoque tradidit, tanta ingenii, quod acute videbat, et in quaestionum nexus facillime penetrabat, fecilitate, vt narrat WINSHEMIVS [q], Melanchthonem quaestiones Gordio nodo difficilius explicabiles de propositionibus modalibus, itemque de vniuersalibus realibus, quae multum rixarum inter disputantes pariebant, dissoluisse, et certamina haec cum magna omnium admiratione sustuliſſe. Placuisse autem Melanchthoni Nominalium partes, quae in ista schola dominabantur, *praecedenti* iam *Tomo* docuimus, et alibi [r] quoque eius rei testes excitauimus. Praeter philosophiam autem Graecae linguae colendae diligentiam suam tribuit, scripsitque eo tempore *Rudimenta Graecae linguae*, quae postea in publicum edita sunt. Ita supra aetatis mensuram eruditionis fructibus maturus primam, quam vocant lauream anno MDXI, quatuordecim annos natus accepit, ipsum magisterii philosophici honorem consecuturus, nisi adolescentia obstitisset. Triennio ita apud Heidelbergenses exacto, cum inimica ei esset quotannis in auctumno coeli grauitas, quae febrim concitare solebat, a matre periculum metuente in Tubingensem scholam translatus est. In quo literarum mercatu cum eo tempore omnis generis disciplinarum doctores praestantissimi viuerent [s], a quorum ore pendebat iuuentus, campum Philippus ingressus est patentissimum, in quo non modo animi diuitias honestarum disciplinarum studiis partas mirifice augeret, sed et congestos eruditionis thesauros aliis panderet. Itaque audiuit ibi et theologos, et iurisconsultos et medicos, et libros omnium professionum optimos inspexit, et ex omni eruditionis apparatu sibi copias comparauit affluentissimas. Cum autem elegans ingenium nutriret, quod et perspicuitatis esset amantissimum, et ad certum vitae humanae fructum omnia referret, valde illi displicuerunt obscurae et spinosae intricataeque quaestiones, quorum nugatoria, vt ait CAMERARIVS [t], subtilitate exercebantur et defatigabantur ingenia. Idem narrat WINSHEMIVS [r], testatus, solitum Philippum

formare paedagogumque selectis ingeniis se praebere non erubuit. Inter quos adolescentes fuere optimi, Petrus et Iacobus Sturmii, et comites Leonistenii. Monachorum vero persecutionibus molestissimis expugnatus in patriam redux vitam otiosam egit vsque ad annum 1528. quo obiit. Vid. Vita eius apud ADAM. Vit. theol. p. 21. et scriptores Hist. lit. ecclesiast. DVPINIVM T. XIV. p. 117. CAVEVM p. 117. add. STRVVII Bibl. antiq. T. I. p. 237. Non imparatum habuisse animum a philosophia, ex libris de Conditione boni principis, et de Adolescentia liquet. Vsus est TRITHEMIO familiariter, quem de eo vide de Vir. illustr. Germ. c. 263. et de S. E. c. 925. p. 222. 223. 263.

q) pag. 288.

r) Histor. de Ideis sect. II. §. 4. p. 207.

s) Inter eos amicitia imprimis Philippo intercessit cum Henrico Bebelio, et Ioanne Brassicano, vid. CAMERAR. p. 14. Henricus Bebelius autem Iustingo-Sueuus, historiae peritia tum maxime enitebat, vt ex scriptis eius constat apud SCHARDIVM, GOLDASTVM et FREHERVM in notissimis Collectionibus scriptorum rerum Germanicarum. Alia enarrat SIMLERVS ad Gesneri Bibl. conf. FABRIC. Bibl. Lat. med. T. II. p. 492. Hinc Melanchthonis diligentia in studio Historico.

t) pag. 15.

r) p. 289. Valde tum arrisisse Ethicam Aristotelicam hominibus, mirum haud est, inter coecos enim luscus imperabat, et inter nugatores egre-

lippum de his ineptis et inutilibus disputationibus in rebus grauissimis multa ridicula ipsorum deliramenta commemorare. Inter quae hoc quoque fuisse ait: monachum quendam pro concione omissa euangeliorum doctrina ethicam Aristotelis explicasse, non paruo audientium studio, qui cupidius Aristotelica cognouissent, quam fabulas aniles, quibus implere templa illius barbaricae superstitionis temporibus vsitatum fuerit. Philippus autem, quem non nisi solida delectabant, ingenii aciem potissimum ad sacram scripturam conuertit, quam cum aliquando in templo in manibus tenens legisset, ideo suspectus factus est, adeo diuinioris sapientiae studium eo tempore refrixerat. Post haec veterum potissimum auctorum lectioni se tradidit, et praecipuos in quouis disciplinarum genere scriptores veteres attente legit. Tum viuentium doctorum optimos sibi magistros elegit, et praeter Henricum Bebelium et Ioannem Brassicanum, Franciscum Stadianum in philosophia audiuit, et hunc praecipue coluit et dilexit. Cuius haud obscurum reliquit MELANCHTHON [a] testimonium hoc loco non omittendum, eo quod ex illo constet, Stadianum ad resuscitandum elegantiorem Peripateticae philosophiae habitum, auctore potissimum et instigatore Melanchthone multum tribuisse. Narrat enim, „Stadianum, eruditione ac vitae genere tali fuisse, vt a bonis doctisque „omnibus certatim diligi mereretur, adeoque eo se vt fratre semper fami„liarissime vsum esse. Eum Analytica posteriora Sueuicae iuuentuti anno „superiori praelecturum accepisse a se Themistii libellos Latine redditos „ab Hermolao Barbaro. Addidisse se quaedam e Philopono transcripta, „admonuisseque illic ab Aristotele rhetorica doceri. Legisse haec Stadi„anum, relegisseque, et quo fuerit iudicio, protinus ad scopum aduortisse „animum, ibi re penitus cognita et pro ingenii sui felicitate aucta illustrata„que tot notabilibus, acceptionibus, distinctionibus exauctoratis, caussam „integram vellet recuperatorio iudicio restituisse, scholae simpliciter ac can„dide summam rei τὸ ἄλφα καὶ ὦμέγα traditurum. Adhaec male precatum „nugis obnixe a se contendisse, Aristoteli purgando socias manus adiice„ret; conaturum omnia sese pro viribus, vti artium elementa vindicta „barbarorum liberarentur. Primi nominis studia a sordibus recipi non „posse, nisi purgatis adolescentiae rudimentis. Id fere quemque in sum„mis posse, quod in infimis assueuerit. In summa omnia sibi de grandio„ribus polliceri, si exercendae iuuentae ratio melior iniretur. Placuisse „amici consilium et negotium vna literarium se suscepisse. Ex quo loco memora-

egregie sapiebat Aristoteles. Vnde factum, vt ipsi Melanchthoni atque Luthero mirifice illa placeret, vt ex testimoniis Act. phil. Vol. II. p. 589. allatis manifestum est. Non vero Tubingae tantum sed Heidelbergae quoque Aristotelem pro concione explicatum esse obseruat MELCH. ADAMVS, Vit. philos. p. 186. Iucundamque simili de re narrationem ex GASMERI Vita Lampadii recitat ELSWICHIVS de Fortuna Aristotelis in Academ. Prot. §. 12. p. 33. dignam, quae ibi tota legatur. Lepidum enim fuit, Ioannem Grouium Brunsuigae in concionibus ad Aristotelem saepius prouocantem, cum orationem sacram his verbis incepisset: Sic dicit Aristoteles, excitato per sutorem quendam campanae sono ad silentium redactum, exque suggestu sacro ipsaque vrbe cum Aristotele suo expulsum fuisse.

a) Orat. de Studiis corrigendis Declamat. T I. p. 502.

memorabili clarum est, Stadianum inter primos referendum esse, quibus cum Melanchthone debetur purgati restitutique inter Germanos honoris Peripatetici gloria, inque eo iam tum versatam fuisse Philippi adhuc iuuenis industriam, vt natiuam Aristotelis philosophiam barbariei Scholasticae situ plane obductam ex squalore puluereque resuscitaret, sicque planiorem philosophandi viam restitueret. Praeter philosophiam mathematicarum disciplinarum praecepta Melanchthon a Ioanne Stoefflero * didicit, cuius tunc maxima in hoc eruditionis genere erat fama atque existimatio. Neque vero a solo praeceptorum ore pendendum esse statuit, sed et Graecos scriptores assidue legendos sibi sumsit, in quo labore socium habuit Ioannem Oecolampadium. A quo Rudolphi Agricolae dialecticam dono accepit, quo monstrante laetiorem ipse postea viam in dialectica tenuit. Et haec quidem studiorum philosophicorum et philologicorum Philippi tyrocinia fuere, quibus rite positis et absolutis anno aetatis XVII, qui erat a Christo nato decimus tertius supra millesimum trecentesimum, magistri philosophiae titulum atque iura suscepit.

Melanchthonis de literis et philosophia merita docendo Tubingae acquisita.

§ XLVI. Hoc axiomate auctus Melanchthon cum indefessa hactenus diligentia animi diuitias congessisset, ad explicandos communicandosque cum aliis thesauros eruditionis animum applicuit. Priuatim vero Virgilium atque Terentium adolescentibus exposuit, eo quod in humaniori disciplina egregie valeret. Quod cum publice innotuisset, lectio illi oratoria demandata est, quod commouit eum, vt Ciceronem quoque atque Liuium, quos optimos Latinae linguae dicendique auctores nouerat, praelegeret. Et vt ex omni se parte vtilem reipublicae eruditae praestaret, molestam quoque officinarum typographicarum inspectionem non refugit; cumque eo tempore Thomas Anselmus typographus Tubingensis editione librorum eruditione praestantium rem literariam iuuare pro virili constituisset, illi operam Philippus addixit suam. Et tum grande illud historiarum volumen a NAVCLERO corrasum magis ineptarumque fabularum farragine corruptum, quam accurate conscriptum, recognouit, infinita, quae vel superuacanea erant, vel fide indigna, resecuit, confusa in ordinem redegit, corrupta emendauit, mutila compleuit, alium-

x) Etiam hic Iustingae in Suenis natus fuit, Vid. ADAMI Vit. philos. p. 73. BAYLE Dict. T. IV. Art. Stoffler p. 285. et qui passim eius meminit M. CRVSIVS, in Ann. Sueuicis. Cum naturali inclinatione ad matheseos studium ferretur, pro suae aetatis conditione in eo plurimum profecit. Fatale eius Bibliothecae, chartis instrumentisque mathematicis incendium fuit, quod omnem supellectilem eius librariam consumsit. Quia autem Sebastianus Munsterus eius Mss. et quaecunque ille inuenerat, sibi descripserat, hac ratione diligentissimi viri labores conseruati ad posteros sunt, Munstero tamen egregie eo vitulo arante. Obiit octogenarius anno 1533. XIII. Cal. Mart. relictis Ephimeridibus, ratione compositionis astrolabiorum, Comm. in Procli Sphaeram, Tr. de duplici proiectione terrae in planum, aliisque de quibus post GESNERVM videndus VOSSIVS de Scient. mathem. p. 186. Inclaruit praedictionibus astrologicis: Diluuium enim in annum 1524. mundique finem in annum 1558. definiebat, in vtroque falsus. Vid. BAYLE l. c. not. B. Si CALVISIO ad ann. 1531. fides, mortis genus ex camerae corruentis vel potius repositorii collapsi conquassatione sibi quoque praedixit. Alii tamen peste extinctum esse referunt.

aliumque prorsus et concinniorem multo vultum libro reddidit, effecitque, vt maiori in posterum vtilitate liber ille legi adhiberique posset, et a multis adpeteretur [y]. Eo vero sexennio, quod in Tubingensi academia Melanchthon exegit, frequentissima ei multaque fuit occasio, cum Capnione conuersandi, quae res studia Melanchthonis literaria valde adiuuit. Quotiescunque enim Stutgardia Tubingam diuertebatur Capnio, in Scholastico apud Philippum diuersoriolo commorari, quam commodiorem locum deligere maluit. Cumque in eodem cum illo collegio cibum caperet, fauentissima illi occasio inde enata est, ex abundantissimae viri illius celeberrimi doctrinae penu sua horrea locupletandi. Sed et alia illi ratio Capnionem deuinxit. Feruebant enim eo tempore certamina, quae Reuchlino cum monachis quibusdam ex familia Dominici et Colonienſibus theologis Iudaeomastigis intercedebant, de quibus infra in Reuchlini vita plura commemorabimus [z]. Quae cum valde molesta Reuchlino accidissent, qui crudeliter ab iniquissimo bipedum genere vexabatur, suam pariter atque literarum, maxime philologicarum, quibus exitium parabatur, caussam strenue defendit, multaque scripsit, partim Romam, partim ad imperatorem missa. Haec pleraque Philippus ipse manu sua descripsit, caussamque bonam quibus potuit rationibus adiuuit. Plurimum tamen eo tempore in philosophiae studiis versata est Melanchthonis diligentia. Quae cum nugis tricisque detestandis ea aetate in academia Tubingensi mire discinderentur, tantaeque inter Nominales et Reales orirentur controuersiae, vt ad dimicationes quoque et pugnas haud raro partes discederent, concertationibus non tantum pertinacibus verborum, sed manuum quoque violentis; indignatus Philippus, contubernium bonarum artium et philosophiae studiis destinatum, in contentiosam inimicamque factionum acerrime praeliantium arenam conuerti, ad sananda ista dissidia, melioremque philosophiae sensum iuuentuti instillandum animum adiecit. Quod qua ratione fecerit, ita narrat CAMERARIVS [a]: *Philippus, qui certam docendi differendique rationem probaret, et Aristotelica in hoc genere primas tenere intelligeret, magnificas et splendidas et amplas alteras disputationes non amabat. Quamuis autem in verborum contentionibus suam sententiam ita assereret, vt aduersantes facile refelleret; id tamen eximia humanitate, et parata omnibus, qui vti vellent, opera perfecit, vt sua auctoritate inter sectas illas odia restinguerentur, et quamuis studia discreparent, voluntatum tamen maneret coniunctio.*

§. XLVII.

y) CAMERARIVS p. 16. WINSHEM. p. 290. ex his BAYLE et BAILLET. ll. cc.

z) Videndus ipse MELANCHTHON. Or. de Capnione T. III. Declam. p. 294. add. MAIVS Vita Reuchlini p. 148.

a) p. 22. 23.

Melanchthonis Vitebergam vocati merita de philosophia.

§. XLVII. Ita confecto per sexennium artium et philosophiae cursu in academia Tubingensi ad aliam literarum sedem munusque amplius Melanchthon vocatus est, cum eius dotibus et doctrina vti diuina prouidentia constituisset. Nempe cum academiam recens Vitebergae fundatam optimis et eruditissimis magistris ornare cuperet Fridericus Saxoniae dux et elector, cui a prudentia sapientis nomen haesit, isque anno MDXVIII in comitiis Augustanis Capnionem et per literas et coram interrogauisset, qua ratione nouae literarum sedi prospici conductis viris doctissimis posset, Melanchthon optimo principi a Capnione vehementer commendatus est, quippe quem ea doctrina illoque literarum cultu praestare nosset, quo non possint non ad scholam recentem magna ornamenta et vtilitas haud parua accedere [b]. Quo de consilio Capnionis digna sunt lectu, quae annotauit illustris SECKENDORFIVS [c]. Quamuis autem adhuc iuuenis esset Melanchthon, ita tamen iudicium Reuchlini apud principem valuit, vt postquam de eo conducendo ille cum Philippo egisset, is ad docendam linguam Graecam ab electore vocaretur. Cui vocationi, quae amplissimum Melanchthoni campum aperiebat orbi literato inseruiendi, paruit, inque ea vrbe VIII Cal. Septembris, vt obseruatum MELCH. ADAMO [d] appulit. Magnis iam eo tempore successibus vsa erat reformatio doctrinae a Martino Luthero instituta, qui eiectis indulgentiarum, quas vocant nundinis castiorem euangelii professionem reuocauerat: adeoque in theologiae studio cuncta nitorem spirare coeperant et emendationem prae se ferebant. Ast in philosophia artibusque liberalibus atra nox ingeniis adhuc incumbebat, cunctaque barbarie situque obduxerat. Cuius testem habemus αὐτόπτην WINSHEMIVM [e], narrantem, *adeo difficile fuisse huic calamitati mederi, cum omnia foeda barbarie ceu densa caligine obruta iacerent, vt multi barbarico coeno sepulti etsi propter principis auctoritatem palam aduersari minus auderent, tamen clam vel contemnerent, vel obtrectarent, deessent praeterea exempla Graeca, et officinarum typographicarum ministerium, ita vt auditores describere cogerentur propter exemplorum inopiam, quae explicabantur.* Neque haec ad solas literas Graecas et Latinas pertinebant, sed in philosophia quoque melior lux ingeniis non affulserat. Explicabatur enim *expositio magistri* PETRI TARTARETI *super summulas* PETRI HISPANI, *cum allegatione passuum Scoti doctoris subtilissimi*, cuius editionem procurauit Martinus Mellerstadius Pollichius, sumtus editionis suppeditauit ipse princeps elector [f]. Ex his de reliquis iudicari et ex hoc vngue leo cognosci potest. Valde haec philosophandi barbaries offendit Lutherum, qui quam male consultum esset

b) CAMERARIVS p. 24. 25.
c) Hist. Lutheranismi L. I. §. 33. add. 2. p. 44.
d) Vit. Theol. p. 330. SECKENDORF. l. c. p. 43. Non itaque hic primus fuit, qui hunc aduentus Philippi diem designauit, quod putauit COLERVS in Epist. ad Cel. HEVMANNVM Act. phil. Vol. II. p. 604. inserta, qua memoriam huius aduentus vir doctus recoluit.
e) p. 292.
f) Vid. ELSWICH. l. c. §. 8. p. 17.

esset ingeniis iuuenum philosophiam affectantibus, vt erat iudicio maximo, probe perspexerat, vt supra luculentis testimoniis demonstratum. Cum ergo Vitebergensibus Musis iunctus esset Melanchthon, mox amicitiam cum eo iniit vir magnus, illumque eo permouit, vt emendando quoque artium et philosophiae curriculo manum admoueret, eiectisque illis purgamentis Parnassi castiorem doctrinam et elegantiores libros introduceret. Quod licet innumeris, vti dictum, premeretur difficultatibus, intra paucos tamen annos, teste iterum, qui tum studiorum formandorum caussa ab ore Philippi pendebat WINSHEMIO, Philippus eam lucem non tantum linguarum, sed et ceterarum optimarum disciplinarum ibi extulit, vt vnius huius viri ingenio et opera haec schola facile ceteras in Germania academias celebritate superaret. Ipse vero Philippus cum manum operi admouisset, ad condenda noua et artium, et disciplinarum philosophicarum systemata animum adplicuit, illudque disciplinae philosophicae genus introduxit, quod in antecedentibus accurate delineauimus. Quod cum elegantia, ordine et perspicuitate se egregie commendaret, densa illa barbariei caligo, quae ingenia obsederat, suppressa, et doctrinae elegantioris lux restituta est. Ab eo tempore arctissima inter Lutherum illumque intercessit amicitia, qua communi cura laboreque restituendae veritati, profligandis erroribus, ordinandae ecclesiae, defendendae euangelii doctrinae, leuandisque, quae ex omni parte coetui puriori imminebant calamitatibus et periculis manus iunxere socias, et cum temperamento gauderent diuersissimo voluntatum tamen consensione et mira inter vtrumque concordia maximum illud saxum felicissimo successu voluerunt, quod ringente licet inuidia, immortalem fecit heroum incomparabilium memoriam [g]. De quibus tamen Philippi conatibus et laboris industria, ecclesiam quouis modo iuuandi, cum in annalibus ecclesiasticis dici soleat, pleraque etiam accurate prosecutus sit SECKENDORFIVS, hoc loco, vbi alia agenda sunt, nihil addimus. Illud tamen scriptionis nostrae scopus notare iubet, plurimum Lutheri profunditati et immenso, quo vtebatur, iudicio profuisse perspicuitatem et lucem illam ingenii, qua excellebat Philippus, eiusque elegantiam doctrinae soliditati Martini plurimum luminis addidisse. Quamuis audiendi non sint, qui Lutherum nobis barbarum et ab omni humaniori disciplina imparatum sistunt, contenduntque, Melanchthonem solum medicam manum Lutheri scriptis admouisse, elegantiam et dicendi nitorem addidisse, et ita lectori commendauisse, quod post alios insigni mendacio repetit HADR. BAILLETVS [h], ipsum enim Lutherum suo cortice nauauisse satis euictum est atque exploratum. Illud autem verum est, Lutherum consiliis Melanchthonis vsum esse, si quid sa-

g) Confer. quos laudat FABRICIVS Centifol. Luther. P. I. p. 436. P. II. p. 823. De hac amicitia extat Georgii Sabini epitaphium Melanchthonis:

Hic inuicte tuus, collega Luthere, Melanchthon
Non procul a tumulo conditur ipse tuo.
Vt pia doctrinae concordia iunxerat ambos,
Sic facer amborum iungit hic ossa locus.

h) loc. cit. conf. SECKENDORF. l. c. TEISS. Eloges T. II. p. 36.

crarum linguarum meditationi curaeque illius occurriſſet, cum Graece doctiſſimum eſſe Philippum optime noſſet, intelligeretque, quantis artium liberalium praeſidiis, quinimmo philoſophiae quoque copiis eſſet inſtructus. Et haec quoque cauſſa fuit, cur ad thraſonem Eccium in colloquio Lipſienſi aggrediendum oppugnandumque Philippum ſecum commilitonem adduxerit. In quo congreſſu cum linguarum et philoſophiae auxilio valde Eccium Melanchthon premeret, illi impatienter Philippi doctrinam ferenti has voces expreſſit: tace tu, Philippe, ac tua ſtudia cura, nec me perturba [i]. Ab eo vero tempore promouendae cauſſae Dei, doctrinaeque euangelii tum domi apud iuuentutem, tum foris in diuerſis eccleſiis diſſeminandae confirmandaeque totus inſudauit Philippus, et ore pariter ac ſcriptis pro euangelio ſtetit, calamumque haud raro, vt in ipſis comitiis Auguſtanis anno MDXXX factum, commodauit, conuentibus plurimis interfuit, et nihil non cum Luthero egit, quod tanto negotio inſeruire poſſe intelligebat. Quae tamen enarrare omnia, et indefeſſa tanti viri in rem ſacram et eccleſiam ſtudia deſcribere huius loci haud eſt. Neque tamen magnis rebus intentus, artium et philoſophiae curam abiecit, ſed quam ſemel reſtituere coeperat diſciplinarum elegantiam augere, polire, emendareque contendit: Teſtem damus, iuſtum eius rei et intelligentem arbitrum IOACH. CAMERARIVM [k], ita de Melanchthone ſcribentem: *Scholaſticorum doctrinam publice priuatimque aſſiduo exercebat Philippus Melanchthon, optimarum artium ſtudia confirmando, et expoliendo, ordiens ab horum quaſi pueritia, et progrediens ad vltimam velut aetatem, id quod annis aliquot perfecit, vt initium cum fine denique coniungeretur et coiret, et omnis iſta tractatio orbe vno comprehenſa abſolueretur, cuius Graecum nomen eſſe placuit* ἐγκυκλοπαιδείαν. Quod conſilium vt exequeretur, et ipſe quidem iuuentutem in collegiis manu fideliter duxit, et per diſcipulos quoque, quos in iſto ſtadio feliciter currentes educauerat, duci curauit, et habitis frequenter declamationibus, ab aliis plerumque recitatis, et iunctim poſtea laudabili conſilio editis [l], de diſciplinarum et philoſophiae ſtudiis pulcherrime diſſeruit. Quae orationes imprimis illis legendae ſunt, qui, quae magni viri de artibus et philoſophia et de libris ſcriptorum veterum optimis, ſententia atque iudicium fuerit, intelligere cupiunt. Eleganter enim, et doctiſſime, magnaque perſpicuitate de grauiſſimis argumentis diſſeruit, et conſilia vbique inſperſit luculenta et vtiliſſima, et eam quoque philoſophicae hiſtoriae notitiam haud raro exhibuit, vt facile pateat, optimis ſubſidiis inſtructum ad philoſophiam eum acceſſiſſe. Vnde non ineptum laborem ſuſcepit GEORG. RICHTERVS, eccleſiaſtes Gorlicenſis, qui iudicia ſcholae Melanchthonis [m], ex

i) WINSHEM. l. c. p. 294.

k) pag. 57.

l) Prodiere quinque tomis Argentorati et Vitebergae ab an. 1544. ad an. 1565. editis. Acceſſere poſtea Tomus VI et VII 1571. 1586. vid. VEN. VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 385. Bibl. Hamburg. Hiſtorica Cent. II. p. 141 ſeqq. Cent. III. p. 140 ſqq.

m) Titulus integer libri infrequentis hic eſt: Iudicia florentis ſchola Melanchthonis de lectione bonorum auctorum, in omni genere diſcipli-

ex his declamationibus collegit, ex quibus ingenium Melanchthonianum suis facile coloribus discerni, et quantus in his quoque literis vir fuerit, cognosci potest. His vero artium et disciplinarum restituendarum studiis Philippi debemus Compendia philosophica ab eo emissa, *Dialecticae*, *Doctrinae moralis* et *physicae*, itemque *de Anima*, quorum innumerae fere prostant editiones. In quibus epitomis philosophicis fatetur, *se*, *includere in artium et methodi septa; nullum fere quoque suorum librorum, praesertim philosophicorum esse integrum ac absolutum; ast se commodum iuuentutis respicere* monuit [n], *idque in scholis quaerere: et quanquam ipse multa in suis desideret, ac deesse agnoscat, ex ingenii sui tarditate, iniuriis fortunae, et aularum quoque debilitate atque otii penuria: tamen minus poenitere laborum, si superiorum annorum cogitet insciti am.* Quam excusationem veram esse et magnopere pro Philippo valere, aequus iudex facile concesserit. Maxime vero inter labores philosophicos curae fuit Melanchthoni, dialecticam perficere, eamque ab inutilibus Scholasticorum tricis et nugatoria subtilitate ad vtilitatem scientiarum omnium traducere [o]. Ante Philippum enim vt vbique fere, ita in academia Vitebergensi quoque tota dialecticae disciplina inanibus strophis et inutilibus cauillationibus absoluebatur. Id quod memorabili WINSHEMII [p] loco illustramus, eo quod statum philosophiae eo tempore, quo eius emendationem suscepit Melanchthon clarissima in luce ponant. Ita vero ille: „Extant ab Aristotele scripti in dialectica libri multi, qui communi nomi„ne et titulo inscribuntur, Organon logicum, quorum alii de aliis artis „partibus agunt, sed cum in his tantum sit caliginis et tenebrarum, vt „superior aetas, quae Aristotelicae doctrinae pene plus, quam verbo Dei, „dedita fuit, se inde euoluere non posset, accidit, vt multi huic malo me„deri, et his tenebris lucem aliquam afferre conarentur. Hi vero cum „linguarum et dicendi artium adminiculo destituerentur, et in barbarico „coeno sepulti ac infantes essent, nec scribendi aut dicendi vsum vllum „haberent, non modo hoc non potuerunt efficere aut consequi, Aristo„telicas tenebras vt illustrarent, sed et has ipsas tenebras ipsi maioribus „tenebris, et ambagibus inuoluerunt atque obscurarunt. Ita accidit, vt riui „fontibus magis turbidi ac limosi essent. Hoc in numero cum alii multi „(fuit enim haec praecipua scholarum doctrina eius aetatis) tum et Tar„tareus recensetur, eum vt praesentem Deum haec schola ante aduentum „Philippi coluit, de quo, vt venuste, ita vere lusit quidam:

Tartara quod vincis et coecae nubila mentis
Nomen conueniens ergo libelle tenes.

 „Reuera

sciplinarum, in quibus infinitae regulae studiorum adolescentiae continentur; collecta ex tomis intimationum, declamationum, epistolarum et praefationum Philippicarum et ex aliis Philiphilipporum didacticis et orthodoxis scriptis in vsum iuuentutis scholasticae, Viteb. 1592. Isleb. 1597. quae editio titulum habet: Crises Melanchthonianae vid. de hoc libro STRVVIVS Introd. in Hist. lit. p. 397. WOLF. Praef. ad Casaub. §. 7. p. 10. TEISSIER Elog. T. II. p. 50.

n) Epist. L. I. p. 350. ADAM. Vit. theol. p. 361.

o) Conf. Praef. Erotem. dialect. p) p. 298.

„Reuera enim denſa caligine et tenebris plusquam tartareis inuoluti ſunt „illi commentarii. Accidit igitur in ſcholis tunc verſantibus, quod acci„dere neceſſe fuit, vt cum totam vitam in hac pene ſola arte conſumerent, „ad eius tamen cognitionem nunquam peruenirent. Sed in puerilibus et „ſpinoſis altercationibus Scholaſticis tempus ſine fructu terebant. Cum„que proprium ſit huius artis officium, has duas virtutes, vt inſtruat nem„pe, vt iudicium formet, et fontes inuentionis oſtendat, ipſa vtraque hac „virtute penitus deſtituebantur. Ad iudicandum enim magis inepti erant, „quam vel vlli idiotae, inuentionis autem ne nomen quidem norant. „Inanibus tantum rixis inter ſe certabant. Socratesne an Plato curreret, „ita miſere tota illis vita labore inani ſine fructu conſumebatur". Hactenus ille; ex quo teſtimonio patet, ſatis magna fuiſſe merita ſummi viri, *quod*, vt hoc eiusdem ediſſeramus verbis, *haec laborioſiſſima et fideliſſima apicula peruolauerit per vniuerſos doctrinarum campos, atque inde ex variis ſcriptorum floſculis lectiſſimum et dulciſſimum fructum in ſauos digeſſerit.* Id enim potiſſimum reſpiciebat Melanchthon, vt miſſis inutilibus nugis et ſuſceptis ſine fructu diſputationibus dialecticae Peripateticae praecepta ad verum, quem in diſciplinis reliquis habere poſſunt vſum transferrentur. Vnde iterum laudatus Philippi Encomiaſtes, iudicauit, „ſi nullo alio orbem philoſophicum beneficio praeceptor affeciſſet, quam „quod vel vnam hanc diſciplinam in tam luculentum, diſcentibus com„modum, et obuium compendium, atque in vnum quaſi corpus contu„lerit, et hanc lucem huic reginae ac gubernatrici diſciplinae praebuerit, „quae antea in tenebris plusquam Tartareis, quam alte et ſecure ſedebat; „tamen vel ob hoc vnum beneficium ei non poſſe pro merito gratiam re„ferre totam in aeternum poſteritatem. Agnoſcere haec multos aliis in „locis viros doctos et bonos, proque hoc beneficio, quod Ariſtotelici „pelagi fluctibus erepti ſint, Deo gratias agere, et frui hoc beneficio di„uino ea, qua bonos ac pios decet pietate ac gratitudine". Quae licet nimia forte dicta queant videri, facile tamen ferri et admitti poſſunt, ſi eum prioribus et inutilibus dialecticae artis vitilitigationibus Melanchthonis comparetur dialectica. Quae cum vitae et diſciplinarum vſibus eſſet adaptata, vniuerſi orbis philoſophici plauſum meruit. Cuius memorabile exemplum narrat IOANNES MATHESIVS [q], qui eo tempore vixit, et ab horum virorum ore pependit: magnum quendam virum, in academia Viennenſi libere faſſum eſſe, quamuis ſaepiſſime legerit Petrum de Span, nec ſe tamen nec collegas ſuos ſciuiſſe, quid ſit medius terminus in ſyllogiſmo, donec rationem eius ex Philippi dialectica didiciſſent. Valde vero Philippo philoſophanti profuere diſciplinae mathematicae, quas eum a Stoeffelero in Tubingenſi academia didiciſſe ſupra memorauimus. Quod cur ſuſceperit, quodque ab artibus mathematicis auxilium philoſophiae ſperandum eſſe putauerit, cum ipſe in Declamatione *de Mathematicis*

q) Conc. de Vita Lutheri p. m. 65. a.

ticis disciplinis r luculenter expoſuerit, eum ipſum adire lectorem iubemus. Qua ratione vero hunc in finem academiae ſtudia ornauerit, et imprimis ſiderum cognitionem, accerſito eam in ſcholam Caſpare Bornero promouere ſategerit, apud CAMERARIVM s legi poteſt. Omnium vero maxime in Melanchthone laudandum eſſe exiſtimamus, quod philoſophiae facem praetulerit hiſtoriam; cuius luculenta paſſim exhibuit ſpecimina. Cum enim per omnis aetatis ſcripta apis inſtar vagando, vtiliſſima quaequae magno iudicio decerpſiſſet, et in vnum quaſi horreum congeſſiſſet, ex veris fontibus omnem philoſophiae hiſtoriam magno collegit digeſſitque acumine. Nec errabimus magnopere a ſcopo affirmantes, omnem aetatem Scholaſticorum ſimul ſumtam vni Melanchthoni in philoſophiae hiſtoria concedere debere, nec eius lumina attingere. Cuius ſi quis exempla cupiat, luculenta iucundaque inter declamationes haud pauca inueniet; vna vero *de Studiis veteris philoſophiae* oratio, quam ex calamo Philippi pronunciauit gener ſoceri eruditione in hoc quoque argumento non indignus Caſpar Peucerus, ſatis demonſtrabit, quam egregie Philippi doctrinam adiuuerit veteris philoſophiae cognito. Ex his vero, quae pro inſtituti ratione differuimus, ſi iis iungantur, quae in antecedentibus de philoſophandi methodo Melanchthoniana prolixe attulimus, facile de ipſa Philippi philoſophia iudicium formari poterit. Si enim vel ipſam viri ſummi ſtudiorum rationem, vel docendi, quam adumbrauimus, methodum, vel diſcipulos intueamur, ſole meridiano clarius conſtabit, non ſine vrgente ratione nos Melanchthonem inter Ariſtotelicos γνησίως tales retuliſſe, eique primum inter Proteſtantes locum recte tribuiſſe. Non diffitemur, Melanchthonem quidem Heidelbergae Tubingaeque Peripateticam doctrinam edoctum, plurimum ſibi ſatisfeciſſe viſum eſſe, quod ex Graecis Ariſtotelis interpretibus pulchriora quaedam centonibus Scholaſticis didiciſſet: cum autem ex Tubingenſi academia in Vitebergenſem euocatus eſſet, ibique contracta cum Martino Luthero amicitia, eiusque iudicandi vim admiratus audiuiſſet, quam ſtrenue ille in Ariſtotelem Scholaſticum inueheretur, ſimilia ſtatuiſſe, cumque magna, quae ex illa labe in eccleſiam redundauerant detrimenta damnaque intellexiſſet, ſatis dure de Ariſtotele fuiſſe locutum, ipſamque Lutheri ſententiam diſerta apologia defendiſſe t. Id enim *capite huius libri primo* euidenti teſtimoniorum nube ipſi demonſtrauimus. Nec id magnopere mirabitur, qui, vel ſummam, qua iam tum potiebatur Lutherus auctoritatem, ingentemque, quo in emendandam eccleſiae doctrinam ferebatur feruorem cogitauerit, vel expenderit, Melanchthonem vix viginti vniusque annorum aetatem ſupergreſſum, et ingenio ſubtimidum, nouum quoque in iſtis ſedibus hoſpitem, attemperauiſſe ſe eorum moribus, quos vigere eo in loco videbat. Vnde factum, vt in diſputatione quadam

r) T. III. p. 239 ſeqq. vbi Io. Regiomontani vitam enarrat. Laudatur ideo Vossio de Scient. math. p. III.

s) p. 75. 76. ADAM. Vit. phil. p. 197.

t) Conf. BAYLE l. c. not. K.

dam primo isto aduentus sui tempore habita Aristotelem vaniſſimum ſophiſtam vocare non erubuerit [u]. Ideo inter Aristotelis aduersarios Melanchthonem referre non dubitauit RAPINVS [x], recte ideo notatus clariſſimis viris P. BAYLE [y] et G. STOLLIO [z]. Verum mutauiſſe cito Melanchthonem animum, vel, quod rectius dicitur, priſtinam mentem illi rediiſſe, omnino, niſi fallimur, dicendum eſt. Nam vt alia ſententia, et diuerſa, a Luthero opinione ducebatur, putabatque, non tam ipſum Aristotelem Graecum, quam Scholaſticum a Luthero damnari, inique vero ferendum eſſe recte ſtatuebat, imperium Aristotelem in theologia obtinere, id quod haud contemnendis rationibus contra Didymum Fauentinum ipſe demonſtrarat: ita, ſi haec ab Aristotele ſeparentur, ſatis ferri eum poſſe iudicabat, ratus, fore, vt ſi Aristoteles ſibi reddatur, libereturque a ſeruitute Scholaſticorum intraque philoſophiae cancellos redactus a liminibus theologiae arceatur, emendentur quoque, quae impia atque profana eius ſyſtemati ineſſent, res omnis in vado ſit, nec periculum eccleſiae ab eo metui debeat [a]. Qua opinione ſemel concepta cum ipſum Aristotelem eiusque interpretes Graecos legiſſet, non deſperandum eſſe iudicauit, vt ex ipſo Aristotele pulchrior reſtituatur philoſophiae facies. Quamuis autem eclecticam philoſophandi methodum melius ſubſtituiſſet, cauſſis tamen, quas ſupra enarrauimus impeditus, et praeiudicio ſectariae philoſophiae quaſi compedibus vinctus, a tramite Peripatetico diſcedere non potuit. Qua in ſententia mire confirmatus eſt, cum hominum ineptorum, qui Anabaptiſticos errores diffeminabant, furoribus omnem eiici philoſophiam, omnemque accurate ratiocinandi artem pedibus conculcari, inque hoc ignorantiae aſylo praeſidium deteſtabili fanaticiſmo quaeri cerneret. Ex his enim ſui temporis circumſtantiis recte inferebat vir prouidus et ſupra modum acutus, opus eſſe philoſophia quae artem ratiocinandi traderet, iuſtisque limitibus animum coërceret, et prudentem ſtatuendi rationem doceret. Id quod ex illis, quae ſupra diximus, et ex parte quoque a CAMERARIO [b] tacta ſunt, certum eſt atque indubitatum. Huius vero generis Aristotelicam philoſophiam eſſe, Melanchthon iudicabat, in qua doctrinam de methodo eleganter tradi, eam autem in reliquis ſectis negligi cenſebat, hincque valde Aristotelicam dialecticam commendabat: vt ex *praefatione ad Erotemata dialecticae* liquet [c]. Non quidem ea mentis caligine oppreſſus Melanchthon putandus eſt, vt eclecticam philoſophandi rationem, quae veritates per ſectas diſperſas colligit, et in vſum vertit contemneret. Alia eum praecepiſſe, ſupra iam memorauimus, et notabili loco monet [d]: *Nolo philoſophando quenquam nugari: ita enim fit, vt communis etiam ſenſus obli-*

ui-

u) Vid. Relat. innoc. 1705. p. 659. Act. philoſ. Vol. II. p. 594.
x) Reflexions ſur la philoſophie p. 451.
y) loc. cit. not. (K)
z) Hiſt. lit. P. II. c. 1. p. 394.
a) Conf. SECKENDORF. L. I. p. 108.
b) pag. 47.
c) Faſſus id eſt CARAMVEL Theol. rat. T. II. p. 42.
d) De Studiis corrigendis T. I. Declam. p. 506.

uiscare. Sed ex optimis optima selige, eaque cum ad scientiam naturae tum ad mores formandos attinentia. Ea in sequentibus pluribus commendat, huicque fini obtinendo adhibendam esse eruditionem Graecam suadet, legique theologos, historicos, oratores, poëtas cupit, ita tamen, vt rem quisque ipsam adsequatur, non vmbram rerum. Huic vero scopo inseruire posse putat, et valere plurimum iudicat Aristotelis moralia, leges Platonis, Homerum fontem omnium disciplinarum, Virgilium ac Horatium. Quae omnia in sequentibus mira eruditione explicat, dignus qui ipse legatur, cum optima consilia suppeditet. Verum non haec ita ad rhombum applicuit Melanchthon, vt sectariam philosophiam omnem deserendam esse statueret; cui et obstabat temperamentum Philippi timidum, placidoque quidem animi motu profluens, at ad concipiendas maiores concitationes mentis, quas philosophiae emendatio poscebat, ineptum; et impediebat consilium exemplum maximorum virorum, qui cum philosophiam a barbariei iugo liberandum suscepissent, in sectaria tamen philosophia perstiterunt. Satis itaque philosophantium coetibus, quin et ipsi ecclesiae consultum esse vir optimus censebat, si collata philosophia, quam ex sectis optimam elegisset, cum scriptura sacra, illius defectum ex huius plenitudine suppleret emendaretque. Id enim diserto testimonio euincunt *Theses publicae* ventilationi a Philippo *anno MDXLII* expositae, quas ex tenebris iterum protraxit B. Io. Chr. Colervs[e]; inter quas *vigesima* haec praecipit: *Prodest studiosis erudita collatio philosophiae et doctrinae, quam Deus de sua voluntate et de vita perpetua tradidit ecclesiae.* Quae si cum antecedentibus comparentur, clare demonstrant, supplementa Philippum philosophiae atque emendationem ex reuelatione quaesiuisse. Cum itaque certum statutumque esset, Melanchthoni in sectaria via philosophari, delectu inter sectas Graecanicas habito, ad Aristotelicam velut optimam peruenit, cum se illi reliquae non probauissent. Valde vero contemnebat, et velut inimicas Christianae ciuitatis decretis damnabat sectas Epicuream et Stoicam, nec meliora dare incertitudinem Academicorum iudicabat. Ita enim satis luculenter [f] *reliquae sectae plenae sunt sophisticis, et absurdarum et falsarum opinionum, quae etiam moribus nocent. Nam illae hyperbolae Stoicorum sunt omnino sophisticae, bonam valetudinem, opes et similia non esse bona. Commentitia est ἀπάθεια falsa et pernicioſa opinio de fato. Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat, omnia casu extitisse, tollit primam causſam, et dissentit in totum a vera physicorum doctrina. Fugienda est et academia, quae non seruat methodum, et sumit sibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere studeant, hos necesse est multa sophistice colligere.* Restabat itaque Pythagoreo-

e) Act. phil. l. c.

f) De Vtilit. phil. T. I. p. 353. conf. T. II. p. 360.

goreo-Platonica et Aristotelica secta. Quamuis autem Platonem tum ob doctrinae vbertatem, tum ob praeclaras de Deo diuinisque sententias magni faceret, eumque a doctis viris diligenter legendum esse contenderet, vt ex elegantissima declamatione, qua *Vitam Platonis* descripsit, et obseruationes insperſit prorsus egregias, constat, praeferendum tamen Aristotelem esse statuit ob ordinem et methodum. Duobus ea de re locis mentem suam aperuit Philippus, nempe in *Vita Platonis* [g] et in *Vita Aristotelis* [h]. Vterque legendus et comparandus cum altero, vt de vera Melanchthonis mente constet. Dabimus ipsa viri magni verba, vt euoluendi taedio lectorem liberemus, praesertim cum satis rara sint declamationum Philippi volumina, nec vbique, praesertim extra Germaniam occurrant [i]. In priori vero ita differit: *Cum eam, quam toties Plato praedicat methodum, non saepe adhibeat, et euagetur aliquando liberius in disputando, quaedam etiam figuris inuoluat, ac volens occultet, denique cum raro pronuntiet, quid sit sentiendum, assentior adolescentibus potius proponendum esse Aristotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras, et methodum simpliciorem, ceu filum ad regendum lectorem adhibet, et quid sit sentiendum plerumque pronuntiat. Haec in docentibus vt requirantur, multae graues causſae sunt. Vt enim satis dentibus draconis a Cadmo seges exorta est armatorum, qui inter se ipsi dimicarunt, ita, si quis serat ambiguas opiniones, exoriuntur inde variae ac perniciosae dissensiones.* Et post pauca subiicit: *Cum afferet lector Aristotelicam methodum, facile quasi intra certas metas includet eas res, quae apud Platonem late dissipatae sunt. Et hanc fuisse Aristoteli causſam arbitror, cur methodum adeo exiliter consectaretur, vt ea, quae a Platone acceperat collecta, et quadam oeconomia atque ordine distributa, posteris integre traderet. Etsi quaedam limare etiam ac corrigere voluit, rerum tamen in summa non magna est dissimilitudo. Nec difficile est prudentibus videre, vter in qua parte praestet.* Haec in sequentibus pluribus explicat, et in moralibus potissimum Platonem probat, inque iis Aristotelem illius vitulo arauisse ostendit. Verum in Aristotele laudat, *quod dialectica integra sint, et physica sint eruditius inchoata ab ipsis laribus, hoc est, a primis initiis et perducta ad descriptionem naturae animalium; ethica etiam simplicius tradantur.* Inde orationem hoc epiphonemate claudit: *Amemus igitur vtrumque, et cum in Aristotele mediocriter versati fuerimus, alterum etiam propter politicas materias et propter eloquentiam legamus. Habet suos quosdam locos, propter quos eruditos delectare potest. Disputat enim satis grauiter de immortalitate animorum humanorum et philosophiae finem vbique constituit, agnitionem DEI.* Egregie quoque in fine monet, *prudentiam adhibendam esse in discernendis doctrinarum generibus, et explodendos esse ineptos illos, qui offundunt caliginem euangelio, immo obru-*

g) T. II. p. 370. h) T. III. p. 351. i) Vid. Crenius Animadu. philol. P. I. p. 13.

obruunt ac delent euangelium, cum transformant in Platonicam philoſophiam. Haec illo loco Melanchthon ſatis dilucide et erudite. Altero loco, poſtquam vitam Ariſtotelis ſimili eruditione et iudicio enarrauiſſet, de genere philoſophiae ſe dicturum promittit, cur Ariſtotelicum maxime nobis in eccleſia vſui eſſe arbitretur. *Conſtare* putat *inter omnes, maxime nobis in eccleſia opus eſſe dialectica, quae methodus recte informat, quae dextre definit, iuſte partitur, apte connectit, iudicat et diuellit monſtroſas connexiones. Hanc artem qui non norunt, lacerant materias explicandas, vt catuli panniculos. Huius artis praecepta nuſquam tradere Platonem* monet. Inde Ariſtotelicae philoſophiae commendationem auſpicatus pergit: *Carere Ariſtotelis monumentis non poſſumus. Stoica non extant, et adparet intricatos labyrinthos et corruptelas artis fuiſſe, non ſimplicem differendi viam, vtilem explicationi magnarum rerum. Venio ad phyſica. Haec etſi inchoat in Timaeo Plato, tamen ita inuoluit numeris, et aenigmatibus, vt vaticinari potius, quam docere videatur. Ariſtoteles artificioſe deducit nos ad aſpiciendam naturam certo ordine, prima ſumens exordia ex geometricis demonſtrationibus, quae oſtendunt, mundum finitum eſſe. Hac hypotheſi conſtituta, totam rerum molem partitur. Tandem hominis et animalium deſcriptiones addit: et vt homini proprias actiones attribuet, adiicit ethica, in quibus virtutum cauſſas et ordinem in natura quaerit. Nec ego nego, plurima apud Platonem ethica reperiri ſapientiſſime cogitata. Sed ſermones ſunt ambigui, multi, diuerſis locis ſparſi, quidam etiam in ſpeciem abſurdi. Minime vero exemplum vtile eſt in eccleſia, adſuefacere ingenia ad hanc diſputandi licentiam, vt abſurda defendantur, vt labefactentur certa, vt ambiguis opinionibus ſerantur certamina. Academiam igitur Pyrrhonis relinquamus, ac ſimpliciorem philoſophiam amemus, quae non ludit inanibus praeſtigiis, ſed res vtiles monſtrat, et proprie ac diſerte, quod vult, exponit, ac ſcapham dicit ſcapham.* Adeo luculenter pulchreque mentem ſuam de Platonis et Ariſtotelis philoſophia, curque hanc illi et ordine et iudicio praeferendam, eam autem non abiiciendam, ſed conciliandam cum Ariſtotele putet, exponit, vt prolixius his inhaerere, et maiori verborum ambitu Philippi ea de re ſententiam explicare non ſit opus. Ex his vero ſimul collectis, tandem definiri iuſto fundamento licet, cur Ariſtotelis philoſophiam aliis ſectis Melanchthon praetulerit. Nempe ſectam eligendam eſſe, credebat neceſſarium. Clara enim ſunt verba eius [k]: *Mihi ad mores conducere videtur, eligere ſectam, quae ſtudium habet non rixandi, ſed inquirendae veritatis, deinde quae amat moderatas opiniones.* Non ignorabat porro, cuiuis ſectae ſuos eſſe errores, eosque emendandos: aſt aliam ſectam plus, aliam minus errorum habere, et Peripateti-

k) De Vtil. philoſ. T. I. p. 334. Ex his diiudicanda, quae differit ELSWICH l. c. §. 15. p. 41.

cam minus, quam ceteras errare sibi persuadebat [l]. Deinde requirebat potissimum in ecclesia talem philosophiam, quae methodum, et ordinem atque perspicuitatem suppeditaret et iuuaret. Eam autem solam Peripateticam esse censebat. Quae autem in Aristotelis philosophia desiderabantur, ea partim ex sacris reuelationis paginis emendari, partim ex Platone vel ex aliis quoque sectis suppleri posse iudicabat: exque his omnibus necessitatem et vtilitatem philosophiae Aristotelicae concludebat, quamuis sobrie in ea versandum esse prudenter statueret. Talia cum de philosophiae studio sentiret, iuuentuti quoque illud sectanti identidem inculcauit, et Aristotelem, reiectis impuris Scholasticorum chartis, ipsum legendum esse monuit. Qua de re laudatae Orationes, et imprimis illae, quae *de Studiis corrigendis*, *de Vtilitate philosophiae*, et *de Veteri philosophia* differunt, legendae sunt. Ita et iudicio proprio formabatur Melanchthonis sententia de doctrina Peripatetica, et exemplo magnorum virorum confirmabatur, et, quod non sine verisimilitudine suspicamur, amicorum, quos celeberrimos et eruditissimos habebat, consilio comprobabatur. Contulit etiam aliquid ad eligendas has partes amor elegantioris literaturae, et humaniorum disciplinarum, quas in philosophia Peripatetica locum aptius et facilius inuenire, quam in ceteris philosophiae generibus, seculum XVI vnanimi fere sententia iudicabat. Nec ipsa quoque animi et temperamenti Melanchthoniani conditio et natura hoc loco praetereunda est. Quo vsum fuisse sanguineo-melancholico facile ex characteribus virtutum et vitiorum, quae illi, vt erat homo, adfuerunt, intelligi potest, et vel sola credulitas, et inclinatio quaedam ad superstitionem, amore astrologiae iudiciariae proditam, item timiditas, et studium se diuersis attemperandi partibus, dicendi porro copia et perspicuitas, cum magna quadam laboris molestiaeque patientia, et quae his sunt similia indicant, passim quoque annotata a CAMERARIO. Temperauisse hanc mixturam animi bonitatem et rectitudinem, vt egregiae inde animi qualitates exsurgerent, laudatissimi viri testatur historia, nec ringens inficias ire potest inuidia: fatendum quoque, plurimum eum hac lenitate sua interdum ecclesiae profuisse [m], quanquam praeter opinionem mala inde haud pauca saepius quoque coorta sunt, vt ab aliis demonstratum [n]. Id autem nemo negauerit, qui paulo accuratius intelligit, quo animo quoue temperamento vere heroico oporteat esse illum, qui philosophiam emendare et ad veros atque genuinos reuocare fontes cupiat, aliam prorsus animi indolem, et fortitudinem, atque excelsam quandam et inuictam vim mentis requiri, quam in Melanchthone fuit: qui, si modo vtilitatem publicam detrimentum haud pati intelligeret, facile passus est vetera loco suo non moueri, et concedendum quid

l) Ita in istis Thesibus, de quibus supra dictum, Act. Philos. l. c.

m) Vid. WINSHEM. l. c.

n) Vid. Io. FRID. MAYERI Diss. de nimia lenitate Phil. Melanchthonis Gryphsw. 1707. 12. add. quos nominat FABR. Centifol. Luth. P. I. §. 156. p. 437. Ipse tamen Lutherus patienter eam ferebat: Vid. IDEM P. II. p. 826.

quid esse temporis difficultati et hominum opinionibus statuebat. Quae vt quendam animi lentorem et timiditatem, toties Melanchthoni obiectam produnt, ita satis causſam produnt, cur non cum doctrina euangelii o), philosophia quoque a tanto viro, his instructo dotibus naturae ac ingenii emendata sit, et Aristoteles pristinum obtinuerit imperium. Tacemus innumeros labores, quibus non distrahi modo, sed frangi penitus vim ingenii Philippi oportuit. Cum enim domi assidue praelegeret, tot consultationibus interesset, tot itinera susciperet, post mortem Lutheri vero, qui ingenti spiritu ac vi mentis imbecillitatem Philippi toties sustentauit et erexit, solus cum innumeris aduersariis conflictaretur, et exhaurirentur spiritus controuersiis synergisticis, adiaphoristicis et similibus: mirum non est, nec emendandae philosophiae, et nec Aristotelicae quidem perficiendae eum suffecisse, ipsumque fateri debuisse, imperfecta esse, quae in philosophia molitus sit. Quae quidem immortalibus meritis viri summi, cuius merito grata apud posteros esse debet memoria, quod Germaniam nostram barbariei coeno sepultam erexit, et literarum illi lucem restituit, nihil derogant, eo quod multa tamen, si cum prioribus compares, atque egregia praestiterit, nec vnius hominis sit, in omnibus primas tenere: at euincunt etiam, Melanchthonem interpretem magis Aristotelis, quam philosophum, vel philosophiae reformatorem fuisse, nec inter primae magnitudinis stellas in coelo philosophico posse numerari. Qua de re cum acute iudicauerit Cl. Hevmannvs p), allatis quoque Lutheri et Scaligeri de Melanchthone censuris, eum adiri ipsum a lectore velimus. Laudandus tamen Melanchthon est, quod barbariem Scholasticam perosus nitidiorem philosophiae vultum restituere conatus sit, et philosophum totum deformem a Scholasticis tricis redditum sibi restituerit, commendandus adhaec magis, quod omissis λεπτολογίαις et philosophandi exilitate, quam vbique sectatur Aristoteles, ad communem, quem philosophia in vita ciuili inque disciplinis reliquis praestat vsum respexerit, et praecepta philosophiae, omissis disputationibus otiosis, ad solam ingenii gloriam aucupandam comparatis, vitae inseruire coëgerit. Quin et in eo quoque laudandus est, quod philosophumena sua eruditionis colore tinxerit, omnisque doctrinae ornatu expoliuerit, perspicuitatem autem seruare discipulos docuerit: quorum eam imprimis virtutem fuisse in antecedentibus pluribus exposuimus. Quae omnia satis, nisi nos egregie fallimur, euincunt, non exiguam esse Philippi in historia philosophiae gloriam, quamuis cum aliis, qui se heroës praestiterunt, comparari illisque aequiparari non possit. Immitius itaque cum Melanchthone agunt, quanquam diuerso prorsus scopo ducti Godofredvs Arnoldvs q), et Christianvs Thomasivs r), qui acriter in Melanchthonem inuehuntur, quod Aristotelem a Luthero

o) Nempe in ea emendanda strenuum ducem habebat Lutherum, in philosophia neminem.
p) Act. phil. Vol. I. p. 601. Vol. II. p. 600.
q) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVI. c. 10. §. 18. 19. 20. p. 113 seqq.
r) In Cautelis p. 89.

ex ecclesia eiectum, per posticam iterum admiserit, et in commendanda philosophia eius tam sedulus fuerit. Nam si concedimus, passum fuisse Philippum ea in re humani aliquid, indignum tamen viro de ecclesia literisque egregie merito tam acerbe et iniurioſe ea, cum obliuione amoris et modestiae Christianae obiici: vt taceamus, facilius ferri posse, mutilam et luscam nobis reliquisse Melanchthonem philosophiam, quam nullam, sicque quod tenebriones nonnulli volunt, excoecato vtroque mentis oculo passum fuisse, vt insanae et emotae mentis somnia pro diuinis eloquiis nobis obtrudantur, quae, ratione face praeferente, velut ignes erratici dissiliunt et euanescunt. Ceterum vita et Christiana et fere philosophica vsus est Melanchthon, cumque corpore valde infirmo sustentaretur, moderatione tamen, temperantia, ordineque victus accurato vitae incommoda facile tolerauit, animi vero bonitate, rectitudine et humanitate, beneficentia quoque et ἐπιεικείᾳ se philosophum esse vere ostendit; licet lenitatis et timiditatis culpam non effugerit. Obiit morte vere pia et Christiana anno aetatis climacterico, XIII Cal. Maii A. S. R. M D LX, relicta immortali pietatis, doctrinaeque fama apud posteros [s].

§. XLVIII. Haec pro philosophiae Peripateticae incrementis Vitebergae a Melanchthone gesta sunt: idem saxum Lipsiae voluit Ioachimus Camerarius, de quo cum iam supra dictum sit, plura hic addere, ne iusto prolixiores simus, haud licet. Post hunc omnis eruditionis veteris promum-condum de Peripatetica philosophia Lipsiae praeclarissime meruit SIMON SIMONIVS. Quamquam autem celeberrima eius viri eruditio fuit, vitae autem fata miris vicissitudinibus et ambigua fama valde memorabilia, paucae tamen sunt et disiectae quasi tabulae, quae de eo passim reperiuntur. Fragmenta historiae eius literariae collegit licet imperfecta satis P. BAYLE [t], quo centone contentos oportet nos esse, donec, qui libros infra nominandos, albisque coruis rariores euoluendi occasionem habent, ampliora suppeditent. Patria fuit Luccensis, quo vero anno, quibus parentibus editus, qua in schola philosophiae artisque salutaris praeceptis imbutus fuerit, ignoramus. Illud vero ex libris eius constat, non modo Graecae et Latinae linguae, sed et philosophiae Aristotelicae atque medicinae mysteria accurate [u] et profundius quam plerique solent, perspexisse. Cum autem vel Peripateticismi apertius profitendi cupiditate, vel dubiis, quae contra Romanae ecclesiae doctrinam fouerat, vel naturali ad mutationes et vicissitudines inclinatione, vel persecutione aduersariorum ob suspectam in religione fidem (veram enim ex his causſam definire

Simon Simonius.

s) Vid. ex multis SECKEND. L. I. §. 34. p. 43. POPE-BLOVNT. Cens. cel. auct. p. 615. TEISS. Elog. T. II. p. 25. BAYLE l. c. MAGIRVS Eponymol. crit. p. 581. qui iudicia doctorum virorum de eo collegerunt.

t) Dict. T. IV. Art. Simon Simonius p. 216.

u) Aliter quidem de eo iudicat Schegkius et infantiam in phil. Aristotelica illi obiicit, parum autem fidei esse aduersario conuicia conuiciis pensanti, notum est. Certe academia Lipsiensis in progr. fun. Io. Neldelii apud WITTEN. Memor. phil. T. I. p. 57. Virum vocat „exquisiti „iudicii, et ob philosophicarum et medicarum „rerum cognitionem celebratissimum.

definire deficientibus nobis monumentis non licet) patriam reliquisset, ad Geneuenses peruenit, et doctrinae elegantia atque iudicii acumine ita se commendauit, vt publico docendi muneri admoueretur [u]. Sed cum alia, quam confitetur ecclesia, dogmata teneret, et ex principio semel posito, ex nihilo nihil fit, instructus rationibus Peripateticis, de essentia Dei ita in libro quodam ἀδεσπότῳ differeret, posse dici, factum esse filium Dei, adeoque antitrinitariis fauere videretur, vehementer a THEOD. BEZA et theologis Geneuensibus propterea reprehensus est, vt ex BEZAE *Epistolis LIV & LVI* constat, quas ad Simonium pertinere inde obseruauit THOMAS CRENIVS [v], quia, quae in iis perstringit Beza, omnia docuerit Simonius in lectione, qua Heidelbergae explicauit principium illud physicum ex nihilo nihil fit, d. XXX Dec. MDLXVII. Ex his vero epistolis constat quoque, Simonium ob sententias heterodoxas et studium conuellendi tranquillitatem ecclesiae, Geneuae bis carceri mancipatum, ecclesiasticae quoque censurae seueritate fuisse coërcitum. Quod si vera sunt, quae ei obiicit Beza, a Geneuensibus ad Heidelbergenses profugus [w] ausus est asserere: posse se multas rationes afferre, quibus ne Paulus quidem ipse, si viueret, respondere posset. Fatemur tamen, suspectum nobis esse Bezae testimonium, quem satis acerbum fuisse in dissentientes constat, quique inimicum in Simonium fouit animum. Tam impudentis enim et impii oris hominem sibi potuisse conciliare amicitiam et applausum Thomae Erasti, theologi Heidelbergensis, et in academiis Protestantium fuisse commendatissimum, verisimilitudine caret. Verum de hac eius apud Heidelbergenses impietate illi statuent, qui lectionem istam physicam Simonii, ad quam prouocat Crenius, legerunt. Illud certum est, Lipsiam eum ad tradendam philosophiam Aristotelis rationalem, obeundamque spartam professoris organi Aristotelici vocatum, apud Augustum Saxoniae electorem valde gratiosum fuisse, et tantam in eius eruditione philosophica fiduciam principem posuisse, vt visitationi et reformationi vniuersitatis adhiberetur. Liberius autem vlcera tangendo inuidiam reliquorum professorum in se excitauisse; cumque impietatis suspicione valde premeretur, a principe fuisse dimissum, quamuis sub auspicia nouae professionis anno MDLXX vxorem Lipsiae duxisset. Haec enim ex VOGELII Annalibus Lipsiensibus excerpta in lucem protulit ὁ πάνυ CHRISTIANVS THOMASIVS [x]. Ex qua relatione patet, (quamuis viro celeberrimo solius inuidiae et indignationis id opus videatur) suspectam fuisse Simonii in religione sinceritatem, eumque sententiis heterodoxis nominis integritati valde nocuisse. Quam quoque coniecturam crebrae mutationes publicae professionis fidei valde confirmant. Nam a Romana ecclesia ad Reformatam et ab hac ad Lutheranam, ab ea ad Romanam iterum trans-

u) Tum librum scripsit contra SCHEGKII tractatum de Vnione naturali et duabus naturis in Christo. Vid. HVIVS Dedic. Antisimonii.

v) Animad. P. II. p. 91. w) SCHEGKIVS l. c.

x) Hist. sap. et stult. Germanice editae P. II. p. 63. 163.

transiit. Teste enim eodem VOGELIO [y] in aulam Ferdinandi imperatoris concessit, Pragaeque aliquandiu haesit: in qua, miratur, auctor anonymus, infra in partes vocandus, *potuisse eum risum tenere, tamdiu simulando et mentiendo, cum in concione illa frequentissima Pragensi declamaret de religionibus, de sacerdotio &c.* Ex quibus patet, errare BAILLETVM [z], qui Lipsia profugum in Silesiam et Morauiam ausugisse dicit, nisi velis eum per has prouincias vagabundum posthaec oberrauisse. Tandem in aulam regis Poloniae Stephani Batori delatus, ibique magno in pretio habitus est. Suspicamurque eum regi a sanitate tuenda fuisse; rege enim Stephano anno MDLXXXVI viuis erepto, edidit Simonius, *Responsum ad refutationem scripti, de Sanitate, victu, aegritudine et obitu D. Stephani, Polonorum regis* [a], itemque *Scopas, quibus verritur confutatio contra iam dictum scriptum.* Quam apologiam eum opposuisse *Nicolao Buccellae, Italo, Chirurgo Anabaptistae, et istas quoque scopas contra eius aduocatos et illam confutationem innumeris mendaciorum, calumniarum, errorumque purgamentis infertum* adhibuisse, ex inscriptione libelli patet. Sed et iam ante mortem regis grauem habuisse Simonium in ea aula aduersarium, Squarcialupum quendam Thuscum Plumbinensem, ex apologia ei opposita colligi potest, cui hic titulus praefixus est [b]: *Simonius supplex ad incomparabilem virum praeclarisque suis facinoribus de vniuersa republica literaria egregie meritum Marcellum Camillum, quendam Squarcialupum Thuscum Plumbinensem triumphantem, Cracouiae anno M D LXXXV.* His tamen inimicis non obstantibus, et quamuis detestabilis illi impietas, et, (quod non sine verisimilitudine coniicimus) neglecta regis salus obiiceretur, ipse quoque quod nos Cl. AVGVSTVS BAYERVS [c] docet, vincula effugere non potuerit, eum tamen apud Sigismundum III auctoritatem obtinuisse, ex acerrimi eius aduersarii, cuius mox mentionem faciemus, obiurgatione liquet, qua ei obiicit, illum sibi in aula iustissimi regis non constare; quae scripta sunt anno MDLXXXVIII. Imo seculo XVII ineunte adhuc non sine auctoritate inter Polonos vixisse, ex libro eius intelligitur, qui *Zamoscii MDCIII*, hoc rubro prodiit: *Simonis Simonidis imagines diaetae Zamoscianae* [d]. Quo vero anno obierit, et num in ecclesiae Romanae gremio, ad quod rediit, mortuus sit, nulla hactenus coniectura detegere potuimus. Valde vero eius eruditio commendata est, ob egregiam Peripateticae philosophiae genuinae cognitionem, viris doctis. Commentarium enim in *Librum primum Nicomachorum*, bene et erudite scriptum esse iudicauit GABRIEL NAVDAEVS [e], SAMVELI RACHELIO [f] autem *ea Peripateticae philosophiae peritia et doctrina con-*

y) In Annal. Lipf. loc. cit.
z) Des satyres personelles f. de Scriptoribus Anti n. 150. quem sequitur BAYLE l. c.
a) Vid. Catal. Biblioth. Vffenbachianae T. IV. p. 253. b) MERCKL. Linden. renou. p. 979.
c) Memor. libr. rar. c. 87. p. 254 sqq.
d) Catal. Bibl. Aug. Ehingerianus p. 852.
e) Bibliograph. polit. p. 21.
f) Introd. in philos. mor. Arist. praemissa libris Nicomach. c. 14. p. 140.

confectus dicitur, *vt merito in reliquis idem ab ipso praestitum exoptauerit, quamuis non tantum ipsum praestare, quantum in aliis desiderare* iudicet. MORHOFIVS [g] autem, *eum*, ait, *Academiam Lipsiensem docuisse ἀριστοτελίζειν, ac exemplo suo et praeceptis ad solidiorem philosophiam analyticam viam monstrauisse.* Nec minorem famam in re medica consecutus est, et theologica quoque apud Geneuenses attigit, quae tamen res Iacobum Schegkium medicum et Peripateticum apud Tubingenses summi nominis cum eo commisit, nescio vtrum artis salutaris, an Peripateticae philosophiae, an vtriusque laudi illi aemulo: certe indigna ex ea re tantis viris aborta est controuersia. Pertinet ea quidem ad historiam theologiae et medicinae, sed tamen prorsus intacta praetermitti hoc loco non potest, cum historiam Simonii literariam valde illustret. Nempe librum de vnione personali et duabus naturis in Christo Schegkius ediderat, rogante Io. Brentio, vt philosophiae, quo praestabat acumine calumnias a Sueuicis theologis depelleret. In quo cum pleraque Aristotelice disputauisset Simonius, vt se theologis Geneuensibus probaret, refutationem libri edidit. Qua ratione signum belli satis vehementis datum est. Cui alterum argumentum accessit, medicum. Scilicet nouam febrium malignarum theoriam, cuius tamen principia a Laurentio Iuberto Valentino acceperat, cudere coeperat Simonius, contra Galenum contendens, earum causam non esse putredinem humoris alicuius, sed principalem causam residere in δυσκρασίᾳ feruida flauae bilis, cuius feruore inflammatum cor febrim patiatur. Hypothesin hanc *Synopsi breuissima nouae theoriae de humoralium febrium natura periodis, signis, et curatione*, exposuit, *additis copiosissimis et accuratissimis hypomnematibus, ex disputatione de humorum differentiis atque examine sententiae a Brunone Seidelio contra Iouberti explicationem febrium humoralium allatae* [h]. Haec cum legisset Schegkius, veterem Galeni opinionem de humore putri febrium causa defendendam ratus, *Confutationem erroris Simonis Simonii in eo argumento* [i] edidit. Hoc itaque classico dato aliquoties vtrinque infestis armis concursum est. Nam cum ea, quae disputabantur, Peripateticis principiis inniterentur, contentionis alea omnis in campo Aristotelico iacta est, diuersis ex vtraque parte libris prodeuntibus, quos qui nosse cupit, eorum inueniet indicem apud MERCKLINVM [k], ADAMVM [l], BAILLETVM [m], alios. Simonius enim cum silendum sibi non esse putaret, *Anti-Schegkianorum librum vnum* edidit, *in quo ad obiecta Schegkii respondetur, vetera eiusdem errata nonnulla inculcantur, nouaque complura peiora deteguntur* [n]. Huic libro et *Prodromum Anti-Simonii*, et, *Anatomen responsi Simonii*,

g) Polyhist. T. II. L. I. c. 11. §. 28. p. 62.
h) Vid. MERCKLINVS l. c.
i) Vid. ADAMVS l. citando. k) loc. cit.
l) Vit. Medicorum p. 300.
m) l. c. vnde sua hausit BAYLE l. c. not. E.
n) Basil. 1570. 8.

nii, mox vero post leuiores velitationes, integras phalanges oppoſuit edito *Anti-Simonio, in quo plures quam trecenti errores Simonii refelluntur* o). In his vero libellis polemicis, qui tantum non, vt fieri ſolet, penitus euanuerunt p), indignis plane ſe modis viri hi docti exagitarunt, et errores philoſophicos obieciſſe non contenti, grauiſſimorum quoque errorum theologicorum in articulo de Chriſto poſtularunt, cum et Simonius impie docere, et ad Neſtorianos declinare, et Schegkius in dogmate de naturis in Chriſto, et perſonalitate in diuinis typum ſanorum verborum minus ſeruauiſſe et Sabellianis fauere crederetur. Videntur tamen hae indignae viris doctis et philoſophis lites breui ceſſauiſſe, quod Simonius Pragam indeque Cracouiam abiiſſet, et Schegkius paulo poſt obiiſſet. Ille vero cum more ſuo religionem magis philoſophicam, quam dominantem ſequeretur, grauioribus in Polonia accuſationibus diraque culpa preſſus eſt. Prodiit enim Cracouiae anno MDLXXXVIII libellus exiguus viginti tantum paginarum, hoc titulo: *Simonis Simonii Lucenſis primum Romani, tum Caluiniani, deinde Lutherani, denuo Romani, ſemper autem athei ſumma religio, authore D. M. S. P.* Cuius libri cum maxima ſit raritas, nec quisquam de eo inaudiuerit aliquid ante B. THEOPHILVM SPIZELIVM q), qui primus quaedam ex eo ſatis impia et deteſtanda excerpſit, variarum coniecturarum viris doctis occaſionem dedit, vnde incerta eius facta eſt notitia r). Nonnulli ad Theodorum Simonium vnitariorum aſſeclam retulerunt, quod tamen temporum rationes non patiuntur s); certi vero quicquam de eo dixit nemo. Nuper vero Cl. AVGVSTVS BAYERVS, cuius curioſitati literariae iucundas *Memorias librorum rariorum* t) debemus, ex αὐτοψίᾳ nobis libellum deſcripſit, ita tamen, vt ſolam ex eo Simonii religionem depingeret. In eo libello σηλυτευτικῶ imputatur Simonio, *hanc eſſe eius religionem, nullam ſtatuere inter homines pietatem, et philoſophi magni eſſe religioni bellum indicere. Nempe arridere palato eius dogmata ſcholae Petri Aretini maledicentiſſimi ac foediſſimi monſtri. Symbolum catechiſmi eius hoc eſſe: coelum genitoris loco terram matris rerum omnium materiarum venerandam eſſe; non matricem eſſe intelligentiam, ſed viuificum calorem eſſe coeli formam et cauſſam perficientem; non ſe repugnare dicentibus cum Hippocrate: coeli calorem eſſe vocem illam omnia intelligentem ac ſcientem praeterita et futura: hanc coeli formam pro Deo habere, ſicque in ſymbolo ſuo Vilnae diuulgato clarius prodidiſſe. Docuiſſe quoque obiiciendo Squarcialupo: perfectam eſſe humanitatem abs-*

que

o) 1573. 4. Tubingae, vbi anno praecedente et Prodromus et Anatome quoque prodierunt.

p) Diu anxie quaeſitos tandem reculis noſtris literariis adiecimus. Vidimus autem omnem controuerſiam ad notiones et regulas Peripateticae philoſophiae rediiſſe, ſubtiliter et obſcure diſputatas, vnde libelli hi euanuerunt, non lecti.

q) Scrut. Atheiſmi II. p. 43. 44. in Infelice literatore commonef. XV. §. 3. p. 354.

r) Varias virorum eruditorum coniecturas enarrat Cl. VOGTIVS Cat. libror. rar. p. 539. 540.

s) Vixit enim Ianſenio σύγχρονος 1630. conf. MOLLER. Iſagog. ad Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricae P. III. p. 108. BAYLE Dict. T. IV. Art. Theod. Simon p. 207. SANDIVS Biblioth. Antitrinit.

t) loc. cit.

que coniugio, monachos et sacerdotes virilitatem suam Deo deouuisse: sine coniugio maiorem futuram esse hominum multitudinem, idque fieri posse maiori cum commodo tum voluptate. &c. Haec impia dogmata in isto libello satyrice refutari, et pertinaciae vsque ad senectutem Simonium accusari idem testatur Bayerus. Difficile vero, et si verum fatendum, impossibile est, ex allatis de impietate Simonii iudicium ferre. Nam ex vna quidem parte valde suspectum faciunt eum, et conspirantibus testimoniis grauissimorum errorum, ipsiusque impietatis postulant Beza, Vogelius, Schegkius ff) et Anonymus Polonus. Crebra quoque publicae professionis fidei Christianae mutatio animum leuem, desultatorium religionis scenae ex commodo inseruientem prodit: Peripatetica vero philosophia eiusmodi erroribus generandis est aptissima, et imputata physiologia Hippocraticis, et ex parte Peripateticis placitis conformis. Ast ex altera parte, suspectum, fatemur, est, quod accusationes hae omnes ex ore calamoque aduersariorum eius prodierint; et his obiurgationibus et grauissimis accusationibus non obstantibus, Simonius Lipsiae professoris munus acceperit, diuque retinuerit, et, licet dura ei et impia obiicerentur, attamen in aula electoris gratiosus fuerit. Tacemus animum aduersariorum, quem demonstrarunt bile et veneno tinctum. Nec scriptum illud Satyricum multum ponderis habere videtur, cum supra iam narratum sit, habuisse Simonium aduersarios in aula Nicolaum Buccellam et Squarcialupum, vtrumque συνπατριώδην, nempe Italos, sed fortunae eius insidiantes. Cumque anno post istam satyram editam sequente Olmutii ediderit *Scopas, quibus innumera mendacia, calumniae errorumque purgamenta, quae aduocati Bucellae emiserant, verruntur*, iusta suspicio est, ad obiecta eum crimina ita respondisse, vt, quod supra verisimile fecimus, auctoritatem ad mortem apud Polonos tueri potuerit. Quibus rationibus ex vtraque parte probe ponderatis de religione Simonii aliquid decernere non audemus, donec ex ipsorum Simonii et aduersariorum eius librorum inspectione certiora hauriri queant. Illud tamen nobis nemo parum aequus et attentus non concedet, verisimile esse, Simonium religionem magis Peripateticam, quam Christianam expressisse: talem enim eiusmodi Vertumni obseruare solent. Reliquit Simonius eruditionis Peripateticae specimina complura, librum *de Sensuum instrumentis et de his quae sub sensum cadunt* s), *Commentarium in libros* ARISTOTELIS *de memoria et reminiscentia;* et *Commentarium in libros ad Nicomachum: tum libellum de vera nobilitate* t), Ienae u) postea recusum.

ff) Fatendum tamen, in Schegkii cristicis licet acerbissimis in Simonium, nullum ei errorem in religione obiici, praeter Nestorianismum, idque consequentia magis, quam expressa assertione. s) MORHOF. l. c. t) Lipsi. 1572. u) 1662. Apud BAYLE 1616. legitur.

Iacobus Schegkius.

§. XLIX. Eodem, quo Simonius Lipſienſem academiam ornauit, tempore in Tubingenſi ſchola magnum Peripatetica philoſophia praeſidium nacta eſt in IACOBO SCHEGKIO, cuius vitae hiſtoriam debemus, Philippo Lieblero w), qui in cathedra phyſica apud Tubingenſes ei ſucceſſit. Natus eſt Schorndorfii in ducatu Wirtenbergenſi anno MDXI, parentibus plebeiis, ſed honeſtis, et cenſu ſatis inſtructis, vt filio ſtudiorum ſumtus ſuppeditare poſſent. Patri nomen fuit Bernardi Degen vulgo autem Schegkius dicebatur, quod tanquam notius filius ſemper poſtea retinuit. Incidit pueritia Schegkii in extrema tempora Capnionis, ex cuius ſchola cum nonnulli prodiiſſent, qui linguae Graecae et Hebraicae notitia praeſtabant, Schegkius quoque a nonnemine eorum, Ioanne Thoma, vtriusque linguae praecepta accepit, et ab eo quoque ceteris humanitatis elementis diſciplinarumque rudimentis imbutus eſt. Annos itaque natus XVII, cum fideliter artium ſemina concepiſſet, ad augendum colendumque animi fundum, quem a natura foecundum felicemque acceperat, in Tubingenſem academiam miſſus eſt. In quo ſtadio quoque tanta ſedulitate ad metam cucurrit, et philoſophiae atque philologiae myſteriis tanta fide initiatus eſt, vt anno MDXXIX, vix octodecim annos natus, in promotione facultatis philoſophicae primo inter candidatos loco lauream magiſterii, quam vocant, conſequeretur, et anno ſequenti vndeuiginti annorum iuueni lectio publica, qua bucolica Virgilii et Theognidis ſententiae explicabantur, demandaretur: cuius diligentiae et eruditionis maturae ſpecimen edidit verſionem Latinam *Gnomologiae Theognideae.* Ita per triennium cum Graecam et Latinam linguam et nonnulla quaedam philoſophica docuiſſet, omnibus ob morum elegantiam et doctrinae vbertatem commendatiſſimus, rector contubernii deſignatus eſt, eaque aetate aliis rector datus, qua regi iuuenum animi et ſolent et debent. Nihil tamen in iſto regimine fecit ſuſcepitque prudentia matura indignum, et leuitatis iuuenilis fructus prodens, ſed quinquennio iſto, quo illi muneri praefuit, iuuentuti magna cum laude praefuit. Studiis autem priuatis in theologiam incubuit, et Scholaſticorum ſpinetis abſterreri ſe paſſus haud eſt, vt non duces eorum Thomam et Scotum legeret. Ita iunctis philologiae ſacrae diuitiis, eam ſibi diſciplinarum ſacrarum comparauit notitiam, atque eruditionem, vt pro conſequenda prima laurea ſumma cum laude diſputare poſſet. Tum Conſtantiam petiit, ibique ſacris miniſterii eccleſiaſtici initiatus eſt. Eo enim tempore Conſtantiam Proteſtantium ſymbolis nomen ſubſcripſiſſe notiſſimum eſt. Vnde coniicimus, muneri eum ſacro in iſta vrbe deſtinatum fuiſſe; ſummos quoque in theologia honores eum meditatum fuiſſe, biographus eius innuit: cauſſam vero, cur

w) Ex eius oratione parentali, CRVSII Annalibus et GESNERI Bibliotheca Schegkii vitam enarrauit. MELCH. ADAMVS in Vitis Medicorum p. 200 ſeqq. quem nos quoque ſequimur. Ex eo ſua quoque hauſerunt FREH. p. 1287. et TEISSIER. Elog. T. III. p. 417.

cur sacro se ordini non addixerit, non addit, sed turbulenta tantum tempora, quae tunc inciderunt, in caussa fuisse ait. Quae qualia fuerint, historiam belli Smalcaldici, quod ea tempestate exarsit, et Constantiae exitiale fuit, cogitantem latere non potest. Aliam itaque studiorum rationem initurus, iurisprudentiam sibi elegit, et perseuerauisset in ea via, nisi Guilelmus Bigotius, qui tunc Aristotelicam philosophiam Tubingae profitebatur *, et quo amico intimo Schegkius vtebatur, illi persuasisset,

x) Non ignobile Guilelmi Bigotii inter philosophos seculi XVI nomen est, fata autem vitaeque vicissitudines tales fuere, vt non prorsus omitti eius memoria in hac nostra tractatione possit. Diligenter in ea refuscitanda versatus est P. Bayle Dict. T. I. art. Bigot. p. 362. relationibus ab amicis acceptis adiutus, ex cuius narratione de Bigotio haec constant. Natus est mense Iunio anni 1502. in Galliae ducatu Cenomanensi, Lauallii, parente satus Ioanne Bigotio. Miris fatorum nexibus cum eum destinasset prouidentia, in ipsa infantia singulares prorsus euentus habuit. Nutricem enim vix inuentam illi esse aiunt, eo quod dentatus ex vtero prodierit. Cumque nutrix cum tota familia peste extingueretur, perituras erat infans Bigotius, nisi in triuio abiectum parens inuenisset. Educationis porro cura satis fideli et sollicita destitutus, cum prauis sodalitiis irretiretur, fuga sibi apud Andegauenses consulere coactus est. Ita vero calamitatibus ad frugem redire compulsus literarum studiis se totum tradidit, et αὐτοδίδακτος Graecam linguam, philosophiam, astronomiam, medicinam et disciplinas alias didicit. Solitudinem tamen perosus Galliam relinquere et in Germaniam abire constituit, vsus comitatu oratoris Galli Guil. Bellai Langaei. In Germania vero tanta mox eius eruditionis fuit admiratio, vt organi Aristotelici explicatio ei Tubingae committeretur. Quo loco Schegkio ob studia communia amoremque philosophiae Peripateticae familiaritate summa innotuit. Cum autem displiceret illi methodus Philippica, quam nec satis accurate cum Aristotele conspirare, nec minutias Stagiritae omnes prosequi contendebat, multae inde discordiae inter eum ac professores reliquos exortae sunt. Quo euenit, vt munere exutus alias sedes quaerere cogeretur. Basileam itaque abiit. Factum id esse anno 1536, tradit Lancelotus, cui sua debuit Baelius: Ast 1538 adhuc Tubingae haerentem Schegkio persuasisse, vt artem salutarem profiteretur, ex eius vitae historia patet. Basileae aliquantisper commoratus cum fortuna in Germania non arrisisset, ad Gallos rediit, eo quod Guilelmus Budaeus, qui illi fauebat, promisisset, impetraturum se, vt professoris regii axiomate cohonestaretur. Alium tamen euentum res sortita est, cuius lepidam, si modo fabula vera est, caussam ita Melanchthon in Responsione contra clerum Colonienſem, et ex eo alii narrant: „Duo „sunt", verba damus, Philippi „in Gallia viri »excellenter docti, Castellanus et Bigotius. Et „quia Castellani disputationes crebro a rege audiuntur, hortatur quispiam ex proceribus, vt „Bigotius quoque audiatur. Interrogat rex, in quo „doctrinae genere versetur? cumque alii honorifico eum testimonio ornarent, tandem Ca„stellanus, qui augeri eius opinionem nolebat, „interpellans, quid, inquit, tantopere praedi„catis? est Aristotelicus. Rex interrogat, qua„lis sit ea descriptio. Dicam, inquit Castella„nus, Aristoteles aristocratiam adfirmat melio„rem esse statum, quam regnum. Hac voce „apud regem sciebat se omnem auctoritatem „Aristoteli et eius studiosis detraxisse. Cumque „rex interrogaret, an haec sensserit Aristoteles? „et ceteri id adfirmarent, audiuisssetque, defen„dere Bigotium Aristotelicas sententias, delira„re Aristotelem inquit, et negauit se defenso„rem harum ineptiarum auditurum esse. Facile „vicit Castellanus tali iudice". Conf. Menagiana T. I. p. 173. Negat tamen haec omnia qui Castellani vitam scripsit Petrvs Gallandivs §. 74. p. 130. et haec Bigotium Castellano obtrectantem et ad Melanchthonem scribentem finxisse contendit. Quae aliis quoque rationibus non contemnendis roborat, et falsam esse narratiunculam contendit Bayle l. c. not. C. qui videndus. Quaecunque autem caussa fuerit, illud certum, publicum docendi munus apud Parisienses Bigotium consequi haud potuisse. Interim ad Patauinam cathedram inuitatus est, illi tamen Nemausensem praetulit, magno tamen suo malo. Nam et haud bene satis cum collegis illi suis conuenit, et apud Tolosanos, apud quos caussam quandam in curia regia agebat, malorum Lernam inuenit. Vxore enim, quae duorum filiorum patrem eum fecerat, in adulterio deprehensa, adulter Abaelardi poena exfectis virilibus affectus est. Quod factum cum ipsi Bigotio ab aduersariis tribueretur, accedentibus aliis accusationibus, grauem ei dicam et atrocem accusationem concitauit. Citatus ad carcerem, ipse quidem, caussae suae fisus Bigotius comparuit, sed malo euentu: Diu enim captiuus detentus, haud semel de capite periclitatus est. Tandem vinculis quidem, non vero miseriae ereptus est, exul enim abire, et vitam satis misere tolerare coactus est. Quae ipse ex parte narrat in Praeludio Christianae philosophiae, cum aliorum tum hominis substantiam luculentis exprimente rationibus Tolosae 1549. 4. edito. Ceterum hunc pene solum summum ius tueri in re„condita philosophia", dixit Ivl. Caes. Scaliger Exerc. CCCVII. p. 946.

vt artem potius ſalutarem eligeret, ſine dubio, quod hanc melius conuenire homini philoſophanti, et pulchriorem occaſionem offerre crederet, de rebus naturalibus ſecundum principia phyſiologiae Peripateticae diſpiciendi. In ea enim adeo iam tum valebat, vt annos natus XXVII *Diſputationibus Acroamaticis in Ariſtotelem* magnam celebritatem conſequeretur. Medicinae ita adyta perreptando, eius artis myſteria tanta celeritate et felicitate didicit, vt ſummi in ea honores illi plaudente academia Tubingenſi tribuerentur. Praxin tamen medicam non exercuit, ſed conſiliis modo aegros adiuuit, contentus in artis medicae ſtadio philoſophiae cognitionem, quam praeſtantiſſimam fouebat, exercuiſſe. Totum enim ſe philoſophiae dederat, vnde publice quoque Ariſtotelem, priuatim phyſicam, ethicam et logicam ſecundum Peripatetica principia explicuit. Qua ratione cum doctrinae eius praeſtantia valde in aula principis Wirtembergici commendaretur, anno MDLIII medicinam quoque publice explicare iuſſus eſt. In qua cum Galenum ſibi ducem elegiſſet, et Peripateticam ei phyſiologiam iunxiſſet, pro vtraque tanquam pro aris et focis pugnauit: cuius ſpecimen eſſe poteſt controuerſia cum Simonio de febrium natura et cauſſa agitata, quam §. praecedente tetigimus. Quoniam tamen ille omnium optime inter Germanos Ariſtotelis mentem aſſecutus eſſe credebatur, obticuerat autem in Tubingenſi Schola aliquamdiu dialectica Ariſtotelis, anno MDLXIV eius organon explicare, et rationalem quoque philoſophiam tradere iuſſus eſt. Quam ſpartam decennio tanta fide et induſtria ornauit, vt nimia lectionis contentione oculorum acies hebeſceret, tandemque coecitatem illi contraheret. Quam calamitatem animo vere philoſophico tulit, cumque nonnemo coecitatem tollere ei ſponderet, reiecto ophthalmico reſpondit: ſe multa in vita vidiſſe, quae maluiſſet non videre: optare ad nonnulla etiam ſurdum fuiſſe. In ea autem oculorum caligine mentis acies non hebetata eſt, quam non piis modo, vt Chriſtianum philoſophum decet, meditationibus, ſed philoſophicis quoque cogitationibus, leuauit, nepotibus, quos ad ſe receperat, philoſophiam explicuit, multa quoque eo coecitatis tempore dictauit et medica, et philoſophica, inter quae et eriſtica illa contra Simonium fuere, et alia quaedam etiam phyſica, itemque libellus dialecticus *de Syllogiſmo apatetico:* et haec quidem omnia typis vulgata nonnulla domi aſſeruata ſunt, interque ea libellus *de Modis vnius et entis.* Tandem apoplexia correptus, cum ſenectutis extremae debilitas viriumque defectio acceſſiſſet, valde in literarum curriculo retardatus eſt, pauliſper tamen a genero Hieronymo Bauſchio reſtitutus, vt ſe otio daret, licet honeſtiſſimo, commoueri non potuit: ſenexque capularis *Tractationum phyſicarum et medicarum* tomum edidit, et *Commentaria in Topica Ariſtotelis* longe ante a ſe conſcripta recognouit. Tandem vitae finem appropinquantem ſentiens, pie, et vt Chriſtianum decet, praeparatus animam VII idus Mai. an. MDLXXXVII, aetatis ſeptuageſimo ſepti-

septimo Deo reddidit. Magna fuit Schegkii et viuentis et ad plures abeuntis existimatio, et fama eruditionis admodum praeclara et eximia, cum et moribus viueret inculpatis, et doctrina plerosque antecelleret. Praeter linguas enim Latinam, Graecam, Hebraicam, in historia, eloquentia, et mathematicis disciplinis summa cum laude versatus est, nec in theologia et arte medica locum Musa Schegkiana occupauit infimum. Cuius testes cum nonnullos adduxerit ANT. TEISSIERIVS [y], ille ipse, ne longi simus, videndus est. Omnium tamen maxime ob insignem cognitionem philosophicam, quam habebat, commendatus, et Germanorum Peripateticorum princeps sua aetate habitus est. Testem damus Schegkii discipulum NICOLAVM TAVRELLVM [z], qui eum tum temporis philosophorum Peripateticorum principem fuisse refert, narratque, non Tubingae modo, verum etiam in aliis omnibus Germaniae scholis Schegkianam philosophiam obseruari atque vigere: quamuis, raro licet, Schegkio interdum visum fuerit ab Aristotele recedere *. Similia de eo praedicat HENRICVS BOECLERVS **. Memorabile autem est, quod de studiis eius philosophicis tradit eius biographus, *cum arderet amore philosophiae, nec domi haberet magistros, nec foris quaerere posset, salutari consilio Aristotelis et Platonis lectionem aggressum* [a], *vtrumque inter se contuliſſe, tantumque profeciſſe, vt omnes philosophiae partes in academia Tubingensi immo in tota Germania ante ipsum coeno sophistico misere contaminatas* [b], *pristino nitori restitueret, eiusque doctissimis laboribus non Germani solum, sed exterae etiam nationes magna cum vtilitate fruantur, et praeceptorem praecipuum agnoscant et depraedicent.* Id quod verum esse, ipsa librorum Schegkianorum docet inspectio, in quibus magna vis Peripateticae doctrinae regnat. Recte itaque de Schegkio pronunciauit nonnemo [c]: *Eum philosophiam Peripateticam, perpetuo tanquam ἔργον persecutum, vt e tenebris Scholasticorum iterum erueretur, illiusque vsus in omnibus disciplinis incomparabilis toti orbi pateret, legendo inque publicum meditationes suas edendo, vnice operam suam addixisse.* Et tentauit quidem Stoica quoque, et ARRIANI *Dissertationes Epicteteas* in Latinum sermonem transtulit: parum fauente Minerua vero hunc eum laborem suscepisse, passim viris doctis obseruatum est [d]: cuius praecipua causa esse videtur, quod satis quidem feliciter Graecam linguam teneret, verum a Stoicae philosophiae cognitione esset destitutus, sine qua talis labor inutiliter suscipitur. De Peripatetica philosophia autem non accurata tantum praeceptorum Aristotelicorum explicatione, sed acri quoque defensio-

y) loc. cit. z) Dedic. Alpium caesarum.

*) Hinc non probauit Taurellum toties ab Aristotele recedere, praedixitque, irritatum iri crabrones.

**) Biblioth. crit. c. 40. p. 605.

a) Vid. quae de studiis suis Aristotelicae et Platonicae philosophiae ipse monet in Peroratione Antisimonii p. 468.

b) Parum tribuebant Schegkiani Melanchthoni, quod Schegkius sine dubio a Bigotio didicit. Hinc primus restaurator Peripateticae philosophiae inter Germanos a suis habitus est.

c) FECHTIVS Sched. sacr. Ex. II. p. 448. conf. MORHOF. Pol. T. II. p. 60.

d) CASAVBONVS Ep. 599. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV.

fenſione praeclare meruit. Naſcenti enim et vires eundo acquirenti philoſophiae Petri Rami maſcule ſe oppoſuit, et cum Ramo ipſo congreſſus eſt, qua occaſione *Hyperaſpiſten* contra Ramum edidit, ab ADAMO et TEISSIERIO in catalogo librorum Schegkii praetermiſſum. Cuius ſcribendi occaſionem dedit Ramus quatuor epiſtolis ad Schegkium datis. Quas ei controuerſias autem Genebrardus theologus Pariſienſis et theologi Tubingenſes mouerint ob librum *de Vnione perſonali et duabus naturis in Chriſto*, temeratae puritatis euangelicae eum reum agentes, alio loco exponendum eſt [f]. Id vero non omittendum, ſi fides MARTINO CRVSIO [ff], ante mortem edita confeſſione fidei orthodoxiam eum demonſtrauiſſe. Ariſtotelicas quoque ſubtilitates conſecutus reſurrectionem eiusdem numero corporis negauit [g]. Plurima ſcripſit vir inexhauſtae diligentiae, etiam praeter adducta, partim medica, partim phyſica, partim dialectica, etiam theologica nonnulla et eriſtica, quorum catalogum habes apud MERCKLINVM [h], ADAMVM [i], TEISSIERIVM [k]. Oculorum lumine priuatus cum publicum docendi munus obire amplius haud poſſet, illi ſe abdicauit, ſucceſſoremque, quem ſibi exoptauerat, habuit Andream Planerum, Bolzani apud Tirolenſes natum, et in Scholis Lindauienſi et Tubingenſi educatum; qui cum anno MDLXXIX doctoris et paulo poſt profeſſoris axioma apud Argentoratenſes obtinuiſſet, cathedram Organi Ariſtotelici et medicinae a Schegkio relictam occupauit anno MDLXXIIX, denatus an. MDCVII, aetatis LXVII, ipſe quoque de Peripatetica philoſophia haud obſcure meritus [l].

Philippus Scherbius.

§. L. Quod Tubingae Schegkius, id in Altdorfina academia PHILIPPVS SCHERBIVS fuit, qui in ſcholis Proteſtantium Germanicis merito inter anteſignanos Peripateticorum refertur. Nam et eruditionis philoſophicae praeſtantia, et doctrinae Ariſtotelicae accuratioris cognitione paucos habuit ſuae aetatis ſibi ſimiles. Dolemus modo, tenuem ſatis de hoc viro egregie de literis merito eſſe in actis literariis notitiam, nec praeter ea, quae praeclarum olim Pindi Norici decus, illuſtris Io. IAC. BAIERVS, cui *Vitas medicorum Altdorfinorum* [m] debemus, qua potuit diligentia congeſſit, et quae hic inde diſperſa in ſcriptis virorum doctorum, qui iſto tempore vixerunt, inueniuntur, ſuppetere nobis alia quibus hiſtoria eius literaria iuuari queat. Fuit Philippus Scherbius ex Heluetiis Cellae Epiſcopi natus [n], quo vero anno, quibus parentibus, incertum eſt, et aeque ignotum, quibus potiſſimum praeceptoribus domi vſus ſit. Illud ex Michaëlis Piccarti, qui ab ore eius pependit, *Epiſtola* quadam

e) Dolendum autem, acerbiſſimum ſe aduerſariis in hac defenſione praeſtitiſſe, vt ex Apologeticis eius patet, quae conuiciis ſcatent.
f) Vid. praef. Apologetici contra Genebrardum Antiſimonio adiecta.
ff) Annal. Sueu. P. III. L. XII. c. 29. p. 353. c. 31. p. 359. ed. recent.
g) REIMMANN. Hiſt. liter. Germ. P. IV. p. 84.
h) Linden. Renou. p. 493.
i) loc. cit.
k) loc. cit.
l) ADAMI Vit. Medic. p. 405.
m) pag. 15.
n) Ibid. OMEIS Glor. Acad. Altdorf. p. 66. 166.

quadam *ad Hoffmannum* o, quae inter *Richterianas* legitur, constat, eum in ipsa Italia philosophiae Peripateticae semina concepisse, et imprimis Pellegrinum audiuisse, cuius metaphysicam ex ore docentis exceptam, cum nemine, vt erat inuidus, communicauerit, sed tantopere occultauerit, vt Gryphes non ita aurum suum custodiant, vt ille suum Pellegrinum. Paulo vero certiora, quam quae ipsi BAIERO innotuere, de Scherbio nobiscum olim communicauit, magni nominis in academia Basileensi Polyhistor, orbi erudito nostraeque amicitiae nimis acerbo praematuroque fato ereptus CHRISTOPHORVS IACOBVS ISELIVS, etiam post funera merito desideratissimus. Eo enim, consultis albo chartisque academiae, interprete nouimus, Scherbium anno MDLXVII nomen ciuitati isti literariae, rectore Martino Hubero, dedisse, et haud segniter in literarum stadio cucurrisse, peractoque itinere literario, in quo sine dubio Pellegrinum audiuit, et a Peripateticis Italis natiuam Aristotelis philosophiam didicit, tantopere doctrinae nobilissimae praestantiam demonstrauisse, vt cum Nicolaus Stupanus, professor organi Aristotelici professorio munere ad tempus priuaretur, Scherbio eius vices obeundae anno MDLXXXII, LXXXIII demandarentur. Thoma Erasto vero ex cathedra philosophica ad medicam translato, illi in tradenda philosophia Aristotelis morali anno MDLXXXIV successor datus est, anno quoque sequente senatui academico adscriptus. Vix autem annum in eo munere exegerat, cum praestantissimae eruditionis Scherbianae fama commoti proceres Norici, quibus Altdorfinae ea aetate Scholae cura commissa fuit, eum ad hanc academiam vocarent, vt non logicam tantum et metaphysicam, sed medicinam quoque studiosae iuuentuti explicaret p: id quod factum anno MDLXXXVI. Cum autem biennio post; erepto academiae Basileensi Zwingero, clarissimi nominis medico, cathedra medica vacaret, tanta fuit Scherbianae eruditionis auctoritas, et grata celeberrimi viri recordatio, vt ad hoc munus obeundum aucto quoque stipendio inuitaretur. Quam vocationem licet vehementer vrgerent Basileenses, et erogatos quoque in Scherbii studia sumtus obtenderent, tam charus tamen Norimbergensibus proceribus fuit Scherbius, vt interposita auctoritate sua precibusque eum apud se retinerent. Ea enim erat iudicii, quo pollebat Scherbius, admiratio, ea praestantissimae raraeque doctrinae fama, ea philosophiae artisque salutaris in illo cognitio, vt et studiosa iuuentus summo studio ab eius ore penderet, et senatus academicus et quotquot docendi munus obibant, summo eum loco ponerent, et inter praecipua scholae suae ornamenta connumerarent. Quam existimationem ei imprimis

o) Epist. Richter. p. 579. Ex quo loco coniectura Baieri confirmatur.

p) BAIERVS l. c. Io. FABRICIVS Hist. Bibl. suae T. V. p. 510. Fallitur itaque REIMMANNVS Hist. lit. Germ. P. V. p. 18. et qui eum sequitur Cel. STOLLIVS Intr. in Hist. liter. P. II. c. 2. §. 21. p. 439. qui philosophiae professorem tantum faciunt.

mis comparauit, tantamque excitauit opinionem profunda, quam possidebat Aristotelicae philosophiae cognitio. Hactenus enim Philippi Melanchthonis discipuli in ista academia obtinuerant, qui licet magna perspicuitate et simplicitate summa Peripateticae philosophiae capita traderent, ipsa tamen adyta Aristotelis non perreptabant, contenti ea docuisse, quae a praeceptore acceperant, vt supra iam dictum. Scherbius autem ad Altdorfinas Musas translatus non hos riuulos consectabatur, sed ad fontes, ipsaque scripta Aristotelis iuuentutem ducebat, quae obscura alias et difficilia, cum accurate intelligeret, tanta dexteritate et perspicuitate explicuit, intimosque Stagiritae recessus reserauit, vt non potuerit non in illo seculo quod totum quoad philosophiam Peripateticum fuit, maxima inde eum fama consequi: praesertim cum ope analyticae methodi solidam pariter et luculentam Aristotelicarum opinionum interpretationem exhiberet. His, quae in doctore summo loco haberi solent virtutibus accessit morum elegantia et iucunditas quaedam, in docendo interdum ad decoros vsque sales progressa, qua attentionem auditorum mire conseruauit excitauitque, adeo vt magna esset in phrontisterio Scherbiano iuuenum doctorum frequentia, et applausus maximus. De quo digna sunt, quae legantur professorum Altdorfiensium CASPARIS HOFFMANNI et IO. PAVLI FELWINGERI testimonia [q]. Non vero iuuentutis tantum, literarum studia in isto Athenaeo persequentis hoc iudicium fuisse, sed magnos quoque viros, et Peripateticae philosophiae arcanis accurate innutritos lectis eruditissimis Scherbii lucubrationibus eundem in modum de eo iudicasse, eumque inter nobilissima Lycei sidera retulisse, facile collectis eorum testimoniis demonstrari posset, nisi limites nostrae tractationis obstarent. Vnius H. CONRINGII [r], at quanti in his literis arbitri! iudicium sufficere potest, cui immortalis vir audit, cui inter Germanos philosophos parem difficulter inuenias, alioque loco [s] magnum eum Aristotelis philosophiae apud Altdorfinos fidus salutat. Tacemus Valentini Henrici Vogleri, Andreae Libauii, Michaëlis Piccarti elogia adducta a B. BAIERO [t], quibus plura ex recentioribus quoque facile addi possent*, si id ageremus. In id vero quam maxime Scherbius incubuit, vt neglectam hactenus, certe non satis excultam inter Germanos philosophiam Aristotelis sinceram restitueret, et quam apud Italos regnare credebat felicitatem, suis quoque popularibus impertiret. Quem in finem cum Melanchthoniana displicerent, magnis multisque sumtibus, quos in comparandis aduehendisque ex Italia Peripateticorum scriptis impendit, non pepercit, tanta in excolenda philosophia Aristotelica industria studiorumque con-

q) Vid. CASP. HOFMANNI Dedic. Thesium medicarum SCHERBII, FELWINGER. Praef. philos. Altdorf. BAIER. l. c. p. 16.

r) Introd. in artem medicam c. 1. p. 3.

s) Not. ad SCIOPPII Paediam p. 160. de ciu. Prudentia p. 126. 129.

t) loc. c. p. 18. 19.

*) Conf. Epist. Richter. p. 591. THOM. CRENIVS Meth. T. I. p. 424. T. III. p. 375. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 4. p. 62. BVDD. Annot. ad H. P. c. 6. §. 5. p. 386. ELSWICH. de Fort. Arist. in Acad. Prot. §. 23. p. 60. 61.

que contentione vsus, vt propter laboris intemperantiam amici eius interdum, qua possent ratione, fronte etiam et pudore posito eum auocarent, eo quod vita eius metuerent ff). Ita vero factum, vt inter celeberrimos philosophiae Peripateticae restauratores referretur, iudicaretque HERM. CONRINGIVS t), primum eum fuisse, qui sinceram rationem, secundum Aristotelis principia philosophandi inter Germanos comprehenderit. Tanta animi delectatione, tantaque laboris industria cum in stadio Peripatetico versaretur, mirum non est, intolerabile visum esse Scherbio, quod insolita audacia philosophorum principem Petrus Ramus conuelleret, nouamque ei philosophandi rationem, quam velut leuem et a veteri disciplina deficientem Peripatetici mire contemnebant, surrogaret. Oppositit itaque philosophiae Ramaeae, valde in academiis Germanis grassanti dissertationem u) *pro philosophia Peripatetica aduersus Ramistas*, veteri eruditione praeclare refertam. In qua licet reprehendat Cel. REIMMANNVS v), quod nimium affectibus dederit, nec rationum pondera satis trutinauerit, ignoscendum id tamen est, summo, quem Scherbius fouit Peripateticae doctrinae amori, quo summam eam sapientiam continere sibi persuadebat. Non diffitebuntur autem, quicunque veteris disciplinae Peripateticae gnari attente breue scriptum legerint, recte iudicasse MORHOFIVM w), *adeo breuem, neruosam, elegantem, neque sine flore eloquentiae istam disputationem esse, vt vel vasto libro accuratius aliquid scribi haud possit.* Huic autem studio philosophiae Peripateticae immenso sine dubio tribuenda est amicitia, quam Scherbio cum Andrea Caesalpino interceßisse supra in huius vita retulimus, et cuius fructus fuit, quod eius scripta Peripatetica vehementer iuuentuti commendauerit. Inique id tulit, qui eodem loco artem salutarem et philosophiam interpretabatur, Nicolaus Taurellus, quem editis *Alpibus caesis* Caesalpino innumeros errores obiecisse suo loco supra diximus, immoderatum autem Peripateticae philosophiae studium ad eclecticam quandam et magis sanam rationem reuocauisse, in sequentibus trademus. Quod licet non inuita Minerua fecerit, Taurellus, acer disputator et strenuus, valde tamen displicuit Scherbio, aegre in collega ferenti, contemni et suspectos reddi Italos Peripateticos amicos suos, quorum vnum Caesalpinum, multis Schegkiis, in qua schola Taurellus educatus erat, praeferebat. Hinc simultas nonnulla inter vtrumque philosophum, et indignatio mutua, quam Scherbius adeo non suppressit, vt in *Praefatione epistolica* ad *Ernestum Sonerum*, CAESALPINI libris *de Metallicis Norimbergae* x) recusis praemissa, eam satis luculenter proderet, iudicaretque, parum in ea pugna

ff) Epist. Richter. p. 588.

t) Praef. ad PICCARTI Isagogen in lectionem Aristotelis, quae extat quoque inter CONRINGII Epistolas p. 323.

u) Inserta quoque est Syllogae philosophiae Altdorfinae.

v) In Calendario logico p. 91. conf. BAIERVS l. c. qui obseruat, ea tamen moderatione fuisse Scherbium, vt ad atroces contumelias Henningi Rennemanni fileret.

w) loc. cit. p. 62.

x) 1602.

contra Caesalpinum Taurellum promouisse. Nec in aliis quoque vtriusque philosophi scriptis huius simultatis vestigia desunt, praecipue in praefationibus, quae facile detegent, qui ad has circumstantias arcanas paulo curatius attenderint [y]. Ceterum fama quidem felix, familia infelix fuit Scherbius, filium enim vnicum, noxam habuit, ad incitas et infimam paupertatem tanto parente indignam redactum, vt narrat BAIERVS [z]. Podagrae vero doloribus diu vexatus, cum febris lenta accessisset, consumtis viribus quinquagenariis anno MDCV, V. Id. Iul. decessit, magno academiae luctu et desiderio. Scripsit multa, enarrata diligenter a BAIERO *, et medica quidem, MERCKLINO ** quoque memorata, ex parte vno fasciculo collegit CASP. HOFMANNVS †, philosophica nonnulla philosophiae Altdorfinae inseruit Io. PAVLVS FELWINGERVS [a]. Collectae quoque vno fasce sunt dissertationes eius academicae, titulo *Thesium philosophicarum* praefixo; inter quas eminent, quae *de Libris Aristotelis acroamaticis et exotericis*, *de Differentiis analytices et dialectices ex sententia Auerrois de Differentiis rhetorices et dialectices Aristoteleae* agunt, in quibus historiae Peripateticae multa lux accenditur. Valde quoque in his thesibus laudari videas [b] scribendi rationem et ordinem, et τὸ Περιπατητικὸν, etiam in politico argumento expressum. Multa tamen medicorum adaptauit vsibus, forte ita auditoribus consulturus. Praeterea leguntur quoque nostri *Discursus politici in Aristotelis de Republica libros* [c], opus posthumum, et imperfectum, quod gloriam auctoris quam ex literis retulit non tueri, mirandum haud est, cum vltimam illi manum imponere nequiuerit. Vnde non obstat famae Scherbianae iudicium GABR. NAVDAEI [d], ob illum librum Scherbium inter Deos minorum gentium referentis. Praestat autem lucubrationes eruditorum posthumas at imperfectas abscondere, quam editis in lucem partam meritis obfuscare laudem.

Nicolaus Taurellus.

§. LI. Eodem, quo Scherbius vixit tempore, Altdorfinum Heliconem eruditione philosophica et medica ornauit NICOLAVS TAVRELLVS, cuius vitae doctrinaeque historia omnium certissime ex ipsis eius scriptis hauritur. Eam tamen praeter ADAMVM [e], et qui hunc exscripsit FREHERVM [f], tetigerunt quoque P. BAYLE [g], Io. FR. REIMMANNVS [h], Io. IAC. BAIERVS [i], et nuper Ven. FEVERLINVS [k], qui consulendi. Natus est vir acutissimi ingenii, qui si in nostra tempora incidisset, philosophum se praestitisset eclecticum nulli secundum. Cal. Decembr. anno MDXLVII. Montis belligardi, quo in loco pater ciuitatis

y) Ex his lucem capiet Michaelis Virdungi Epigramma apud BAIERVM l. c. p. 21.
z) loc. cit. p. 17.
*) pag. 23.
**) Linden. renou. p. 921.
†) Lipsi. 1614. 8.
a) Ambergae 1603. 4. Helmst. 1659. 4. cura Andreae Rudolphi.
b) REIMMANN. l. c. p. 20.
c) Francofurt. 1610. conf. BAIER. l. c. REIMMANN. l. c.
d) Bibliograph. polit. p. 124.
e) Vit. medicor. p. 403.
f) Theatr. p. 1220.
g) Dict. T. IV. art. Taurellus p. 327.
h) Hist. liter. German. P. IV. p. 82.
i) Vit. medic. Altdorf. p. 1 seqq.
k) In Diss. Apolog. pro Taurello.

tatis ſcriba fuit. Qui cum in aula principis gratioſus eſſet, filio ingenii alacritate et acumine laetam ſtudiorum optimorum ſpem facienti de ſtipendio ducali proſpexit. Quibus ſubſidiis inſtructus Taurellus in Tubingenſem academiam ſeceſſit, in qua ita diligentiam probauit ſuam, vt ſtipendium ei a duce Vitenbergico Chriſtophoro augeretur. Hac in palaeſtra Taurellus ſexennio in philoſophia ab optimis magiſtris, maxime a Iacobo Schegkio exercitus eſt [l]. Qui cum ad ipſum Ariſtotelem diſcipulos duceret, Taurellus, cui nec iudicii acies, nec ingenii felicitas, nec laboris patientia deerat, adeo feliciter in myſteria Peripateticae philoſophiae penetrauit, vt ea non modo omnia recte teneret, ſed et pretium illis ſtatuere noſſet, et accurate de illis iudicaret. Dignus itaque habitus eſt, cui honores philoſophici decernerentur, anno M D LXV magiſter philoſophiae rite creatus. Sacris vero diuinioris doctrinae diſciplinis animum addixerat; at mutare conſilium et artem medicam profiteri placuit [m]; ſine dubio, quod non omnia in recepta eccleſiae doctrina probarentur. Quae quoque cauſſa fortunam eius in aula ducis impediuit. Confirmatis enim apud Baſileenſes medicae artis ſtudiis laurea quoque in ea ſumma ornatus principis Friderici, ſanitati tuendae praefectus fuiſſet, niſi theologorum ſuſpiciones obſtitiſſent. Teſtem eius rei damus ipſum TAVRELLVM ita ad hunc principem ſcribentem [n]: *Cum ſesqui anno poſt* (MDLXII) *prudenti quorundam conſilio conſtitutum fuerat, vt tuae celſitudini ab ineunte aetate adiungerer, ea diligenter obſeruaturus, quorum ad C. T. Valetudinem ratio eſſet habenda. Sed irritum hoc infectumque fuit, neſcio quo, theologorum, ſat ſcio tamen, inani metu.* Qui metus theologorum quo fundamento nixus fuerit, facile intelligent, qui peculiares nonnullas opiniones, quas de diuinis noſter ſibi conceperat, quasque infra tangemus, cogitauerit, memineritque, quod nos docet, *Epiſtola commendatitia Simonis Sulzeri pro Taurello ad Marbachium* [o] ſcripta, *eum Colmario ad Baſileenſes concedentem ſeſe theologis Baſileenſibus frequentatione ſacrarum concionum et ſymbolorum vſu egregie approbauiſſe, ſancte etiam et religioſe pollicitum, ſe parem vitae rationem deinceps in finem vsque ſeruaturum.* Haec enim theologis Wirtenbergicis placere non poterant. Quamuis enim viro laudatiſſimo qui de religione Taurelli ex inſtituto diſquiſiuit, incertum videatur, an Taurellus reformatae religioni an vero Auguſtanae confeſſioni non variatae addictus fuerit, cum Voëtius Lutheranum vocet: recte tamen eidem viro doctiſſimo obſeruatum, Ioannem Vitenbogardum teſtari [p], theologos Heidelbergenſes agnouiſſe Taurellum profeſſum religionem reformatam. Ex adducto enim Sulzeri teſtimonio clariſſimum eſt, eum, cum Baſileae haereret, ſacrorum ſymbolorum vſu, quae teſſera eſſe ſolet publicae profeſſionis

 fidei,

l) Vid. Praef. Alp. caeſar.
m) Ibid. n) Ibid.
o) In Epiſt. theol. ad Marbachium a B. Io. Fechtio tit. Supplementi H. E. ſec. XVI. editis p. 588.
p) Hiſt. eccleſ. ἀνωνύμως editae P. IV. p. 27.

fidei, teſtatum eſſe, tranſiiſſe ſe ad Reformatae eccleſiae coetus. Facile tamen perſuaderi nobis patimur, Taurellum cum in Norimbergenſi ſchola muneri publico admoueretur, conſenſum cum A. C. inuariata fuiſſe teſtatum, ſine quo vix veriſimile videtur, eum cathedrae publicae praefectum fuiſſe, vt quoque cum Scherbio eueniſſe coniicimus, et facilius id iſto in loco, quam in terra Wirtenbergenſi fieri potuit, eo quod in academia Altdorfina vigebat Philippicum temperamentum, quod medium quaſi tenebat inter rigorem theologorum Saxonicorum, et exceſſus theologorum Reformatorum *q*. Certe addictiorem fuiſſe etiam inter A. C. inuariatam profeſſos Taurellum religioni Caluinianae obſeruatum quoque Affelmanno *r*. Verum haec de eius religione obiter. Baſileae cum legeret, magna eruditionis eius fama et exiſtimatio fuit: quam adeo valuiſſe putat B. BAIERVS *s*, vt profeſſoris medicinae munus illi tribueretur. Id quod inde probat vir celeberrimus, quia decanus facultatis anno MDLXXX, quatuor doctores, inter quos Scherbius fuit, creauerit. Sed fefellit virum doctiſſimum coniectura, ignorantem morem collegii medici, qui eo tempore apud Baſileenſes obtinuit. Docente enim nos, cum viueret, Cel. Iſelio, non profeſſores modo facultatis medicae illud collegium conſtituebant, ſed recipiebantur quoque et adſcribebantur eius albo alii viri docti, qui artis ſalutaris honores ſummos atque iura erant conſecuti, licet axiomate profeſſorio non aucti. Hi diuerſis functionibus collegii illius, et creandis quoque doctoribus eo tempore adhibiti ſunt, idque etiam Taurello obtigit, qui hoc nomine bis brabeutae munere functus eſt. Illud autem ex laudata Sulzeri epiſtola ad Marbachium conſtat, Taurellum, qui Iſaaci Kelleri et Samuelis Grynaei ex ſorore neptem vxorem duxerat, Baſileae propter indigenas et ciues eruditione et virtute praeſtantes publicum munus, ex quo familiam ſuſtentare poſſet, obtinere non potuiſſe, licet eruditionem in arte medica, et philoſophia toti academiae approbauiſſet: et vicariam operam Kellero per totum ſemeſtre et amplius praeſtitiſſet, cum laude et fructu auditorum: et ea propter petiiſſe a Sulzero, vt Argentoratenſibus, apud quos eo tempore profeſſio medica vacabat, commendaretur. Tandem apud Baſileenſes ethices profeſſionem nactus eſt, ſucceſſor datus Theodoro Zwingero. Quam vero reliquit, cum cathedra medica in Altdorfina academia ei anno MDLXXX oblata eſſet, quam conſcendit VIII idus Octobr. id quod ex vniuerſitatis chartophylacio obſeruatum BAIERO *t*; vnde corrigendus ADAMVS, et qui eum ſequitur P. BAYLE *u*, qui id factum eſſe III Cal. Iul. anni MDLXXXI, tradunt. Hoc loco poſitus, omnes in id vires Taurellus contulit, vt ſpartam, quam nactus erat, ornaret, id quod eo meliori ſucceſſu ab illo fieri potuit, quo maiori erat inſtru-

q) Vid. B.G.G. ZELTNER. Praef. Vit. theol. Altdorf.
r) Vid. Iac. Thomaſius apud FEVERL. l. c. p. 33.
s) loc. cit.
t) loc. cit. pag. 3.
u) ll. cc.

instructus eruditione philosophica et medica; quam cum insolita mentis acies, et ingenii elegantia ad vsus auditorum orbisque literati transferret, ac industria summa et viua docentis voce et calamo prodesse cunctis conniteretur, magnus inde applausus ei contigit, adeo, vt multi se iuuenes etiam comites et barones eius disciplinae traderent, et conuictu eius vterentur x). Parum tamen diuitiarum inde sibi acquisiuisse Taurellum, BAIERO y) obseruatum est. Tandem annos natus quinquaginta nouem lue pestifera extinctus est XIV Cal. Oct. anno MDCVI. Corpore sustentabatur mens Taurelli exiguo, sed ingenio vtebatur magno z), acri, foecundo, et in nexus ratiocinationum facile penetrante; quod magna sui comitabatur fiducia, animusque excelsus, fortis et igneus, qui ipse quoque in scientiarum campo sibi quid tribuebat, et non aliena modo, sed propria ex fundo suo depromere audebat. Vnde factum, vt ab auctoritatis praeiudicio facilius pedem retraheret. Quem ingenii Taurelliani characterem scripta eius luculenter produnt, in quibus praeter igneam illam vim animi, qua acerrime iudicabat, et aduersarios valde premebat, illa regnat libertas sentiendi et quaedam confidentia, qua emendare philosophiam potuisset, si in alia tempora incidisset. Testes damus verba eius, quibus acerrime in Caesalpinianam philosophiam inuehitur, ita scribens: „Inique tuli, ex Italia superatis Alpibus aliam philosophandi rationem, „nescio quibus excogitatis et assumtis principiorum loco hypothesibus, a „vera et Aristotelica philosophia alieniissimis, in omnes Germaniae angu„los irrepsisse. Et eo quidem id mihi magis graue molestumque fuit, „quod Caesalpinianis his paradoxis et falsis opinionibus plurimis in „locis Germana iuuentus magna verae philosophiae iactura imbueretur. „Vt igitur philosophiam veterem et docto Schegkii iudicio miraque indu„stria excultam ab huiusmodi sordibus repurgarem: acri certe censura et „laboribus assiduis Alpes excidi Caesalpinianas, hoc est noua, et iuuentu„ti verae philosophiae studiosae noxia dogmata firmissimis oppugnaui ra„tionibus, et nisi me animus omnino fallit, expugnaui, discussi, et excussi. Ab „hoc etiam opere semel suscepto non destiturus diuina fauente gratia, dum „viuam: et suum mea mens manusque facient officium. Veteri hos ego „philosophiae et veritati debeo conatus". Tacemus hederam, quam vel ipse huic operi praefixit, vel suspendi tamen passus est, dum in titulo „vocatur, „scriptum acre, acutum et limatum, philosophiae studiosis ad „enodandas et enucleandas controuersias et disputationes physicas difficilli„mas admodum vtile et necessarium". Similia passim affert, contra Piccolomineum aliosque Peripateticos disputans. Talis autem cum animo et ingenio esset, doctrina eius scriptis demonstrata doctissimis, valde viris eru-

x) Maxime Poloni et Lithuani. Vid. Dedic. librorum de Mundo.

y) l. c. p. 10. 11. qui aliquot eius rei specimina exhibet. Non itaque dabat Galenus Taurello opes.

z) Inde lepida nonneminis congratulatio ad Taurellum:

Corpore Taurellus, taurus es ingenio.

eruditis probata est, qui laudis tabulas magnificas ei suspenderunt [a]. Sapiunt enim vbique iudicandi vim summam, et insolitam diligentiam, quam in iis elucubrandis se adhibuisse ipse monet [b]. Maxime vero iudicii acumen in philosophia probauit. Cum enim *Schegkianae philosophiae*, vt ipse fatetur in *Dedicatione Alpium caesarum*, *perpetuo fuisset studiosissimus*, *ad quam se statim ab initio studii sui philosophici assuefecerat: cumque in hac complures annos perstitisset*, *et discens et docens*, occasio illi enata est, Aristotelicae philosophiae intus et in cute, quod aiunt, pernoscendae. Cumque tam coeca veneratione Aristotelem non extolleret, vt non auderet examini illius placita subiicere, mature, qua erat ingenii acrimonia perspexit, quam grauiter erraret in multis philosophia Aristotelis, et quam turpiter se darent, qui vel excusarent errores Stagiritae, vel alienum illis ad declinandam inuidiam sensum affingerent. Vidit quoque et indoluit, multa esse inter dogmata Aristotelis impia sane et Christiano homini non ferenda, atque inimica diuinae reuelationis mysteriis. Ast haec tantopere coli, pingi, commendari, in hoc saxo voluendo tot viros magnos occupari, vt hostis religionis Christianae si non vincat, impunis tamen dimittatur, aegerrime ferebat, et pro sacris Christianae ciuitatis decretis sancto zelo exardescebat. Digna ea de re sunt, quae adscribantur Taurelli verba, tota pietatem spirantia, et exemplo egregio philosophantibus futura. Ita namque in *Praefatione Methodi medicae praedictionis* differit: *Me totum sibi Christus vindicat*, *nec Aristoteli quicquam tribuetur*, *nisi quod Christus ipse concesserit*, *nec si quid obtulerit Aristoteles*, *protinus accipiam*, *nisi quod fuerit Christo acceptissimum. Hoc Christianae mentis exemplar est*, *quod scholis omnibus et academiis propositum esse debebat.* Similia in *Praefatione Alpium caesarum* monet, hoc loco, ne prolixi simus, non exscribenda, ex quibus patet, id sibi Taurellum constituisse, vt Aristotelicam philosophiam purgaret, et vel reuelationis vel rationis armis ea Aristotelis placita de Deo et mundo conuelleret, quae tela subministrare contra veritatem reuelatam nosset. Ex his vero nullo negotio, quae Taurelli sententia de philosophia Aristotelica fuerit, potest intelligi. Non enim eam totam reiecit, sed salua religione Christiana, et quoad philosophandi viam cum ipse retinuit, tum retinendam quoque esse statuit. Fateturque ipse [c], *se vnum Aristotelem pluris facere*, *quam tot tantorumque eius interpretum nobilem cateruam; neque sibi vnquam propositum fuisse*, *vt*, *quae firmiter annis stabilita consistunt*, *euertantur*, *vtpote qui Aristotelica philosophandi ratione mirum in modum oblectetur. Non hic de Aristotelis philosophia*, *sed de aliquot eius dogmatibus agi*, *quae multa egeant*

a) Eorum encomia passim more illius temporis libris eius praefixa sunt. Egregie imprimis eius eruditionem depinxere Conr. Rittershvsivs Carmine Encomiastico emblematibus eius physico-ethicis praefixo, et Arnoldvs Clapmarivs, iis, qui sunt ante libros de Coelo, iambis.

b) Dedic. libri de Vita et morte. c) l. c. p. 24.

ant emendatione, de quibus etiam graues inter Peripateticos sint controuersiae. Similia alibi quoque suggerit, passim in libris eius occurrentia, quae non cumulamus. Ex his vero, clare, nisi nos fallunt omnia, liquet, Taurellum Peripateticorum choris eximi haud posse, quamuis temperatum sobriumque Aristotelicae philosophiae studium vbique prodat. Ipsae quoque tractationes eius philosophicae, Aristotelicae sunt, si vel methodum, vel rationes respicias, licet interdum a systemate Aristotelico deflectat, et crassos eius errores emendari cupiat; hoc enim nondum sufficit, vt ex Lyceo relegetur. Ast *coeco assensu, quaecunque dixit Aristoteles vnius viri auctoritate recipere*, et, vt ipse scribit, *principii loco habere, quicquid ille asserit, in cuius verba iuraueris*, hoc intolerabile visum est, excelso liberoque Taurelli animo, qui hanc ἐυήθειαν maiorum nostrorum merito improbauit. Praeclare ea de re passim differit, vt facile intelligas, multum quidem Taurellum Aristotelis ingenio tribuisse, verum aliquid etiam suo. Vnde reiecto, quo eum nonnulli infectabantur Ramistae nomine, quamuis aequius de Ramo iudicabat, *liberum se*, ait [d], *probare philosophandi genus, nosse se, etiam, in Aristotele reprehendisse Ramum, quod probandum non fuerat. Ast cum Ramista non sit, ideo non oportere se esse Peripateticum, vt ab Aristotele nulla ex parte recedere liceat. Putandum itaque esse, se cuiusquam mancipium esse non velle; si quod ex Aristotelicis dogma reiiciat, id ex ipsomet Aristotele vel Aristotelica differendi ratione praestiturum, praeceptisque analyticis, quae non raro ipsemet neglexerit Aristoteles &c.* Maxime vero Peripateticorum Italicorum commendatio, quae ex schola Scherbii prodibat, vehementer Taurello displicuit. Cum enim nimia eorum veneratione ductus Scherbius, errores Peripateticos satis crassos, quos illi propinabant, aut negligeret, aut excusaret, Taurellus, qui liberius oculos aperiebat, detectis nefandis nonnullis dogmatibus Peripateticis laruam errori detrahere, et quam impie, quam inepte a veritatis coelestis via deflecterent, grauemque a sacris reuelationis placitis dissensum ostenderent, demonstrare conatus est. Et hinc bellum illud literarium, quod contra Caesalpinum, Piccolomineum, aliosque suscepit, exortum est, eo quod crederet, philosophiam eos Aristotelicam nouis erroribus adulterasse. Prolixe ea de re commentatur in *Praefatione Alpium caesarum*, quae tamen exscribere hoc loco omnia paginae angustia prohibet. Summa eo redit: *Non probari posse capita physiologiae Aristotelicae omnia, esse Aristotelis nonnulla de Deo et mundi aeternitate dogmata, quae ferri excusarique ab homine Christiano haud possint, sed magna opus habeant emendatione. De his acriter quidem inter se disceptare Peripateticos, ast magnorum illorum virorum tantis et tam intricatis conten-*

d) Dedic. libri de Vita et morte pag. 37.

contentionibus lectorem non offendi non posse, dum, quod res est, fateri nolint, ne non videantur Aristotelici vel philosophi, mire suis haereant tricis implicati, atque ne latum quidem vnguem ab Aristotele recedere vellint: esse vero, qui cum magnum affectent nomen et se velint haberi Peripateticos, ab Aristotelis tamen decretis facessant longissime, et vt fucum faciant, nescio quae Aristotelis loca perperam intellecta vel studio in alienos contorta sensus suis applicent nouis et falsis dogmatibus. Ceterum valde indignabatur Taurellus simulationi Peripateticorum, qui se talia secundum philosophiam tantum, et supposita doctrina Aristotelis afferere saluis religionis et ecclesiae decretis inculcabant, sicque Lateranensis concilii fulmina declinare satagebant. Nouerat enim, quae secundum reuelationem falsa sint, secundum rationem et philosophiam vera esse non posse, nec inter se discrepare lumen vtrumque, quod ex aeterno Deitatis lumine prodierit. Huic enim praeiudicio euertendo *Triumphum philosophiae*, quem iuuenis edidit, destinauit, et his potissimum armis partim contra Aristotelicos, partim contra ipsum Aristotelem in aciem processit. Prodiit libellus hoc titulo: *Philosophiae triumphus, hoc est metaphysica philosophandi methodus, qua diuinitus inditis menti notitiis humanae rationes eo deducuntur, vt firmissimis inde constructis demonstrationibus aperte rei veritas elucescat, et quae diu sepulta fuit philosophorum auctoritate, philosophia victrix erumpat* [e]. Quem librum e) extorsisse certam illam persuasionem, philosophiam, quae Dei donum esset, Deo non aduersari, et quae scientia esset, mentiri non posse, adeoque errores non philosophiae, sed philosophorum esse, ipse narrat [f]. Quamuis autem istud meletema plerosque offendisset grauiter, et theologos, quod philosophiae tribuerentur ea, quae solius viderentur esse theologiae, et philosophos, quod veterum philosophia doctorum detecti refutarentur errores: plerosque etiam vehementer vellicaret et vreret, adolescentem [g] audere talia, qui sacratissimam veterum philosophiam vix primis degustasset labiis; Taurellus tamen contemtis cachinnis pariter atque indignationibus, ipsam Aristotelis metaphysicam aggressus est, et quaecunque ad propositum suum facerent, multo labore collecta, in ordinem redacta et emendata sincere suis vsibus applicuit [h]. Ex his autem intellexit, illis, qui Christianam profitentur philosophiam, et quibus propositum, vere, pure, et nostrae religioni conuenienter philosophari, multa veterum dogmata partim esse emendanda, vel tollenda, partim vero etiam recte intelligenda, et explicanda. Huic itaque fini obtinendo totum philosophiae suae, cum theticae tum elenchticae destinauit studium, et

e) Basil. 1573. Arnhem. 1617. 8. conf. REIMM. l. c. et Cat. crit. p. 1103.

f) Praef. Alp. caesar. p. 28.

g) Annum enim tunc agebat decimum octauum aetatis.

h) Inde enata elegantissima eius Synopsis Metaphysices Aristotelis, quam ob raritatem recusam dedit praestantissimus FEVERLINVS, et doctis Annotationibus auxit Norimb. 1734. 4. multa in hoc libello abstrusiora metaphysicae Peripateticae capita recluduntur, multa examinantur, noua et singularia nonnulla afferuntur.

et non modo Peripateticam philosophiam ad sobriam rationem reuocare, sed errores quoque Peripateticorum tollere, et sophismata detegere magna diligentia studuit. Quibus eius conatibus cum animi fiducia responderet, magna Piccolominei, Caesalpini, Vallesii, Conimbricensium aliorumque nomina non pertimuit, vt non integris eos controuersiarum libris refutaret, cuius exempla esse possunt *Alpes caesae* [i], Caesalpino, librique *de Coelo* [k], et *de Mundo* [l] Francisco Piccolomineo, librique *de Rerum aeternitate*, Piccolomineo, Vallesio, Caesalpineo, Conimbricensibus [m], oppositi. Ex adductis vero de indole philosophiae Taurellianae accurate iudicari, et sententia certa pronuntiari potest. Et laudandum quidem omnino Taurellum esse, quod foeditatem praeiudicii auctoritatis viderit et detestatus sit, nemo inficias iuerit, qui verae philosophiae indolem naturamque intelligit. Et omnino verisimile est, Taurellum, si in nostra tempora incidisset, quibus proscripta philosophia sectaria triumphauit eclectica, plurimum allaturum fuisse ad incrementa philosophiae. Fruebatur enim iudicio acri, limato, perspicaci, et libertatem sentiendi fouebat cum quadam sui fiducia coniunctam, quae potissimum ad emendandam philosophiam et excutiendum seruitutis iugum requiruntur. Sed obstitit viro docto genius seculi, quod cum sectariae philosophiae amore totum esset occupatum, passum haud est, ad alia prorsus Taurellum deflectere, nouumque doctrinae philosophicae aedificium exstruere. Hinc viam quoque Peripateticam relinquere integram noluit, sed ipsa Lycei methodo, praecipue analytica, vt ipse monet, vsus est, vt errores in philosophiae hoc genere demonstraret. Quare quaecunque de rebus logicis, physicis metaphysicis philosophatus est, Peripateticum omnia vultum retinent, eo modo discrimine, vt non contentus docuisse, quid Aristoteles dixerit, examinauerit quoque, cur dixerit, ponderatisque rationibus ab eo allatis ea seruauerit, quae veritati essent consentanea, reiectis iis, in quibus Aristotelem vel sibi ipsi, vel rationi, vel reuelationi non constare iudicabat [n]. Id quod ipse luculenter eruditeque exposuit, ita de hac sua philosophandi methodo scribens: *Nos etiam non valde solliciti sumus, quid quisque dicat. Si de placitis Aristotelis est quaestio, praestat, ipsamet eius scripta consulere; si vero prima sit exquirenda veritas, non minus, quid Iohannes, quam quid Iacobus dicat, est audiendum. Primo inquam. Cum enim rationibus agitur, nulla suspicienda est auctoritas. Quae nulla etiam est, nisi quam rationes ipsae viris ingenio et iudicio praestantibus conciliauerint. Cum itaque ad principia reuocanda sint omnia, vt cuius naturae sint, intelligatur; a D. Thoma, Auerrhoë et Alexandro ad Aristotelem, et ab hoc etiam ipso ad eius rationes est ascendendum. Quidni ergo nos ipsos in Aristotele potius, quam eius interpretibus exerceamus?* Ex his vero definiri nullo negotio potest, vtrum Taurel-

i) Alpes caesae, hoc est Andreae Caesalpini monstrosa et superba dogmata discussa et excussa Francof. 1595. 8.

k) Ambergae 1603. 8.

l) Ibid.

m) Marpurg. 1604. 8.

n) loc. cit.

rellus Peripateticis an eclecticis philosophis adscribendus sit? quorum prius fecit IACOBVS THOMASIVS [o], qui *Aristotelicae philosophiae peritissimum in paucis virum* appellat; consentiente BAIERO [p], qui ipsis Taurelli verbis vsus est. Tacemus eos, qui Taurellum inter illos numinis hostes referunt, qui ex Lyceo prodierunt, de quibus in sequentibus dicemus. Posterius ELSWICHIO [q], REIMMANNO [r] aliisque visum, qui ea loca ex scriptis Taurellianis, collegerunt, ex quibus animus eius eclecticus elucet. Nec diffitemur, certo sensu dici posse. Taurellum philosophum eclecticum. Talem enim illum videri voluisse, clarissima eius verba demonstrant [s]: *Cum nulli sectae simus addicti, neque nos Auerrhois, neque Alexandri, neque ipsius etiam Aristotelis mouet auctoritas: vt cuique assentiamur et probemus, id quod a veritate sit alienum.* Et paulo post: *Si toti pendeant ipsi ab vnius Aristotelis sententia: Nos in rebus philosophicis nullius hominis imperium agnoscimus. Omne ius in ratione est positum, vt merito, quantum iuris in veteres fuit Aristoteli, tantum etiam in ipsum eius habeant posteri.* Immo in *Epistola dedicatoria* librorum *de Rerum aeternitate*, fatetur, *noluisse se Peripateticis adhaerere, quamuis maiori cum quiete et securitate, maiore etiam commodo suo potuisset emergere.* Ipsa quoque librorum eius inspectio docet, multa eum in systemate Aristotelis physico et metaphysico reprobasse, vidisseque errores multos, eosque abiecisse, multoque magis se interpretibus Aristotelis, id est Peripateticis genuinis opposuisse, nec in sola Aristotelis auctoritate acquieuisse, sed ad rationum certamina prouocasse. Si itaque Peripateticus idem est, ac *qui Aristoteli, vel Auerrhoi, vel D. Thomae aliiue cuipiam Peripatetico mordicus addictus, vel fraude vel arte quiduis ad magistri sui praecepta tuetur accommodare, et principii loco habet, quicquid Aristoteles asserit, in id iurandum esse,* (quibus verbis Taurellus Peripatetico sugillat [t]) fatendum omnino est, ab hoc Peripateticismo Taurellum vehementer abhorruisse, cui nihil magis detestabile visum fuit, quam; *vt quod tibi propositum est, obtineas, satis esse vnius Aristotelis auctoritatem, et non tam quid, quaue ratione, quam a quo sit dictum sibi curae esse.* Ast si eum eclecticum dicamus philosophum, qui contemto sectae omnis studio nullam alteri praefert, sed selectis ex quibuscunque philosophorum factionibus, quaecunque veritati propiora videntur, nouum sibi propria meditatione construit doctrinae aedificium, non videmus, qua ratione talis fuisse Taurellus dici possit, cum nihil horum vnquam susceperit, contentus Peripateticam philosophiam emendauisse. Potiori vero iure eum Peripateticis philosophis adscribi inde colligitur, quod licet, haud pauca Aristotelis placita refellerit, maiorem tamen eorum partem retinuerit, vt vel soli libri *de Rerum aeternitate*, *de Mundo et Coelo* et *Metaphysica* testantur;

o) Orig. Hist. philos. et eccles. p. 11.
p) loc. cit. p. 4.
q) De Fort. Arist. in academ. Protest. §. 23 p. 61.
r) loc. cit.
s) Praef. Alp. caes. p. 37.
t) pag. 23.

tur; quod vnum Aristotelem, quam omnes eius interpretes sequi maluerit; quod Aristotelem saepissime a παρερμηνείαις Peripateticorum recentiorum vindicauerit; quod in refutandis ipsius Aristotelis erroribus Peripatetica methodo vsus sit, et totius disciplinae Peripateticae typum seruauerit. Vnde si rationibus in vnum collectis sententia nobis de genere philosophiae Taurellianae dicenda est, omnium rectissime nobis illa dici posse videtur Peripatetica reformata. In id enim curam transtulit omnem, vt conculcato auctoritatis praeiudicio, quod nulla in re errasse Aristotelem delirat, ea quae vel Christianae veritati, vel rationi aduersa esse crederet, et rationibus euincere posset, emendaret, sicque purgaret disciplinam Peripateticam. Id quod adeo luculenter prodidit, fassus non agi de Aristotelis philosophia, sed de aliquot eius dogmatibus, quae multa egent emendatione, vt quid dubii supereſſe nequeat, non videamus. Neque haec magnopere miranda sunt ita euenisse; nam licet Taurello non defuerit ingenium vere eclecticum, et libertas quaedam sentiendi atque philosophandi haud inconcinna, destitutus tamen occasione, fauoreque temporis et circumstantiarum reliquarum, sine quibus eclectica philosophia non gignitur, ad natiuam eius indolem pertingere non potuit. Sed vt ad ipsam philosophiae Taurellianae historiam reuertamur, in haud paucis non Aristotelis modo, sed tritam quoque plerorumque philosophorum et theologorum viam relinquere, nullus dubitauit. Inter quae placita παράδοξα eminet illud, quod de prouidentia diuina fouit, et passim in scriptis suis disseminauit, paucis vero in praefatione Alpium caesarum ita complexus est [u]: *Duplex circa prouidentiam diuinam error admittitur, primo quidem si omnis rerum alienarum cura Deo detrahatur: Deinde si absque discrimine rerum quarumuis, et assidua quidem ei cogitatio adscribatur. Quem propterea merito censemus sex dierum spatio naturam condidisse, ne postea τὸ συνεχὲς τῆς νοήσεως καὶ ποιήσεως ipsi molestiam pareret. Nihil enim haec ad eius felicitatem faciunt, qui fuit ab aeterno, cum nihil ipsorum esset, felicissimus. Male profecto, quisquis rerum creationem ab initio mundi conditi, ad eius vsque finem extendit. Si enim voluisset in hisce Deus, occupari perpetuo, quid mediis opus erat naturalibus? Earum itaque rerum curam Deo non adscribimus, quas ipse naturae commisit, iis scilicet munitae viribus, vt eius mandata probe posset exsequi. Non video, quid hic notari possit impietatis, nam et sacris literis consentanea sunt haec et rationi vere philosophicae. - - De ceteris vero, quae nulla naturae necessitate, sed libero voluntatis arbitrio geruntur, aliter sentimus. Hic enim ob summam actionum humanarum varietatem diuino opus est regimine et prouidentia.* Nolumus addere alia omnia, quibus de diuina omnipotentia, natura, operibus, deque aliis paradoxe sensisse multis sua nostraque aetate

u) Non hanc nouam esse Taurelli opinionem sed iam adoptatam a Durando a S. Porciano, alibi Amoenit. lit. T. XIII. p. 38. monuimus.

visus est. Inter quae Ven. Reimmannvs [x], potissimum refert, quod statuerit: res a Deo creatas per se subsistere; peccatum originale nihil aliud esse, quam impotentiam cohibendi naturam; iustitiam Dei esse misericordiae fundamentum; tres esse diuinitatis personas, agens, actum et actionem; incorporea posse corrumpi, primam materiam esse τὸ nihil, substantiam substantiae contrariari, grauitatem et leuitatem non esse qualitates, vnum esse tantummodo sphaerarum coelestium motum, non plures, desperationem esse finem philosophiae et theologiae initium, sensum tactus esse etiam in incorporeis &c. Idem alio loco [y] plura notauit, nec desunt, quae aliis displicent, heic vbi specialem Taurellianae philosophiae historiam non scribimus, non cumulanda: praecipue cum nobis otia fecerit, qui ex instituto in hoc argumento versatus est, Cel. I. W. Feverlinvs [z], qui videndus. Dici non potest, quantam Taurello inuidiam excitauerit horum παραδόξων assertio, eo maiore suspicione onerata, quo concisiori et subobscuro is dicendi genere vtitur, et nimium interdum subtili, vt egregie obseruatum Cl. Reimmanno [a]. Inde factum, quod in Aristotele quoque obseruatum, vt obiectiones saepe afferantur sine addita eius nota, et ex attenta demum et iterata lectione diiudicare lectorem oporteat, vtrum alienam opinionem Taurellus referat, an suam? tacemus distinctiones nouas, insolitas, a communi significatione abeuntes, quam Taurelli obscuritatem in caussa fuisse, vt in multis alieni a mente sua sensus ei affingerentur, luculenter demonstrauit Feuerlinus. His accesserunt odium Peripateticorum et arcanae illae simultates, quae inter Scherbianos et Taurellianos discipulos vigebant [b], cum hi altum, more magistri, saperent, et Peripateticos velut mutos interpretes Aristotelis contemnerent, illi impietatem et καινοφιλίαν in Taurello mire exagitarent. Ipsi sane Peripatetici pati non potuerunt, suos ita circulos turbari, neque Schegkius, qui Taurelli ingenium magni faciebat, probauit iuuenilem impetum, praedixitque suo illum malo crabrones esse irritaturum. Id quod mature sensit, editis philosophiae suae primitiis, *Triumpho philosophiae*, quem, ipse refert, plerosque offendisse grauiter, et dicam illi theologos et philosophos scripsisse, auctoremque inter diuinae omnipotentiae hostes et impietatis fautores retulisse. Nec post fata, quod plerumque alias fieri solet, liuor quieuit, sed inter atheismi patronos, Epicuri sequaces, et apertos numinis aduersarios magno consensu relatus est, signum praeferente Zacharia Vietore [c], quem post theologos et philosophos A. C. inuariatae addictos Iacobum Martini, Christophorum Scheiblerum, Io. Weinmannum, Arahamum Calouium Andr. Quenstedium, et Cel. Loescherum, vt alios taceamus, satis moderate theses Taurellianas improbantes, secuti sunt ex reformatis theologi Heidelbergen-

x) Cat. crit. p. 1103.
y) Hist. liter. Germ. P. IV. p. 87. z) loc. cit.
a) Cat. crit. l. c. conf. Feverl. l. c. p. 42.
b) Conf. quae ex epistola Dürrii ad Thomasium affert Baierus l. c. p. 8.
c) In Topica Diss. III. §. 164.

genſes, et Gisbertus Voëtius aliique, qui cum locum Taurello inter atheos aſſignare nulli dubitauerint, alios recentiori aetate incitauerunt, vt ſimili modo de Taurello iudicarent. Neque tamen aliis paulo moderatioribus is viſus eſt, qui tam male de religione naturali et reuelata meruerit, quique ab atheiſmi et profanarum opinionum macula abſolui non poſſit, licet non omnia in quibus Taurellus a receptis philoſophorum et theologorum decretis receſſit, probanda eſſe cenſeant. Loca vtriusque partis cum magno numero adduxerit eruditiſſimus FEVERLINVS [d], et omnino mereatur elegantiſſima eius *Diſſertatio apologetica pro Taurello philoſopho* integra legi, illis finem paginae non oneramus. Ex hac ipſa vero viri celeberrimi apologia luculenter conſtare arbitramur, immitius plerosque cum Taurello egiſſe, qui tantum abeſt, vt impietati fauerit, vt hunc praecipuum philoſophiae ſcopum ſibi praefixerit, impietati ſe opponere, eamque in ſcriptis Peripateticis tecte propoſitam, denudare, ſuisque telis confodere. Et ſi fatendum quod res eſt, paradoxa illa Taurello tributa tantis ab eo limitationibus vallata prodierunt, vt facile ſit, meliores ſenſus eruere, certe inhumanum ſit, et res peſſimi exempli, ob eiusmodi aſſerta conſequentiarum machinis atheorum catalogum augere. Quod licet lubens alias faciat P. BAYLE, peruidit tamen, quo erat acumine, iniuriam fieri Taurello, et hanc illi accuſationem concitauiſſe odium Peripateticorum, quos in haud paucis libertate vſus eclectica oppugnauerat. Quae omnia latius exponi poſſent, nec iniucunda de placitis Taurellianis de Dei prouidentia ſpeciali eiusque concurſu ad res naturales, de anima et natura hominis, de animis brutorum rationalibus ſed mortalibus, de animis ſeparatis non intelligentibus, et imprimis de attributis Dei &c. tractatio inſtitui, niſi limites inſtituti obſtarent, et omnia occupauerit Cel. Feuerlini eruditio. Illud vnum monemus, abſurde et iniuſte agere, qui ex paradoxis nonnullis metaphyſicis, nouis plerumque terminorum ſignificationibus nixis, atheiſmi patrocinium exſculpunt. Ceterum magni nominis philoſophum, Taurellum fuiſſe, et inter praecipua Germaniae ornamenta referendum, viri ſummi recte iudicarunt. Inter quos MICHAEL PICCARTVS [e] eo magis audiendus eſt, quo magis is ex diſciplina Scherbiana Taurello parum fauente prodiit; is *clariſſimum* et *excellentiſſimum philoſophum et medicum* vocat: et *ingenii Taurelliani monumenta elogio omni maiora eſſe* iudicat, *eo quod excitent lectorum animos, et varietate irrepant, acumine penetrent, iudicio cogant*, &c. Similia paſſim a viris doctis de Taurello ſcripta ſunt, quae hic cumulare omnia locus non patitur. Sufficiunt nobis duo virorum ſummorum elogia, quibus noſtra aetate nemo fuit in orbe literario auctoritate ſuperior, PETRI BAYLE, et GOD. GVIL. LEIBNIZII. Ille enim laudato excellenti Taurelli ingenio et ſubtili ratione diſputandi, inter maximos illius aetatis metaphyſicos eum numerare nullus dubi-

d) loc. cit. Sect. I.

e) In Dedic. iteratae editionis librorum TAVRELLI de Coelo.

dubitat *f*. Hic autem ingeniosissimum vocat, fateturque, *se eum Scaligerum Germanorum appellare solere, stilo, acumine, ingenio, libertate sentiendi, medicinae professione simillimum ff*. Scripsit multa vir diligentia pariter et eruditione summus, partim philosophica, partim medica, enumerata quidem, sed imperfecte a MERCKLINO * et ADAMO †, accurata vero recensione enarrata ab illustri BAIERO *g*. Ea quidem vbiuis in Bibliothecis et in bibliopoliis occurrere scripsit vir quidam doctus *h*, sed id falsum esse, biblophilorum curiositati ignotum haud est *i*. Pleraque enim Taurelli scripta rarius inueniuntur, sine dubio, quod partim ob stilum obscurum difficilemque et reconditos sensus neglecta, partim ob atheismi suspicionem oculis subducta sint. Quae licet requirant lectorem attentum, praeiudicio non occupatum, diligentem quoque et laboris patientem, vt relegere aliquoties ea non recuset; exhibeant quoque nonnulla, quibus calculum adiicere prudentes recusauerint, eam tamen iudicii vim, eam eruditionis copiam, eam eruditionis elegantiam produnt, vt in iis aliqua cum cura versari harum deliciarum amanti omnino sit iucundissimum. Certe Taurelli eruditio et philosophia elegans exemplum est, non defuisse Germaniae nostrae ingenia excelsa, quae idem forte perfeciissent, quod aliarum regionum viri summi feliciter aggressi sunt, si in alia tempora aliumque locum incidissent.

Ernestus Sonerus.

§. LII. Scherbii scholam continuauit et auxit, qui ex eius disciplina prodiit, ERNESTVS SONERVS, vir doctissimus, et in philosophica pariter atque ecclesiastica historia memorabilis. Cuius vitam oratione panegyrica delineauit GEORGIVS RICHTERVS *k*, ita tamen, vt fidem non in omnibus mereri visus sit. Erat enim non discipulus modo Soneri, totus praeceptoris admiratione captus, sed in eius quoque partes clanculum discesserat, nec quae dici poterant et debebant, propalare ausus est. Vnde factum, vt diu superiorum auctoritate prohiberetur, hac oratione Sonerum publice laudare. Cuius rei arcanas circumstantias, qui nosse cupit, eas discet a B. ZELTNERO *l*. Qui cum *Crypto-Socinismi*, hoc tempore *Altdorfii serpentis* et a Sonero maxime promoti *Historiam* lectu sane dignissimam conderet, huius etiam philosophi atque medici fata, et opiniones mira felicitate et eruditione descripsit *m*. Quocum comparanda sunt, quae in *Vitis Medicorum academiae Altdorfinae n* de Sonero narrauit Io. IACOBVS BAIERVS νῦν ἐν ἁγίοις. Nobis hoc loco ea potissimum enarranda sunt, ex quibus constat, de schola eum Peripatetica eius aetatis in hoc Athenaeo praeclare meruisse. Natus est Sonerus in inclyta S. R. I. libera ciuitate Norimbergensi anno MDLXXII,

f) Dict. Hist. et crit. loc. cit.
ff) In Otio Hannouerano p. 141. add. MORHOF. Polyhist. T. II. p. 61. et quae collegere celeberrimi viri BAIERVS et FEVERL. ll. cc.
*) Linden. renou. P. I. p. 844.
†) loc. cit.
g) loc. cit.
h) Obs. Hal. T. X. n. 8. 9. p. 217.
i) Vid. Ven. VOGT. Catal. libror. rarior. p. 562.
k) Ea prodiit Norimbergae 1614. 4. Recusa in WITTENII Memoriis philosoph. dec. I. p. 18 sq.
l) Hist. Crypto-Socinismi Altdorfini §. 17. p. 52.
m) §. 26 seqq. p. 26 seqq.
n) pag. 26.

MDLXXII o), parente satus Marco Sonero, mercatore quidem, sed ab imperatore Maximiliano II nobilitatis priuilegiis donato. Cuius cura puer literarum rudimentis in gymnasio patrio ita a praeceptoribus fidis institutus est, vt in Altdorfinam academiam anno aetatis quinto et decimo mitti posset, adscriptus illi adolescentum literarum studiis inuigilantium numero, qui in publico prytaneo senatus Norimbergensis liberalitate sustentantur. Eo in loco scientiarum propaedeumaticarum institutione egregie formatus, iudicioque paulo maturior, cum supra spem in literis proficeret, ad philosophiam et medicinam traductus est. In vtraque tunc docuisse Scherbium et Taurellum, magna Pindi Norici ornamenta, hosque Peripateticam sapientiam tradidisse, illum satis sectarie, sed accurate ad mentem Aristotelis, hunc libere, et cum examine, ex antecedentibus constat. Eos itaque duces nactus animum ad Peripateticae philosophiae mysteria accuratius pernoscenda applicuit: artis quoque salutaris praecepta ex ore magistrorum tanta attentione et iudicii vsu percepit, vt et his, et quotquot Sonerum nouerant, egregie se commendaret. Maxime vero ex Scherbii eruditione profecit, studiumque et ingenium ita viro clarissimo probauit, vt publico eum ornaret testimonio, eruditionis Soerianae teste luculentissimo p). Anno itaque aetatis vigesimo tertio, dignus habitus est, cui docendi auctoritas atque ius publico axiomate cohonestato tribueretur. *Cum enim ad percipiendam Aristotelis mentem*, (verba damus RICHTERI) *non modernorum riuulos, sed ipsos antiquorum fontes, maxime vero Aristotelis scripta diurna nocturnaque industria consectaretur, ratus, se aliter eruditum fieri non posse, nisi concoloretur antiquis; a Scherbio autem singulari amore exceptus, multa philosophiae arcana reuelata accepisset, is vnus e multis ab eo viuo sibi successor delectus est*, idoneusque habitus, qui Lycei Altdorfini gloriam, praeceptorumque famam sustinere atque propagare posset. Magisterii, quod vocant, honore auctus ad docendum se applicuit, et priuatae iuuenum studiosorum coronae physicam secundum mentem Aristotelis tradidit, idque postea in medicina quoque tentauit et cum laude perfecit. Ita vero dum optimis disciplinis se ingurgitat, et eruditione praeclare crescit, valde quoque augetur eius commendatio. Qua factum, vt duo nobilissimi adolescentes, patricia gente nati, Christophori Füreri ab Haimendorf duumuiri et equitis aurati filius, et Christophorus Schlaudersbachius, qui de consilio parentum et tutorum literarium iter ingrediebantur, eius fidei et curae crederentur. Cum his per Saxoniae inferioris ciuitates atque academias Hamburgum delatus cum nauem conscendisset, Amstelodamum petiturus, in grauissimam tempestatem incidit, et naufragium vix euitauit. In portum quendam autem egressus, eum lue pestifera infectum co-

o) Apud BAIERVM 1573. l. mendo fine dubio typographico. p) RICHTER. l. c. BAIER. l. c.

cognouit; quamprimum itaque corpora curaſſent, relicto loco periculoſiſſimo per Friſiam orientalem ad nobiliſſimam Batauorum quae Lugduni eſt, academiam cum comitibus contendit. Ibi non ſine nominis claritate et famae celebritate Soneri eruditio innotuit. Cum enim in publicis literatorum congreſſibus, maxime in velitationibus philoſophicis inuſitatam doctrinae reconditae magnitudinem multoties demonſtraſſet, et imprimis quanta accuratione Ariſtotelis myſteria pernoſſet, oſtendiſſet, adeo vt nouum Belgio exortum eſſe Ariſtotelicae ſapientiae lumen multi iudicarent q); magnus inde et iuuentutis literis in eo ſcientiarum optimarum mercatu inuigilantis et celeberrimorum quoque virorum applauſus et eruditionis Sonerianae celebratio ſecuta isque habitus eſt, quem ſummi viri, qui dum in ea ſchola maxima cum laude docebant, vel ad eam diuertebantur, Ioſephus Scaliger, Ianus Douſa, Philippus Marnixius, Ioannes Heurnius, Paulus Merula aliique ſua amicitia dignarentur. Quam vero in iſta literarum ſede famae acceſſionem fecit in detrimentum illi fidei et religionis ea conuerſa eſt. Nempe Polonorum et Lithuanorum nobilium quorundam praeceptoribus Andreae Voidouio et Chriſtophoro Oſterodo innotuerat, qui tum cum alumnis ſuis ſtudiorum cauſſa Leidae haerebant. Hos Socini placita recepiſſe magnoque acumine defendiſſe, ex hiſtoria huius ſectae eſt notiſſimum. Cum his dum amicitiam nectit, (ſine dubio quod Polonorum multi iuuenes nobiliſſimi Altdorfium ſtudiorum cauſſa concedere ſolerent) opinionibus Socinianis Sonerus corrumpitur, ingenii confidens acumini. Illis tamen, cum peſtis haec innotuiſſet, Lugduno excedere iuſſis r), Sonerus ſuo ſe ſepto continuit, et opiniones ab eccleſiae doctrina deuiantes exire in publicum paſſus haud eſt. Neque tamen in hoc literarum elegantiorum emporio longius commoratus eſt, ſed iuuenes ſuae fidei traditos in Britanniam deduxit, Oxonienſem academiam inuiſit, Londini viris ſummis et eruditiſſimis innotuit. Ex inſula in Galliam transfretans, in ea regione vidit, quicquid iuuenem ſummam literarum gloriam affectantem inuitare et admirationem atque aemulationem accendere aptum eſt. Lutetiae Pariſiorum, Aureliani, et Auarici Biturigum cum Muſis conuerſari earumque alumnis iucundiſſimum habuit: Lugduno quoque, Auenione, Maſſilia aliisque nobilioribus Galliae vrbibus viſis in Italiam pedem cum ſociis promouit, adiitque Genuam, Mediolanum, Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Senas, ipſumque caput olim orbis, Romam: tum Neapolin, et quae circumiacent loca vetuſtatis fama nobilitata. In quibus non peregrinantium voluptatem perſecutus eſt, ſed eruditionis alimenta quaeſiuit, innumera antiquitatum rudera examinauit, ſcholas celebriores inuiſit, naturae arcana miraque ſpecimina rimatus eſt, et ad literarium penum cuncta diligenter retulit: et confecto hunc in modum itinere Italico ad Patauinas Muſas conceſſit, qua in ſchola eo tempore praeclaris praeceptoribus feruebat medicinae

q) Richter. l. c. r) Vid. Sandivs Bibl. antitrin. p. 91. 92.

cinae ſtudium. Quod tanta felicitate non quidem ſine oleo et ſudore abſoluit, vt ad Germanos redux Baſileae Rauracorum ſummos in arte medica honores atque iura obtinere poſſet. Ita eruditione et nominis celebritate auctus, at opinionum quoque paradoxarum farragine onuſtus in patriam reuerſus et collegio medico adſcriptus eſt. Ibi excellentiſſimam eius in medendo fortunam fuiſſe, multaque ab eius eruditione medica ſolatia aegros accepiſſe teſtatur RICHTERVS, qui ad praeſentis auditorii teſtimonium prouocat, affirmans, nihil fere in medicinae vſu poſitum eſſe, quod huius viri ſcientiam effugerit, fidemque ſummam non probauerit, quam imprimis Taurello grauiter decumbenti vsque ad vitae exitum, in morbo peſtilenti demonſtrauerit. Poſt mortem Scherbii, cum non alius eſſet, qui eruditionem tanti viri et philoſophicam et medicam melius referret, et gloriam Altdorfinae academiae eruditione ſua tueretur, ad eam ſcholam translatus et cathedra illi phyſica atque medica tradita eſt anno MDCV. Ibi non modo naturalem philoſophiam Ariſtotelis, quod muneris ratio exigebat, explicuit, ſed rationalem quoque et imprimis metaphyſicam partem excoluit, ſuisque commentationibus doctae iuuentuti illuſtrauit. In eo autem cura illius maxima fuit, vt conſultis medicorum et philoſophorum veterum, maxime Galeni et Ariſtotelis, ſcriptis, ad antiquam diſciplinam iuuenum ſtudia effingeret, ea a contortis recentiorum nonnullorum interpretationibus vindicaret, obſcuris lucem inferret, et quae irreconciliabilia videbantur, explicata in concordiam redigeret. Ita vero et auditorum numerus, et diſcentium applauſus mirum in modum illi auctus eſt, multosque habuit nobiles non modo diſcipulos, ſed et conuictores commenſalesque, imprimis Polonos et Lithuanos, quos illi praeter Scherbianae et Taurellianae in hac gente doctrinae famam [s], arcana illa, quam caute quidem, ſollicite tamen nutriuit amicitia et conſpiratio cum Socinianis comparauerat. Ab iis enim, quotquot illis partibus fauebant, Sonero commendati ſunt. Qui vt erat acutiſſimi ingenii et homo callidus, magna quidem in eo negotio prouidentia vſus eſt, ſumma tamen induſtria placita Socini tacite propagare et iuuenum inſinuare animis conatus eſt; multosque in eas partes pertraxit, inter quos imprimis fuit Martinus Ruarus [t], non ignobile poſt iſta tempora Socinianae factionis nomen. De quibus tamen Soneri placitis, ſtudio, fatis, hoc loco plura dicere nihil attinet, cum ad ſacram illa hiſtoriam pertineant, explicata ſummo ſtudio miraque felicitate a B. GEORGIO GVSTAVO ZELTNERO, cuius *Hiſtoria arcana Crypto-Sociniſmi Altdorfini* attente meretur legi. Non tacendum tamen, eam fuiſſe tum viuentis ob doctrinam vitaeque innocentiam opinionem, tum fatis erepti famam, vt non dubitauerint viri quidam docti ab hac Sociniſmi ſuſpicione Sonerum abſoluere [u],

s) Diximus ea de re in §. antecedente, conf. ZELTNER. l. c. p. 36.

t) Vid. RVARI Epiſtolae Cent. II. ep. 26. p. 511. Edit. Zeltner.

u) FABRIC. Hiſt. Bibl. ſuae T. II. p. 511. CRENIVS Animadu. philolog. T. V. p. 246.

vsi testimonio Iacobi Schopperi, theologi Altdorfini, qui morienti adfuit, pieque eum exspirauisse testatus est. Quos tamen falli, ipsumque, Schopperum pia credulitate deceptum fuisse, desideratissimus Zeltnerus satis verisimiliter ostendit, qui videndus. Maxime vero metaphysica Aristotelica vsus Sonerus est, ad insinuanda iuuenum animis Socini placita. Quamuis enim artem salutarem profiteretur, metaphysicas regulas tamen theologicis exemplis ita illustrauit, vt ex Peripato potissimum ἑτεροδοξίας color aduocaretur. Quod si integer et non truncatus mutilatusque comparuisset *Commentarius* eius *in Aristotelis metaphysicam*, editus post fata a Ioanne Paulo Felwingero [v], luculentius constaret, quo pacto Peripateticis armis subdole Christiana mysteria confodere Sonerus aggressus sit. Ast in hac editione ea, quae offensioni esse poterant, omissa esse, non negat ipse editor: cum tanta suspicionem hanc secuta sit inuidia, vt eam amici Soneriani, inter quos Ruarus et Richterus eminuere [w], merito pertimuerint. Obiit vir doctissimus in flore aetatis annos natus quadraginta [x], IV Cal. Oct. anno MDCXII, vlcere maligno extinctus, relicta magna eruditionis haud vulgaris fama. Quam imprimis nobilitauit Peripateticae philosophiae natiuae et sincerae cognitio, qua Aristotelicae philosophiae in paucis peritissimus audit iusto in hac re arbitro IACOBO THOMASIO [y], vt similia aliorum iudicia taceamus [z]. Maior autem futura fuisset Sonerianae doctrinae celebritas, si modum acumini philosophiae sectariae ponere nouisset et abstinuisset ab iis opinionibus, quibus sacra Christianae fidei temerasse, et bellum armis Peripateticis ciuitati sacrae intulisse visus est. Cuius exemplum qui vult, sumere illud potest, ex scriptiuncula Soneri satis ingeniosa quidem, sed rarissima, quam titulo *Demonstrationis theologicae et philosophicae, quod aeterna impiorum supplicia non arguant Dei iustitiam sed iniustitiam*, edidit *. Scripsit pro aetatis annis haud grauis modulo satis multa vir diligentissimus *Disputationes, philosophiae Altdorfinae* ex parte insertas †, *Paraphrasin in Aristotelis libros de interpretatione* [a], et medica nonnulla atque theologica, de quibus, cum huius loci non sint, videndi ABR. MERCKLINVS [b], et G. G. ZELTNERVS [c], qui de catechismo eius Sociniano albis coruis rariore est videndus. Reliquit etiam *Commentarium in libros VIII Physicorum Aristotelis* hactenus typis non vulgatum, teste OMEISIO [d] et BAIERO [e].

§. LIII.

v) Ienae 1657. 4. In hac vero editione licet truncata nonnulla occurrere minus probae monetae obseruat Cl. IOACH. FRID. FELLERVS, in Supplem. ad vitam Leibnizii p. 11.

w) Vid. RVARVS Epist. cent. II. p. 420. Epistolae Richterianae p. 391. ZELTNER. p. 40.

x) Perperam apud REIMMANNVM Hist. lit. Germ. P. IV. p. 9. ponitur annus trigesimus.

y) Orig. Hist. phil. et eccles. p. 11.

z) Vid. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 11. p. 62. REIMM. et FABR. ll. cc. ELSWICH. de Fortuna Aristot. in Acad. Protest. §. 23. p. 61. BVD. DEVS Isagog. L. I. p. 254.

*) Prodiit cum nonnullis libellis Laelii et Fausti Socini Eleutheropoli 1654. 16. vid. Cl. VOGTIVS Cat. libr. rar. p. 545. SANDIVS loc. c. Conf. FELLER. l. c. MOSHEM. Praef. Orat. SS. Vol. I. ZELTNER l. c. p. 50. †) Decem eae sunt.

a) BAIER. loc. cit.

b) Linden. Renou. P. I. p. 263.

c) l. c. add. SANDIVS l. c.

d) Gloria Acad. Altdorf. p. 69. e) loc. cit.

§. LIII. Praeceptorum veſtigia magna induſtria preſſit et eruditionis Peripateticae gloriam Heliconi Norico vindicauit MICHAEL PICCARTVS, cuius memoriam poſt Fridericum Rochſium, Prutenum, cui *Piccartomnema* debemus, recuſum ab HENRICO WITTENO *f*, ab obliuione vindicauit B. SIGISMVNDVS IACOBVS APINVS *ff*. Natus eſt Norimbergae III Cal. Octobr. anno MDLXXIV, parentemque habuit Ioannem Piccartum, vel quo pacto ipſe nomen exprimere ſolebat Picardum *g*, qui poſt ea tempora Altdorfinae eccleſiae praefuit, et theologiam docuit. Cum praeclarae indolis ſpecimina mature ederet, parensque ingenio, quod optimum nactus erat, calcar cohortationibus et exemplo adderet, magnis paſſibus adhuc adoleſcens ad literarum gloriam graſſatus eſt, adeo vt annos natus quinque ſupra decem, gradum baccalaureatus, quem vocant, conſequeretur, et praematura referret diligentiae praemia. Quae tantum abeſt, vt ſegniorem in hoc, quod ingreſſus erat ſtadio, abſoluendo facerent, vt potius ſummum illi ardorem excitarent, ad maiora et praeſtantiora contendendi. Vſus itaque in diſciplinarum, maxime philoſophicarum, ſtudiis proſequendis magiſtris, quos Altdorfina ſchola eo tempore alebat optimis et praeſtantiſſimis, et imprimis veterum lectioni ex conſilio praeceptorum totum ſe immergens octodecim annorum iuuenis maturos virilis eruditionis fructus tulit, eorumque teſtimonium luculentum accepit, publica promotione inter philoſophiae doctores relatus. Vt itaque iuris optimarum artium ſtudiis ſibi acquiſiti vſum haberet, philoſophiam iuuentutem docere, et diſputando quoque ingenii vires explicare coepit, eo ſucceſſu, vt apud omnes honeſtiſſima de eius doctrina opinio eſſet, et magna expectatio. Quam ita expleuit, vt, licet iuuenis adhuc anno MDXCIX cathedrae logicae, ampliſſimi ſcholarcharum collegii iudicio et iuſſu praeficeretur. Nec melior quoque muneri huic doctor dari poterat. Exemplo enim et inſtitutione magnorum virorum, qui ſua doctrina Pindum Noricum illuſtrauerant, excitatus ad veterum philoſophorum, praecipue ad Ariſtotelis fontes ſe conuertit, et Peripateticam philoſophiam ex ipſis ſcaturiginibus, contemtis impuris interpretum recentiorum riuulis hauſit, hacque ratione egregiam lucem Peripateticae doctrinae accendit. Quo pacto cum de literis egregie mereretur, et Altdorfinae quoque academiae gloriam indies augeret, ob ingenii acumen et elegantiam, qua in arte quoque poëtica excellebat, metaphyſica quoque atque poëtica profeſſio ei demandata eſt. Cui ſpartae ornandae nec dignior nec doctior praefici potuit. Magna enim iudicii acrimonia in arcanas metaphyſicae et logicae Ariſtoteleae rationes penetrauerat, et eſotericam Stagiritae diſciplinam intime callebat, eam autem ſumma perſpicuitate iuuentuti explicabat. Ingenii amoenitatem autem ele-

Michaël Piccartus.

f) Memor. philoſ. P. I. p. 181. Inde ſua hauſere FREHER. in Theatr. p. 1415 REIMM. Hiſt. lit. P. V. p. 20. FABR. Hiſt. Bibl. ſuae T. V. p. 428.

ff) In Vitis philoſ. Altdorf. p. 87 ſeqq.

g) Vitam eius exhibet ZELTN. Vit. theolog. Altdorf. p. 1 ſeqq. primus is theologiae profeſſor fuit in Gymnaſio Altdorfino.

gantissimae eruditionis copia ita illustrauit, vt siue pangendi carminis Latini felicitatem, siue lectionis historicae copiam, siue veteris philosophiae notitiam, siue Graecae linguae facultatem, et totum fere veteris ἐγκυκλοπαιδείας campum intuearis, Piccartum vbique virum se praestare solide doctum atque accuratum videas. Quam eruditionis famam vt optimis de literis et philosophia meritis nactus est, ita magno eruditissimorum virorum consensu obtinuit. Testes volumus doctorum virorum iudicia, quibus summis laudibus Piccartum extulerunt, inter quos Isaacus Casaubonus vt accurate, quid valerent eruditi intelligebat, ita nostri scripta impense laudauit, et vt gnauiter in eo cursu pergeret, vehementer cohortatus est [h]. Alios, ne nimis longi simus, in fine paginae nominamus [i], de Piccarti doctrina audiendos. Talis cum esset, adeo gratus acceptusque senatui Norimbergensi fuit, vt singularibus beneuolentiae testimoniis eum ad tuendam hanc scholae suae gloriam excitaret, et stipendium quoque praeter consuetudinem augeret. Mirum itaque videri queat, virum doctissimum per totam vitam cum paupertate colluctatum a libraria supellectile plane destitutum fuisse, et scriptorum a se editorum numerum librorum aceruum superasse [k]. Quamuis autem ista calamitate mire premeretur, defecit tamen nunquam vel a pietate sanctisque, quibus valde commendabatur, moribus, vel ab industria, qua muneris rationes fideliter exsequi, et iuuentuti pariter atque orbi literato prodesse studuit. Quibus intentus, in ipso aetatis flore, nondum annum aetatis quadragesimum septimum egressus apoplexia correptus et anno MDCXX, V Non. Iulii extinctus est. Plurima scripsit vir supra modum diligens et eruditus, atque in philosophia Peripatetica sinceriori exercitatissimus; cuius specimen esse possunt *Dissertationes quinquaginta et vna*, insertae philosophiae Altdorfinae, in quibus magna regnat philosophiae Aristotelicae cognitio. Illi philosophicam historiam felicissimo successu iunxerat, cuius eum accurate peritum fuisse, vel vna oratio *de Theologia Aristotelis et Platonis* [l] demonstrat. Eundem quoque in ciuili historia se praestitit, cuius testes sunt *Orationes* eius *vno fasciculo editae* [m]. Maxime vero de Aristotelica philosophia meruit, edita *Manuductione in lectionem Aristotelis*, quam certatim laudarunt viri doctissimi et accurati in hoc argumento arbitri [n]. Inter quos imprimis HERMANNVS CONRINGIVS, qui libro huic epistolam praefixit [o], legendus est, eo quod maximo in Peripatetica doctrina iudicio vtebatur. Is enim, quamuis nonnulla displicerent, in quibus ab eo dissentiebat, iuuentuti tamen Aristotelicam philoso-

h) Vid. Epist. Casaubon. DCCXXIX. p. 956.

i) Vid. OMEIS. Glor. Acad. Altdorf. p. 104. 108. Epistolae Richterianae p. 34. 164. RVPERT. Or. Hist. p. 215. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 590. 650. 652. 663. 884. 889. et quos laudant FABR. l. c. et MAGIRVS Eponymolog. crit. p. 661.

k) APINVS l. c. p. 88. 92. caussam is, in filios quos noxas habebat et decoctores, coniicit.

l) Philosoph. Altd. p. 599.

m) Lipsi. 1614. 8.

n) Vid. BOECLER. Bibl. crit. p. 650. 652. MORHOF. Polyhist. T. II. p. 63. BVDD. Hist. phil. c. 6. §. 5. p. 385. 386. I. ALB. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. II. p. 183. STRVVIVS Bibl. phil. c. 3. §. 17. p. 120. ZELTN. Vit. theol. Altd. p. 362.

o) Extat etiam inter epistolas Conringianas, p. 323.

losophiam discere cupienti libellum nocturna, diurnaque manu versandum vehementer commendauit. Erat enim quod alibi fatetur [p], in ea de Piccarto opinione, *eorum, qui Scherbio et Piccarto academiae Altdorfinae quondam primatibus peritia verae Aristotelicae philosophiae paria fecerint, non in Germania duntaxat, sed etiam alibi, vix se quenquam reperisse.* Eandem doctrinae soliditatem demonstrauit in *Commentario in libros politicos Aristotelis* bonae frugis pleno, in quo interpretum omnium commodissimum se exhibuisse Henr. Boeclero [q] visus est, vt aliorum laudes [r] de hoc libro egregio praetereamus. Sed et omnia eius scripta [s] testimonia suppeditant eruditionis elegantissimae, et hodie quoque famam auctoris pulchre tuentur. De his optime meriti sunt academiae Altdorfinae ornamenta haud vltima, Ioannes Paulus Felwingerus, qui potiorem dissertationum Piccartianarum partem [f] ab interitu vindicauit, et Ioannes Conradus Durrius [t], qui *Introductionem* Piccarti *in Lectionem Aristotelis* recudi fecit [u]. Vterque haeres fuit doctrinae Peri-

p) Conringiana p. 39. q) loc. cit. p. 652.

r) Vid. Bvdd. Isagog. Hist. theol. L. I. c. 4. p. 321. Reimm. l. c. p. 20. Morhof. l. c. p. 63. 493. Strvv. l. c. p. 138.

s) Catalogum scriptorum Piccarti exhibet Apinvs l. c. Prodiit eius Oppianus Amb. 1604. 4. Pericula critica Helmst. 1663. Introd. in Organ. Aristotelis Altd. 1625.

f) In Philosophia Altdorfina. Vitam Felwingeri, qui 1606. natus est, 1687. denatus, et logicam, metaphysicam et politicam Altdorfii docuit, enarrat Apinvs l. c. p. 173. Meruit de philosophia Peripatetica, tum editis Scherbii, Soneri, Piccarti lucubrationibus, tum Collegio logico de Sophisticis elenchis contra Faustum Socinum, Palaestra rationis, siue logica Peripatetica, Institutionibus politicis et aliis, quorum indicem exhibet Apinvs l. c.

t) Eleganter doctus fuit Io. Conradus Durrius, et imprimis Peripateticae philosophiae apprime gnarus, de Musis autem Altdorfinis praeclare meritus, cuius vitam copiose enarrauit B. Zeltnervs in Vitis theol. Altdorf. p. 344 seqq. hoc loco non prorsus praetereundam. Natus Norimbergae 1625. VIII Cal. Dec. praeceptores in patria habuit Ioannem Vogelium, haud incelebre in historia Crypto-Socinismi Altdorfini nomen, Io. Grauium et Mich. Dilherrum, et Altdorfii Hackspanium, Koenigium, Weinmannum et Fabricium, Ienae Stahlium, Zeisoldum, Sleuogrum, Musaeum. Quibus magistris in Peripateticae philosophiae cognitione adeo creuit, vt publica eius specimina cum laude edere posset. Imprimis Ienam laudauit, tanquam „fidelem Germanae, hoc est, Aristotelicae philoso„phiae nutriculam, atque felicem se praedica„uit, quod Aristotelis lac ἄδολον suxerit". Iena, Helmstadium translatus sacram et philosophicam doctrinam ex institutione celeberrimorum virorum Horneii, Cellarii, Calixti Conringii, Scheurlii, Schraderi, qui valde in antiqua literatura, maxime Peripatetica excellebant, auxit. Lipsiam dein inuisens domum ad regendos reip. Norimbergensis alumnos vocatus est, et rationalem atque moralem philosophiam diligenter excoluit. Cum autem Aristoteli Scholasticos doctores iunxisset, opportune a Iacobo Brunone, praeceptore suo ad meliores et veterum philosophorum fontes reuocatus est, peculiari Epistola, digna quae ipsa apud Zeltnervm l. c. p. 351. legatur. Ex ea enim philosophorum Altdorfinorum iudicium graue sane et maturum de philosophiae Scholasticae pretio nullo plane et negligendo disci potest. Paruit monenti praeceptori Durrius, et solos veteres imprimis Aristotelem sectatus est, eiusque natiuam mentem philosophando feliciter expressit. Cum autem elegantioris quoque literaturae apparatum possideret satis magnum, moralis philosophiae et poëseos professio ei demandata est; quam magna quoque cum laude et doctrinae praestantissimae testimonio secundum Aristotelem excoluit, multamque illi disciplinae lucem intulit. Vnde laudauit eum Conringius, „quod ad Graecorum „Aristotelis interpretum lectionem animum ap„pulerit, eo quod rarus sit hodie, qui eos vel „obiter velit salutare". Conf. Reimmannvs Hist. lit. Germ. P. IV. p. 726. anno 1657. ad cathedram theologicam, seruata tamen morali professione traductus est, in quo munere modestiam, prudentiam et cum veritate pietatem, mansuetudinem animumque mitem eum demonstrauisse testatur Zeltnerus. Obiit 1677. relictis disputationibus, orationibus, epistolis, aliisque opusculis minoribus compluribus, itemque Institutionibus ethicis, quibus adiecta oratio lectu dignissima de Recondita philosophia poëtica.

u) Titulus libri est: Isagoge in Lect. Arist. h. e. Hypotyposis totius philosophiae Aristotelicae olim a Mich. Piccarto concinnata, nunc iis partibus quibus deficiebat aucta, et notis illustrata 1660. 8.

Peripateticae in hac Musarum sede per integrum seculum eleganter conseruatae.

§. LIV. Sororio multoties vinculo, communique studiorum sorte cum Altdorfina cohaesit Helmstadiensis academia [v], quae post illam primum inter istas scholas locum occupat, in quibus sincerae philosophiae Aristotelicae studium viguit. Id quod viri illi celeberrimi probant, quibus in Germania seculo XVII plurimum debuerunt incrementa philosophiae Peripateticae. Illi etsi plures sunt, suo tamen iure peculiari obseruatione memorari merentur Cornelius Martini, Conradus Horneius et Hermannus Conringius. CORNELIVS MARTINI Antwerpiensis fuit, vnde a Swertio, Valerio Andreae aliisque, qui scriptores Belgicos enumerant, tangitur. Natus est anno MDLXVII, et puer adhuc optimis disciplinis innutritus crescentibus ingenii corporisque viribus philologiae, philosophiae Aristotelicae, et theologiae studiis se dicauit, ea sedulitate, eoque acumine, vt cum apud Helmstadienses cathedra philosophiae rationalis vacaret, ille ad hanc obeundam spartam plaudentibus omnibus vocaretur. Ibi et philosophiam Peripateticam, et sacras quoque disciplinas praeter ordinem docendo magnam nominis atque eruditionis famam consecutus est. Eminebat enim illa in disciplina peripatetica, quam tanto acumine omnem comprehendit, vt inter summa Lycei recentioris ornamenta referretur, tantumque eius eruditioni tribueretur, vt dignus iudicatus sit, qui a duce Brunsuicensi Iulio ad colloquium Ratisbonense mitteretur, eo quod philosophicae cognitionis quam alebat profunditate et acuto, quod ex illa referebat, iudicio plurimum valere posse contra sophismata Iesuitica partes Protestantium censerentur. Sensit quoque, qui ex altera parte magna scholasticae subtilitatis confidentia in arenam descendit Iacobus Gretserus, quem in eo virum esset expertus. Hinc indignatus, quod philosophus inter theologos comparuisset, illum rogat: *Quid Saul inter prophetas?* cui appositе Martinus *quaerit*, respondet, *asinam patris sui* [w]. Acerrime enim armis metaphysicis disputabat, quam potissimum disciplinam tanto amore prosecutus fuisse Io. Angelo Werdenhagenio ICto Helmstadiensi dicitur, vt contenderit, bonum logicum et metaphysicum vno oculi ictu non solum S. scripturam pernoscere, sed omnem quoque eruditionis campum supra humanae mentis conditionem comprehendere posse. Id quod ad inuidiam Martiniano nomini conflandam strenue reprehendit God. Arnoldvs [x]. Fatemur tamen, valde nobis suspectam esse Werdenhagenii narrationem. Illum enim parti Hofmannianae addictissimum fuisse, quae philosophiam omnem reprehendebat, quaeque Cornelium Martini acerrimum aduersarium experta erat, infra de hostibus philosophiae dicturi ostendemus: licet a verisimilitudine alienum non sit, plurimum tribuisse eum illorum studiorum generi, in quo omnem fere aetatem

Cornelius Martini.

v) Conf. Zeltn. Vit. theol. Altdorf. p. 254. 291. 315. et passim.

w) Conf. B. Ioann. Andr. Schmidii Diss. Quid Saul inter Prophetas? pag. 20.

x) Hist. eccles. et haeret. P. II. L. XVII. cap. 5. §. 18. p. 461.

aetatem triuerat. Maxima autem diligentia Peripateticam philosophiam excoluit, eique pertinaciter adhaesit, omnes ingenii neruos intendens, vt Aristotelica doctrina salua maneret atque illibata. Qui zelus pro isto philosophiae genere, eum tum in Rami assecla armauit, quorum conatibus acerrime resistere, aciem frangere, copias reprimere, et nutantem Peripateticismum denuo erigere omnibus viribus sategit [y]: tum aduersus Danielis Hofmanni, philosophiae vsum plane omnem denegantis partes in campum prouocauit, cuius *Impietati*, vt habet titulus, *malleum*, id est scriptum apologeticum pro philosophiae vsu et auctoritate opposuit: de qua controuersia eius infra plura dicemus. Cum vero telis philosophicis pharetram suam abunde instruxisset, contra Romanorum placitorum προμάχους, qui tunc non sine quadam acuminis philosophici laude in arenam descenderunt, maxime contra Bartholdum Nihusium bellum gessit philosophicum et theologicum. Imo cum Vitebergensibus quoque theologis controuersiarum ferram reciprocauit [z], quae tamen alio loco enarrandae sunt. Obiit quinquaginta et quatuor annos natus anno M D C XXI, relictis scriptis plurimis et polemicis et didacticis, inter quae sunt *Analysis logica* et *Commentarius logicus contra Ramistas*, *Commentarius in librum Aristotelis de Interpretatione*, itemque *Systema philosophiae moralis*, vt et *Metaphysicae*. Tacemus scripta eius theologica, alio loco enarranda ex quibus tamen non tacendum eius *Theologiae compendium*, quod cum Henr. Ivlii Schevrlii *Theologia naturali* prodiit [a], et propter methodi soliditatem et facundiam inusitatam valde ab eius temporis viris doctis [b] laudatur. In eo [c] vetustissimam opinionem de animae origine ex parte recoxit, statuens *posse efficere Deum, vt ex anima parentum emanet alia, quae iisdem sit qualitatibus cum parentis anima.* Haec enim assertio quamuis in se noua sit, supponit tamen antiquissimam doctrinam, animam ex emanatione spirituali suum ortum habere. Fuit vir longe doctissimus, a nullo doctrinae genere imparatus, cui praeter ingenii et doctrinae praestantiam animus insedit magnus, et fortitudine conspicuus; vnde eum Ioanni Caselio iungit, et inter optimarum literarum et disciplinarum decora et columina, atque ornamenta vniuersae Germaniae refert Georgivs Calixtvs [d], cui et alibi [e] audit *vir summus, animi ingentis et plane heroici, cui prae studio pietatis, virtutis et eruditionis vilia fuerint, quae splendore suo plerorumque oculos solent perstringere.* In quo si quid culpandum, illud fuit, quod vetustiorum sententen-

y) Dicemus ea de re infra, in historia Ramismi, interim consuli possunt Morhof. Polyhist. T. II. L. I. c. 11. p. 66. Elswich. de Fort. Arist. in Acad. Protest. p. 59. Cel. Walchivs Hist. Logices L. II. Parerg. Acad. p. 615.

z) Conf. Io. Fabr. Hist. Bibl. suae T. IV. p. 289. T. V. p. 153. T. VI. p. 3.

a) Guelpherbyti 1650.

b) Vid. quos laudat Fabric. l. c.

c) pag. 205.

d) Appar. theol. p. 57. conf. de Comm. sub vtraque p. 351.

e) In iterata compell. ad Colon. Academiam p. 351.

tentiarum plus iusto interdum tenax fuerit, qua ratione eum, Conringium, quem discipulum habebat formauisse, is ipse testatur [f]. Vnde intelligi potest, quid de aduersariorum eius censura sentiendum sit, qui Epicuri de grege porcum appellarunt, id quod more suo non explorata testium suspectorum fide repetit G. ARNOLDVS [ff]. Ea enim tempestate sine acerbitate et contumelia controuersias agitare non licebat, vt ex MEINERI, viri cetera et pietate et morum dulcedine atque iucunditate commendatissimi, *Admonitione de M. Cornelii Martini maledicentia, iniquitate et in logicis legibus suis obseruandis negligentia*, disci potest. Ex his enim similibusque libellis testimonium de viris doctis non suspectum hauriri non potest. Illud certum, nostrum inter maximos philosophos passim numeratum fuisse [g], eiusque mortem acerbe luxisse viros eruditos. Obscuritatem tamen in eius metaphysica reprehendit HENR. BOECLERVS [h], quae eius subtilitati et studio veteris disciplinae Peripateticae tribuenda est. Illa enim plerisque ab hoc doctrinae genere imparatis difficilis et subobscura esse solet.

Conradus Horneius.

§. LV. CONRADVM HORNEIVM, magnum eiusdem academiae Iuliae decus laudauit CHRISTOPH. SCHRADERVS oratione parentali [i], ex qua eius vitae historia disci potest. Eum enim secuti sunt, qui res illius tetigerunt FREHERVS [k], REIMMANNVS [l], alii. Natus is VII Cal. Dec. anno MDXC, apud Brunsuicenses, patre pastore ecclesiae, intra primum lapidem ab vrbe Brunsuico distantis. A quo cum disciplinarum elementa hausisset, ad augendas excolendasque ingenii vires et acquirendas doctrinae diuitias in gymnasium vrbis missus est. In eo cum praeter praeceptores alios illi talis contigisset, qui adolescentem sponte currenten addito calcari ad veteris eruditionis Graecae et Latinae fontes duceret, dici non potest, quantum in vtraque lingua et literatura fere omni profecerit. Ita ingenii corporisque viribus maturior riteque praeparatus in academiam Iuliam ablegatus est, in qua magnas eruditionis veteris copias explicabat vir summus Ioannes Caselius. Huius curae, institutioni et conuictui noster summo suo emolumento et eruditionis incremento traditus est, cum eum specimen aliquod Graeci epigrammatis mire commendauisset. In quo viro maximo, vtroque licet parente orbus, inuenit, quicquid solatium illi afferre poterat. Valde enim placebat Caselio Horneii Graecae literaturae amor et mira cognitio; qui cum has vnas sibi delicias delegisset, perspexisset autem vim bonae mentis et iudicii, quae ingenio Horneii inerat, plurima de eo sibi pollicitus est, et solidae eruditionis fructus maturos expectauit. Eum itaque omnis humanitatis disciplinis, quibus egregie Caselius praestabat, imbuit, et anagnosten quoque in Graecis et Latinis literis per

f) Conringiana p. 101. vbi eum maximum magistrum vocat.
ff) loc. cit.
g) Vid. quos laudant MAGIRVS Eponymol. crit. p. 571. et FABRIC. l. c.
h) Bibliogr. crit. p. 620. qui tamen eruditionem in ea agnoscit.
i) Extat in WITTENII Memoriis Theol. p. 728.
k) In Theatro p. 548.
l) Hist. liter. German. P. IV. p. 733.

per integrum triennium adhibuit, libros veteres eosque optimos ex bibliotheca suggessit, et studia eius consiliis integerrimis adiuuit, idque ad mortem vsque suam magna illi fidelitate praestitit. Vnde factum, vt pulcherrimis veteris doctrinae ornamentis eniteret Horneius. Vt autem philosophiae quoque mysteria perdisceret, quibus viam feliciter praeparauerant disciplinae elegantiores, Cornelii Martini institutione vsus est, sicque Peripateticam philosophiam sinceriorem pernouit: id quod eo felicius fieri potuit, quo magis ipsa Aristotelis adire scripta ob Graecae linguae peritiam illi licuit. Ita iactis eruditionis fundamentis et superstructo solido aedificio per quadriennium, docendi ius titulumque more maiorum accepit, et ad instituendam iuuentutem se contulit. Cumque in contubernium Cornelii transiisset, hospitem nactus, teste SCHRADERO [m], vindicem veritatis, omnium eruditionis partium gnarum, et demerendis denique hominibus genitum, ab eius ore quotidie pependit, eoque monitore iuuentutem studiosam docendo, disputando, scribendo exercuit, plurimaque per octennium edidit, ethica, logica, physica, metaphysica, politica, geographica, Hebraicis quoque non neglectis. Sacris autem disciplinis animum adiungens cum diuinis literis veteris ecclesiae monumenta diurna nocturnaque manu versauit. Talis cum esset, et iam diu spectatissima fuisset in academia Iulia eius eruditio, anno seculi decimi septimi vndeuicesimo ciuilem de moribus doctrinam publice profiteri iussus est, cui post biennium successit rationalis philosophiae professio, locum ei praebente Cornelio Martini, qui morte decesserat. Quod munus ita diligentia, cura, studio cum insolita eruditione atque veteris philosophiae cognitione iuncto ornauit, vt veterem Lycei Helmstadiensis gloriam iusto tueretur titulo, haud indignus viris summis successor datus. Ob quam eius praestantiam summamque, qua in docendo vtebatur dexteritatem anno MDCXXVIII ad cathedram theologicam traductus est, cui quoque summa fide, eaque nominis celebritate praefuit, vt inter praestantissimos sacrae disciplinae doctores referretur. Et in hoc stadio currentem annumque agentem quinquagesimum nonum mors oppressit magno ciuitatis literatae luctu VI Cal. Octobr. anno MDCXLIX, relicto filio, paternae eruditionis haerede, qui primo quidem Rintelensem, deinde Helmstadiensem academiam docendo illustrauit, Graecas literas egregie doctus, et edito METROPHANIS CRITOPVLI *Confessione catholicae et apostolicae in Oriente ecclesiae* [n] *celebris* [o]. Maximas autem corraserat Horneius ingenii diuitias, ex veterum, potissimum Graecorum, scriniis, quibus de antiqua ecclesiae et philosophorum disciplina, imprimis autem de doctrina Peripatetica accurate iudicare nouerat. Quam eius insignem peritiam testantur libri plurimi, tum theologici, tum philosophici argumenti, quorum catalogum exhibet HENNINGVS WITTENVS [p]. Inter quos praeter *Disputationes*, et

m) In Orat. parent.
n) Helmst. 1661.
o) Conf. FREHER. l. c. FABRIC. l. c. T. V. p. 198. 199.
p) loc. cit.

Exercitationes logicas, *Conclusiones metaphysicas*, et huius generis alia eminent *Disputationes ethicae decem*, *depromtae ex ethica Aristotelis ad Nicomachum*; *Compendia dialecticae*, *et naturalis philosophia*, *Disputationes de prima philosophia*, *Institutiones logicae*, *et philosophia moralis*. In his Aristotelem ita sequutus est, vt tamen ad rationis examen cuncta referret, et Scholasticos sic interdum in partes vocaret, vt eos emendaret, atque sic eorum aliquem etiam gustum admisceret [q]. Ita vero magnam nominis famam consecutus est, elegantis philosophi nomine cohonestatus [r], laudatusque quod philosophiam vltra docentium plebeia subsellia euexerit. Valde vero otia eius turbauerunt controuersiae illi motae ob assertam necessitatem bonorum operum ad salutem, de quibus in recentiori ecclesiae historia agendum [s], vbi etiam quam locum in litibus syncretisticis habuerit, dispiciendum est [t]. Hos motus cum non satis patienter ferret, eo quod pacis quidem esset amantissimus, at in bilem nimis pronus [ff], salus eius valde periclitari coepit, et fata quoque maturata sunt. Nobis hoc loco propter doctrinam ciuilem de moribus, quam mira perspicuitate et iudicio illustrauit, multaque luce ethicam Aristotelicam perfudit, praeeuntibus viris doctis [x] commendandus est.

Hermannus Conringius.

§. LVI. Nemo autem vel maiori eruditionis omnimodae copia, vel celebriori nominis fama Iuliam academiam illustrauit, honoremque Lycei in scholis Protestantium asseruit, quam HERMANNVS CONRINGIVS. Quo viro, incertum est, vtrum eruditiorem isto in seculo habuerit Germania? Cuius vitam scripsit, et *Syntagmati epistolarum* [u] praemisit CASPAR CORBERVS, nuper quoque *Collectioni operum Conringii* nouo labore praefixit illustris IO. GVIL. GOEBELIVS Iureconsultus Helmstadiensis celeberrimus. Nos ex plurimis, quae de viro vere magno, et qui inter prima Germaniae ornamenta referri suo iure meruit, dici poterant, ea tantum seligimus, quae instituto nostro conueniunt, et potissimum celeberrimum polyhistorem, cui nullum fere eruditionis genus disciplina nulla intacta mansit, nobis philosophum sistunt literatissimum multisque nominibus de ciuili prudentia meritum. Natus est in Frisia orientali Nordae anno MDCVI, V Id. Nou. familia vetusta, quam a villa perquam eximia Könring dicta in comitatu Steinfurtensi, perpetua maiorum suorum sede cognomentum habuisse, ipse refert [v]. Parentem habuit virum doctum, Hermannum Conringium, ministerii sacri munere in ea vrbe functum. Puer admodum lue pestifera tantum non extinctus est, viresque corporis eius ita exhaustae sunt, vt vix eas colligere licuerit,

q) BOECLER. Bibliogr. crit. p. 636. Conringiana p. 122.

r) Vid. quos laudant MAGIRVS l. c. p. 459. et FABRIC. l. c. BOECLER l. c. p. 608.

s) Conf. summe Reu. WEISMANN. Hist. eccles. T. II. p. 1198.

t) MORHOF. l. c. T. III. p. 485. BOECLER. l. c. p. 637. BVDDEVS Isag. p. 301. REIMMANN. l. c. p. 733. STOLLE Hist. lit. P. III. c. 1. §. 54. p. 616.

u) Prodiit Helmstadii 1694. 4. Ex hac Biographia sua hauserunt REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. V. p. 246. IO. FABRICIVS Hist. Bibl. suae T. IV. p. 203. alii.

v) In Conringianis epistolicis, laudabili consilio a CHR. HENR. RITTMEIERO editis, p. 261.

ff) Conringiana p. 130.

x) Conringiana p. 130.

rit, nec ad haurienda literarum rudimenta duci mature potuerit. Sexennis vero cum in ludum literarium mitteretur, paucis diebus apparuit, quam ei munifica natura indolis felicitatem tribuiſſet: mox enim legere didicit, et nullo fere labore doctrinae Chriſtianae elementa percepit. Neque tamen maiores ſucceſſus vrgeri poterant, cum veſtigia morbi adhuc tenui corpuſculo inhaererent, et exiguam ſpem meſſis facerent. Septem autem annos natus cum Latinis literis diſcendis deſtinaretur, ingenii excellentiſſimi praeſtantiam et vim animi tantam demonſtrauit, vt quos ante ſe currentes viderat, maturiori aetate et exercitatione ſubactos breui praeuerteret. Nam quamuis valde adoleſcens eſſet, hiſtoricas tamen narrationes feliciter tenuit, et quatuordecim annos natus, ea pangendi carminis facilitate gauiſus eſt, vt ſatyram conſcribere poſſet in poëtas coronatos elegantiſſimam. Quae cum in manus Cornelii Martini deueniſſet, adeo admiratus eſt vir doctiſſimus elegantiam ingenii puerilis ſupra aetatis modum eminentis, vt praeclara quaeuis de Conringio ſibi promitteret, parentesque eius rogaret, vt eum Helmſtadium ablegatum, ſuae fidei crederent, ſperare ſe, fore, vt optimam ex hoc agro meſſem videant, et excellentiſſimae eruditionis fructus ex eo redundent. Cui viri optimi deſiderio cum anno MDCXX ſatisfeciſſent parentes Conringii, admodum puer in diſciplinam Martini deuenit [w], et in contubernium quoque ab eo atque conuictum receptus eſt, et ad mortem illius in eo perſtitit, ſumma ſemper praeceptorem veneratione proſecutus. Poſt funera Martini vero ad profeſſorem Graecae linguae Rudolphum Diepholdum conceſſit, et per biennium illi adhaeſit, a parentibus anno MDCXXIV domum reuocatus. Bellicis tamen tumultibus Muſarum ſilentia interſtrepentibus diu in laribus paternis manere non potuit, reduxque ad Academiam Iuliam Peripateticae philoſophiae et hiſtoriae diligentiam curamque ſuam impendit, et vt cuncta accurate teneret, operam adhibuit. Vt vero ex aliorum quoque virorum celeberrimorum doctrina theſauros ſuos locupletaret ad Lugdunenſem Batauorum ſcholam anno MDCXXV abiit: in qua cum valde feruerent controuerſiae theologicae, Conringius, cuius vis animi totum eruditionis campum complectebatur, ad eas cognoſcendas ſe applicans ſacrarum diſciplinarum ſtudiis ſe dedit: Ἔργον tamen, quod maximo ante reliqua omnia ſtudio, vrgere ſibi conſtituerat, ars ſalutaris fuit, quod ſaxum per quinquennium in ea academia voluit, ita tamen, vt omnem ſcientiarum circulum curioſus explorator tangeret, nec ab vlla abiret, quam non accurate pernouiſſet. Et hoc pacto fundamenta illa feliciſſimo conatu poſuit, quibus poſtea admirandae eruditionis aedificium ſuperſtructum eſt. Ex Batauis ad Helmſtadienſes reuerſus eſt, neglecta, quae ſe obtulerat, occaſione, Pariſinam academiam inuiſendi: adeo enim Brunſuicenſi duci Friderico Vlrico commendata erat Conringiana eruditio, vt vacante cathedra philoſophiae

w) Conringiana p. 101.

naturalis, ille posthabitis aliis isti muneri praeficeretur. Adiecerat inuito aulicus senatus eloquentiae docendae onus, quod quoniam, vt solet esse in academiis, graue nimis ipsi visum, ab eo reiectum est [x]. In publicas tamen calamitates haec Conringii inciderunt tempora. Adeo enim omnia bello et tumultu feruebant, vt cum aliis ad tempus Helmstadienses Musas relinquere, et Brunsuicum securitatis caussa confugere coactus sit. Anno MDCXXXIV tamen summos in arte medica honores, quos dudum omnium iudicio meruerat, consecutus, connubiale foedus cum Ioannis Stuckii, celeberrimi iureconsulti filia iniit, quod multa prole foecundissimum fuit. Nec defuere summae, quam Conringius in omni eruditionis genere demonstrauit, doctrinae laudes fauoresque, et iusta quoque atque commerita praemia. Et initio quidem vitae academicae non respondisse votis eius fortunam, haud obscure ipse prodidit, ad amicum scribens [y]: *Philosophicae Laureae nullum video vsum, cum ex academica vita mihi omnino videam esse discedendum. Aegre diuellor ab academia, et tamen vitae necessitas prope me compellit illam relinquere. Itaque cogor spreta illa dudum et olim minoris a me aestimata clinicorum officia subire, tantum vt indigentia quadam rudi popello exprimam, quod liberalia studia nequeunt impetrare. Si quae haec culpa est, ferant illi, quorum in manu est situm, haec mutare, meum delictum forte nullum est.* Non diu tamen durauit haec rerum Conringii angustia. Quamuis enim, *improbaret officiorum publicorum nundinationes, et animo aequo specularetur ludentem fortunam aliorum, paratus ad fortunam vtramque*, delecto sibi cynosurae instar illo Horatii:

Naue ferar magna an parua, feror vnus et idem [z],

non potuit tamen diu latere, et sine mercede contemni Conringianae eruditionis praestantia. Breui enim tempore ex philosophica cathedra ad medicam, aucto quoque praeter ordinem stipendio, traductus et anno MDCXLIX, cum patrios lares inuiseret, a Frisiae orientalis principe archiatri axiomate ornatus et senatus sanctioris concilio adscriptus est. Ea autem insolitae et rarissimae eruditionis eius non modo medicae, sed politicae quoque atque historicae fama vbique increbuerat, vt ad aures quoque Christinae, quae Suecorum sceptra gerebat, pertingeret. Quae cum viros vndique doctissimos et celeberrimos colligeret, Conringium quoque per legatum suum in illis terrarum partibus Ioannem Adlerum Saluium honestissimis titulis, vt in Sueciam veniret, inuitauit. Abiit is venia a Brunsuicensibus ducibus impetrata, cumque Holmiam peruenisset, tanta a regina clementia exceptus est, tamque carus fuit regni senatoribus, vt omnibus constaret, summo loco haberi Conringianum nomen. Noluit tamen eo in loco sedem figere, sed regia liberalitate tituloque consiliarii et archiatri regii auctus post trimestre domum reuersus est, relicto im-

x) Conringiana p. 123. y) Ibid. p. 131. z) Ibid. p. 105.

cto impatienti sui desiderio in animo reginae, quae hoc ornamentum regno suo maximis votis destinauerat. Oblatum itaque denuo illi est lautissimum stipendium: quod tamen magno animo accipere noluit, cum et Musae Iuliae ipsi essent dulcissimae, et sereniſſimorum ducum munificentia reditus eius augerent, eo quod insigni Conringianae doctrinae ornamento academiam istam carere nollent. Additum quoque munus ciuilis doctrinae publice tradendae, quo vinculo omnium optime Conringium retineri posse iudicauerant. Et initio quidem quadam animi difficultate illud munus suscepisse, ex nonnullis eius verbis colligitur, ita ad amicum scribentis *: *Ciuilis philosophiae prouinciam a me susci pi, etsi non abs re forte publica, tamen sine damno familiaris rei non potest. Sero nunc intelligo, quid illud sit* πρὸς ἄλφιτα, *quamque etiam optimi conatus parum eo faciant. Scilicet laudatur virtus et alget. Praestat itaque in tempore subducere sese incertae et dubiae hominum clementiae, atque ita locare res suas, vt imperitorum auxilium haud magnopere veniat anxie expectandum.* Verum cum et hoc ei commentandi docendique argumentum obtigisset, in quo plurimum valebat, quodque maxime coluerat; et principum clementia rebus eius, teste eius biographo, multoties subuenisset, victas tandem dedit manus, et hanc quoque suscepit prouinciam. Quanquam illa istorum temporum fuit calamitas, vt conqueratur a: *Tristissimum rerum omnium statum, qui eo tempore fuit, integro biennio et amplius praeripuisse omnia stipendia, vererique se, ne et sibi tandem statio ista, vtut pergrata, sit deserenda.* Immo fatetur, *iam se tum circumspicere subinde, quo se debeat vertere, aulas enim fugere se cane peius.* Quod ita in tanta Conringiani nominis nobilitate et existimatione, cum haud dubia esset principum clementia, euenire potuisse, nemo mirabitur, qui illorum temporum infelicitatem in Germania reputauerit. Neque tamen ita animum abiecit Conringius, vt ab officio rite explendo vel latum vnguem discederet, sed prouinciam istam sibi demandatam tanta arte et diligentia ornauit, vt non dubitemus asserere, nunquam doctiorem virum cathedrae ciuilis doctrinae praefuisse. Cum enim Peripateticam philosophiam accurate teneret, et contemtis, vt ipse vocat b, quisquiliis Scholasticis, Aristotelem ipsum magno studio sectaretur, in cuius scriptis politicis magnam latere veteris doctrinae copiam nemini ignotum est: accederet autem in Conringio historiae lux, qua vetera, media, noua omnia complectebatur animo, et iuris omnis publici fontes et origines peruiderat, atque antiquitatis rationem habere poterat optimam; excellentissima euasit ciuilis eius eruditio. Inde factum, vt in controuersiis principum, multoties in partes vocaretur, et dispulsis vetustatis tenebris in apricum poneret aularum iura et praetensiones: id quod eum apud summos principes fecit gratiosissimum. Hoc pacto anno MDCLII in caussa Bremensi pro Suecorum rege eruditionem suam interposuit,

*) Ibid. p. 130. a) pag. 212. b) Ibid. p. 39.

posuit, annoque sequenti Frisiae principi simili ratione inseruiuit, maxime vero electori Moguntiae, ius inaugurandi coronandique imperatoris Romani pulcherrima disquisitione vindicauit; anno MDCLVIII in Holsatiam ad Carolum Gustauum Suecorum regem vocatus operam suam simili illi modo locauit. Quo studio ita admiratione eruditionis suae regis animum repleuit, vt regi a consiliis et tuenda sanitate esse iuberetur, et lautissimo stipendio augeretur, inusitatae quoque liberalitatis praemium ei offerretur, si Holmiam ire, ibique cum rege viuere vellet. Eandem doctrinae suae amplissimae praestantiam probauit Carolo Ludouico, electori Palatino, cum inter aulam Palatinam et Bauaricam illustrissima de vicariatu imperii exorta esset controuersia c. Maxime vero auctoritas et eruditio eius apud sereniſſimam gentem Brunsuicensem valuit, et orbi quoque literato fuit exoptatissima. Nostri enim consilio vsus est immortalis nominis princeps Augustus, cui tot modis literarum gloria debetur, cum splendidissimum librorum thesaurum, quem hodie doctus quilibet admiratur, Guelpherbyti colligeret. De qua *Bibliotheca Augusta*, cum Conringius ipse eleganti tractatione d differuerit, inspersis simul egregiis, quae ad rem bibliothecariam omnem facere possunt, obseruationibus, nos nihil hoc loco de ea monemus. Neque intra Germaniae fines Conringiani nominis fama contineri potuit: sed cum magnus ingeniorum iudex atque arbiter Colbertus, regi Galliarum Ludouico XIV magnis gratiae documentis quoscunque summae doctrinae viros complectenti Conringium commendasset, ab hoc quoque rege insigne clementiae specimen, lauto stipendio decreto accepit, eoque vsque ad belli Belgici initia fruitus est. Eandem fortunam in aula Daniae regis expertus est, a consiliis regi esse iussus; et in augustissimi quoque imperatoris aula, maxima de eo fuit opinio, cum summo Germanici imperii moderatori librum *de Finibus imperii* obtulisset. Qui fortunae fauores licet rari sint et insoliti, dicendum tamen, talem fuisse doctrinam Conringii, eamque eruditionis excellentiam, vt iure suo eos Conringio obtigisse fateri debeant, quotquot literis pretium statuere et honorem habere norunt. Polyhistoris enim nomen, veteribus summa in laude positum, et a recentiorum nonnullorum abusu vindicatum, si tribui potest vlli, certe Conringio tribuendum est. Nullum enim erat disciplinae genus, scientia nulla, in qua non regnauit Conringius. Quantus ille vir in sacris literis fuerit, libelli polemici ostendunt, senseruntque, qui contra eum imparibus armis in arenam descenderunt velitarii milites Haunoldus, Valerianus Magnus, Vitus Ebermannus, fratres Walenburchii et Dionysius Werlensis. In re autem medica ab innumeris praeiudiciis artem laudatissimam sanauit. Qua de re cum magnam ei litem mouisset vir doctissimus, at nimio antiquitatis praeiudicio impeditus Olaus Borrichius, ita *de antiqua veterum Aegyptiorum et recentiori Paracelsicorum medicina* cum eo disceptauit, vt non modo, qui

c) Ibid. p. 247. 248. d) Auctam edidit filius Herm. Io. Conringivs, Helmst. 1684. 4.

qui eodem praeiudicio occoecati Borrichio victoriae partes decernebant, Conringianam tamen eruditionem summo loco ponerent: sed et nostra aetate, qua nebulae istae discussae, mentesque ab illo iugo liberatae sunt, caussa Conringiana potior fuisse recte iudicata sit. De qua controuersia cum *Tomo primo* [e] iam nonnulla attulerimus, ad eum locum lectorem ablegamus. Ceterum eleganti quoque *Introductione in artem medicam* [f] cuius auctam editionem [g] debemus GVNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMERO, ostendit, quantus in his quoque literis vir fuerit. Iuris autem publici, praecipue, quod ad Germanicum imperium pertinet, ea viro summo inerat cognitio, vt primus dicendus sit, qui veros et sinceros eius fontes detexerit, eamque sequenti aetati facem praetulerit, cuius lumine hodie in arduo argumento inoffenso progredi pede plerisque licet. Testes volumus libros eius, *de Origine iuris Germanici*, *de Imperio Germanorum Romano*, *de finibus imperii Germanici*, *de pace perpetua inter imperii Germanici ordines religione dissidentes seruanda*, qui pseudonymi prodiere IRENAEI EVBVLI nomine, et ad sanandas discordias in consultationibus pacis Westphalicae plurimum profuere, itemque *Exercitationes de republica imperii Germanici*, quaeque de iuribus electorum Moguntini et Palatini commentatus est, de quibus tamen plura hoc loco dicere non licet [h]. In his vero tractationibus praeter antiquitatum et historiae lucem philosophia quoque ciuilis regnat, qua duce arduum argumentum aggressus est. Optimo enim et non satis laudando consilio vbique historiam philosophiae iunxit, cuius cum tot hactenus in hoc opere specimina dederimus, totiesque ad eum prouocauerimus, praesertim in historia philosophiae Aegyptiacae, et medii aeui, quam in libris *de Hermetica medicina* et in *Antiquitatibus academicis* [i], bona fruge plenis luculenter illustrauit, plura otiose non addimus. Neque vero suis tantum lucubrationibus prodesse reipublicae literariae vir summus constituit, sed aliorum quoque scripta luce digna edere, augere, emendare, et sic reddere vtilissima sategit. Qua ratione praeter TACITVM *de Moribus Germanorum*, praefatione et notis eruditissimis auctum et Cassandri atque Wicelii Consultationes de concordia religionis et alia, debet ei orbis philosophicus Aristotelis *Politica* cum *Introductione*, et MACHIAVELLI *Principem*, ex Italico Latinum factum, et notis illustratum, NAVDAEI *Bibliographiam politicam*, et SCIPIONIS CLARAMONTII librum *de Coniectandis moribus*, quibus omnibus additis ex suo penu plurimis fines philosophiae amplissime dilatauit. Maxime autem de ciuili doctrina meritus est, quam multis scriptis pulcherrimam eruditionem spirantibus illustrauit. Praeter *Introductionem* enim quam *in Aristotelis politicam* edidit, magno applausu exceperunt viri docti librum eius de

e) p. 277. not. i.
f) Helmst. 1654.
g) Ibid. 1687.
h) Conf. REIMMANN. l. c. p. 254.
i) Diximus de iis Tom. III.

de Ciuili prudentia, quo prudentiae politicae cum vniuerſalis philoſophicae, tum ſingularis pragmaticae omnis propaedia pragmatice traditur [k]; itemque *Propolitica, ſiue Introductionem in ciuilem philoſophiam cum adiectis nonnullis aliis* [l]. In quibus lucubrationibus Ariſtotelis praecepta de republica ita noſtris temporibus adaptauit, vt, quod ob imperii formam apud Graecos plerumque noſtris hominibus inutile eſt, ſingulari hiſtoriae et conditionis imperiorum noſtrae aetatis notitia, qua pollebat, ad vtiliſſimum ſcopum transtulerit. Magnopere itaque laudandus eſt illuſtris GOEBELII labor, qui diſperſa Conringii opera, praeter ea, quae ad theologiam et medicinam pertinent, collegit, digeſſit, ἀνέκδοτα multa in lucem protraxit, et ex vbere eruditionis ſuae theſauro multa egregia adiecit [m]. Et ex his quidem clariſſime conſtat, πολυϊστορίας laudem maximo iure Conringio deberi. Cuius pars cum haud exigua philoſophia ſit, in ea quoque ſe virum magnum pro conditione aetatis ſuae praeſtitit. Et verum quidem eſt, ab auctoritatis et ſectae praeiudicio eum ſe liberare non ſatis auſum fuiſſe; certe maiora, vt erat iudicio ſummo, et literis eleganter inſtructus, praeſtitiſſet, ſi ſine duce hanc viam fuiſſet ingreſſus. Verum obſtabat temporis conſuetudo, et educatio in diſciplina Martini, qui altiſſime Ariſtotelis amorem eius ingenerauerat animo, et veterum placitorum tenaciſſimum fecerat. Id quod ipſe candide fatetur his verbis [n]: *Ex Friſia in hanc academiam admodum puer miſſus, ſtatim deueni in Cornelii Martini diſciplinam. Ea certe magiſtrorum meorum dignitas, iam ab eo vsque tempore vetuſtiorum ſententiarum tenaciorem me fecit, interdum fortaſſis plus iuſto, vt fieri ſolet.* Aſt cum ſumma tamen vteretur mentis acrimonia, tantum abeſt, vt coecum Ariſtotelis comitem ſe praeſtiterit, vt potius agnouerit et faſſus ſit libere, vbicunque Ariſtotelem peccaſſe noſſet. Qua de re eleganter prorſus diſſeruit in *Epiſtola*, quam PICCARTI *Introductioni in lectionem Ariſtotelis* [o] praemiſit, quae cum erudita ſit et pulcherrima, et de philoſophia Conringii luculenter teſtetur, tota meretur legi. Hoc enim loco ob paginae anguſtiam apponi tota haud poteſt. Inter alia vero ita ſuam hac de re mentem explicat: „Quamuis eorum me haereſis non teneat, „qui vnum Ariſtotelem ſapuiſſe, vnum nihil ignoraſſe, vnum nec fallere „nec falli exiſtimant: inter ſapientiae tamen magiſtros hunc familiam du„cere, hunc prae aliis quam multis ſapere, hunc non admodum multa „ignorare, hunc raro falli ſolere, omnino equidem arbitror. Quamuis „iis etiam neutiquam aſſentiar, quibus philoſophari eſt nihil aliud, quam „rimari Ariſtotelicae doctrinae mentem, adeoque ipſa philoſophia eſt ni„hil aliud, niſi peritia illius, quod Ariſtoteles docuit, (reapſe enim quic„quid eius eſt notitiae, opinio ſiue δόξα eſt, ſubnixa auctoritate viri per„quam

k) Helmſt. 1662. vid. CHR. THOMASII Orationes Acad. p. 439. BVDD. Iſag. p. 319. STOLL. Hiſt. lit. P. III. c. 5. §. 61. p. 727.

l) Helmſtad. 1663.

m) Tomis VI. in folio Brunſuigae 1730. vid. Act. Erud. 1732. Oct. Act. Erud. Germ. P. CLVI. art. 1.

n) Conringiana p. 101.

o) Extat inter eius Epiſtolas P. 323.

„quam sapientis quidem, hominis tamen, et a quo humani nihil alienum „fuit: quod ipsum procul admodum abest, vt a certitudine pariter et ab „ipsarummet rerum scientia, quae sola dignitatem philosophici nominis „assequitur) quoniam tamen haud temere magis quo alio magistro, quam „Aristotele, licet in sapientiae studiis proficere, hunc ante omnes con„sulendum, huiusque scita edisc enda esse sapientiae cultoribus censeo; vt „tanto magistro instructus eo citius et certius ad veritatem et rerum scien„tiam peruenias. Qua in re sane haud forte quemquam habebo dissenti„entem, praeter eos, qui Aristotelicae doctrinae sunt imperiti. Nec ve„ro quenquam ita insanire crediderim, vt spernendos sibi omnes magi„stros, etsi illi in promtu sint, opinetur; quamuis haud ignorem, ea „nonnullis, praesertim iis, qui pruritu nouandi laborant, insanae φιλαυτίας „incitamenta ore et calamo excidere, quae in omnis magisterii aspernatio„nem tandem recidunt. Ceterum et is, qui Aristotelicae doctrinae non „adeo est gnarus, vt mihi illam vsque adeo laudanti queat assentiri, sal„tim vtique haud negabit, si quidem sapit, ingentis adeo existimationis „doctrinam non posse vel debere contemni, sed discendum esse atque ex„plorandum, vtrum tantis laudibus, nec ne, respondeat. Sane interest „veritatis studii, neminis temere sapientiam professi sententias non expen„dere, quanto minus eius, qui tot seculis infinitorum hominum doctrinae „laude florentium admirationem meruit, qualis est Aristoteles. Etiam „igitur illorum, quibus forte suspecta est Aristotelis isthaec passim, quam „obtinet, opinio in officio est, si veritatem serio amant, Aristotelicam „doctrinam sibi cognitam reddere, atque adeo monumenta ipsius diligen„ter euoluere, vt ex quibus philosophia isthaec maxime sincera queat peti. Ex quo loco Conringii mens eius de studio Aristotelicae philosophiae satis eluceſcit, patetque eundem illum fere in modum, quemadmodum Melanchthon statuerat, pronunciasse: et hinc Peripateticis sinceris omnino quidem adscribendum esse, sed illis tamen, quibus iudicio et delectu vti placuit. Id quod virum summum praestitisse, scripta eius maxime ciuilia et moralia luculenter probant. Ex iis enim discimus, multa eum in philosophia practica Aristotelis, praecipue quae ad iuris naturalis praecepta pertinent, desiderauisse. Quae ita alicubi summatim complexus est[p]: *In morali Aristotelis philosophia multa desidero: Omnem enim iuris naturalis prudentiam isthuc censeo pertinere, nec ordo modusque tractandi satis placet, vis etiam argumentorum Aristotelicorum videtur debilior, idque quoniam nec prouidentiam diuinam, nec animae immortalitatem, aut vitae aliam, quam quae in hoc mundo obtingit felicitatem, agnouit. Super quibus tamen tanquam fundamentis, virtus omnis superstructa est. Nec enim virtus est nisi inanis quaedam animi generositas, absque illa fuerit, quae modo dixi.* Hos vero philosophiae Aristotelicae defectus vt suppleret, aliorum modo apud veteres meditationi-

p) Conringiana p. 69.

bus, non vero suis, vsus est, sectario animi studio impeditus. Ita vero dum veteres nimio prosequitur cultu et admiratione, a pueritia a praeceptoribus ingenita, recentiores emendationes et imprimis Cartesii magno tum strepitu philosophiae theatrum replentis conatus ferre non potuit. In quo licet nonnulla probaret, v. g. quod formas substantiales reiecerit, quas Latinam philosophantium scholam contra mentem Aristotelis admisisse credebat, fassus tamen amicis [q] est, *se prorsus nihil potuisse in eius physiologia inuenire, quod speciem habeat ἀποδείξεως, esse enim omnia Democritea, et non rationi tantum, verum etiam sensibus aduersa.* Immo tanto in eam philosophiam zelo exardescere coepit, vt illi e medio tollendae operam dari velit et vehementer indignetur [r], *insanum amorem illius sophistices multa adeo florentissimarum prouinciarum ingenia pessime afflixisse.* In ea enim erat vir nimio Aristotelis amore detentus sententia, non inesse illis ingenia philosophica, qui hanc philosophiam recipiant, id quod graui ἐγκλήματι Batauis obiecit [s]. Immo tam amaram in eam philosophiam censuram stringit, et epitaphium Cartesio ponit bile ita tinctum [t], vt omnino nollemus talia tanto viro excidisse. Verum hominem eum fuisse, cogitandum est, et a pueritia veterum admiratione nimis captum. Quae causa est, cur aliorum quoque conatus, reprobauerit, et Gassendo dicam, parum honorificam scripserit [u], licet eius illum eruditio caperet. Scribit enim ad amicum: *Petri Gassendi pleraque mirifice me affecerunt, nisi quod mihi visus sit Epicuri potius, quam Christi sectator, quam laudem studiose hodie affectant, qui prae aliis philosophos se iactant, per Italiam et Galliam.* Similia passim de eo iudicat, nec Hobbesio quoque parcit *, quem dignum censet, quem odia omnium excipiant. Scholasticos tamen haud minori contemtu reiecit, eorumque nugas fastidiit †. Laudauit vero magnopere Hugonis Grotii conatus [x], cuius nihil non praeclarum esse pronunciauit, et dignum laude, et excellere ait opus de I. B. et P. incomparabile, ob rationem dicendi, breuitatem et perspicuitatem. Scilicet facile ferri ab eo Grotius poterat, qui, vt supra dictum, Aristotelis auctoritatem non contemsit: praecipue cum ius naturae explicuerit, quod aegre ferebat Conringius, ab Aristotele praetermissum fuisse. Et haec sine dubio causa fuit, cur PVFENDORFII *Elementa iuris prudentiae* suam superasse expectationem pronunciauerit [y]. Esse enim videbat librum dictione elegantem, argumento praeclarum tractandi ratione neruosum. Ab his vero parum periculi Peripateticae doctrinae, metuebat, quam huiusmodi φιλοσοφεμένοις suppleri optabat. Ceterum pusillus fuit corpore, id quod ipse monet [z], fassus, qua erat modestia, *non sibi mentis adeo multum esse, vt sufficiat excusando corporis defectui*, credatque *imaginem hanc suam reuocaturam esse maleuolis in mentem vetustum illud*:

Per-

q) Ibid. p. 9. 10. r) p. 49. s) p. 88. *) p. 19. 76. 262. †) p. 36.
t) p. 156. u) p. 48. 60. 277. x) p. 61. 347. y) p. 69. z) p. 105.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Et obiecit quoque ei hanc corporis pusilli figuram Iesuita Ebermannus, qui vero suo malo expertus est, magnum in eo tuguriolo habitare spiritum. Maximus enim erat ingenio, et vastissimae lectionis copia suffultus, cui cum accederet multorum annorum experientia, dici non potest, ad quod fastigium enixa sit Coringiana eruditio. Diligentia autem, in eo tanta fuit, vt merito dici χαλκέντερος debeat; inter tot enim itinera, libros editos, curata principum negotia, in tanto commercio literario, cum totius fere Europae viris summis, partim principibus, partim doctrina claris, suffecisse vnum virum tot laboribus merito mirandum est, et non diffitente inuidia pronunciandum, inter maxima seculi XVII ingenia eum enituisse. Quamuis enim aduersariis non caruerit, quos ex parte supra nominauimus, quibus addi possunt Aegidius Strauchius, Ioannes Otto Tabor, et Matthias Wasmuthus, plerorumque tamen virorum doctorum iudicio inter summa aetatis suae ornamenta relatus est. Quorum censurae ex parte praemissae sunt, *Epistolarum Conringianarum Syntagmati*, facile autem innumeris scriptorum locis possunt augeri, id quod tamen priuatae lectoris industriae relinquimus [a]. Occidit Germaniae hoc sidus prid. Id. Dec. anno MDCLXXXII.

§. LVII. Floruit quoque sincerum Peripateticae philosophiae studium in academia Regiomontana, cuius sub auspiciis Philippicam philosophandi secundum Aristotelem methodum obtinuisse a Sabino introductam supra diximus. Eminuit autem seculo XVII in ista schola accuratiori Aristotelicae philosophiae cognitione biga virorum doctissimorum CHRISTIANI DREIERI et MELCHIORIS ZEIDLERI. Dreierus Stettini Pomeraniae vrbe celebri natus est anno MDCXI, inque Regiomontana academia eum studiorum cursum absoluit, quem ingredi solent, quotquot ad solidam elegantioremque doctrinam adspirant. Neque defuit Dreiero aut natura benigna, egregias ei dotes ingeniumque praeclarum largita, aut pertinax studium, solidam eruditionem consectandi. Itaque Ornatus variae doctrinae thesauris, a primis philosophiae honoribus, in ista academia ad summas ecclesiae et Scholae dignitates ascendit, cathedrae praefectus theologicae, eiusque doctor renunciatus, in qua primum tandem locum obtinuit, addito ecclesiastae aulici et consistorii Sambiensis assessoris axiomate; quibus muneribus perfunctus totius academiae senior Non. Aug. anno MDCLXXXVIII, aetatis LXXVIII, rebus mortalium ereptus est [b]. Laeto flore in eo viguit ingenii foecunditas, quae cum vasta veterum scriptorum ecclesiasticorum pariter atque profanorum lectione suffulta per omnem eruditionis campum, maxime philosophicum

Christianus Dreierus.

a) Consuli tamen possunt, quae collegerunt REIMMANNVS l. c. P. I. p. 51. IV. II. V. 246. 289. VI. 120. 423. Io. FABRICIVS Hist. Bibl. suae T. IV. p. 203. BAILLET. Anti T. II. p. 124. MAGIRVS Eponymol. crit. p. 655. 665. 678.

b) Vid. Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. IV. p. 338. REIMMANN. Hist. liter. Germ. P. IV. p. 33.

et eccleſiaſticum ſe diffunderet, et per dimidium fere ſeculum in ſacro atque profano argumento exerceretur, dici non poteſt, ad quam doctrinae elegantiam tandem euaſerit. Maxime vero in veterum ſcriptis ita eius verſata eſt diligentia, vt maturos ex ea fructus referret. Vnde factum, vt paucos haberet, in Ariſtotelica diſciplina ſibi pares. Dolendum autem, virum eleganter doctum cum ſummis votis vniendis eorum, qui in religionis argumento diſſidebant, animis labores ſuos deſtinauiſſet, hincque nonnulla profluxiſſent aſſerta, quae rigidioribus theologis non diſplicere non poterant, ſyncretiſticis controuerſiis ita implicitum fuiſſe [c], vt aliis, quibus eccleſiaſticam et philoſophicam hiſtoriam egregie iuuare potuiſſet, laboribus eriperetur. De quibus eius litibus conſulendi annales eccleſiaſtici ſunt [d]; ad hunc enim locum non pertinent. Nobis eo potiſſimum argumento heic enarrandus eſt, quoniam in libro, cui *Sapientiae*, id eſt, *philoſophiae primae* nomen praefixit, de Ariſtotelica philoſophia eiusque hiſtoria pulcherrime meritus eſt. Viginti enim diſſertationibus, ex praelectionibus ſuis philoſophicis congeſtis, primo quidem philoſophiae ortum et progreſſum delineauit, dein omnem Ariſtotelicae philoſophiae indolem, naturam et praecepta ex ipſius Stagiritae mente, et ſecundum genuinos eius apud veteres interpretes expoſuit, et vbique accuratam philoſophicae hiſtoriae cognitionem, ſine qua vetus philoſophia omnis diſci nequit, prodidit [e]. Hunc igitur ducem cum ſequeretur, mirandum haud eſt, Carteſii philoſophiae ad Germanos tandem delatae eum ſe maſcule oppoſuiſſe [f]. Eodem in loco vitalem auram primum hauſit MELCHIOR ZEIDLERVS anno MDCXXX. Is cum commodum natiuitatis ſorte locum accepiſſet, quo ingenii, quod natura nactus erat optimum dotes augere, fundumque, qui in eius animo latebat excolere poſſet, in inferioribus ſcholis doctiſſimos praeceptores, et artium liberalium peritiſſimos Wictelmannum et Volbrechtum, duces nactus eſt. Quibus praeeuntibus cum humanitatis ſtudia feliciter abſoluiſſet, Chriſtiani Dreieri diſciplinae ſe tradidit. Eo vero praeceptore non in triuio haerens, ſed ad ipſa veteris philoſophiae Graecae et doctrinae eccleſiaſticae limina progreſſus, quicquid in vtroque genere ſcire licuit, didicit, et elegantiſſimam veteris eruditionis copiam ſibi comparauit. Ita cognitionis, quam in omni fere diſciplinarum parte acquiſiuerat praeſtantia commendatiſſimus cathedrae philoſophicae in academia patria praefectus eſt, quam poſtea cum theologica commutauit, adiecto paſtoris in templo cathedrali et aſſeſſoris conſiſtorii Sambienſis munere. Valde in eo viro excellebat veteris

Melchior Zeidlerus.

c) Diſci id poteſt ex CALOVII Harmonia Calixtino-Haeretica, et Syncretiſmo Calixtino.

d) Vid. quos laudat FABRIC. l. c. p. 355 ſeq. BVDD. Iſag. Hiſt. theol. L. II. c. 3. p. 572. ARNOLD. Hiſt. eccl. P. II. L. XVII. c. 11. §. 14. p. 514. WEISMANN. Hiſt. eccl. P. II. p. 1205. HARTKNOCH. Hiſt. eccleſ. Boruſſ. L. II. c. 10. p. 602 ſeqq.

e) Conf. BVDDEVS Iſagog. L. I. p. 256. Hiſt. philoſ. c. 6. §. 5. p. 386.

f) Aggreſſus eſt principium cognoſcendi Carteſianum: Ego cogito, ergo ſum, peculiari diſſ. quae addita eſt Dialecticae Regiomontanae Eius; quod Compendium topicorum Ariſtotelis Io. EBERM. BVSMANNVS Helmſtadii edidit, laudatum MORHOFIO Polyhiſt. T. II. IV. c. 1. §. 3. p. 477.

ris literaturae peritia, et imprimis rerum ad philosophiam antiquam et ecclesiae fata, ritus, disciplinam et placita spectantium cognitio, quae per omnia eius scripta ita diffunditur, vt iucunda pariter atque vtilissima sit antiquitatem scrutantibus, eorum lectio. Quas suas delicias adeo dissimulare non potuit, vt aridam contra Iodocum Keddium disputationis arenam ingressus, iucundissimum tamen lectoribus campum aperuerit, in praefatione de methodo, modo et circumstantiis disputantium, siue de dialectica antiqua ex scriptis veterum, praesertim Peripateticorum praeclare differens, multamque argumento eleganti et difficili lucem accendens, quam ex libri titulo nemo sibi promiserit. Multo magis in scriptis philosophicis antiquitatis notitiam, quam pulcherrimam possidebat, eum in finem adhibuit, vt Peripateticae disciplinae, quam summopere colebat, amplissimum lumen affunderet. Cuius luculenta prorsus exempla, optimae eruditionis genere referta esse possunt, tractatus historico-philologico-philosophicus *de Genuino veterum docendi modo exoterico et acroamatico, id est dialectico et analytico, genuinae dialecticae siue encyclopaediae rationem succincte demonstrans* [g], in quo historia logicae veterum, praecipue Peripateticorum mire illustratur, itemque *Introductio in Aristotelem* librique tres *de Variis differendi generibus et mediis eo perueniendi, siue Analysi posteriori.* Iunxit huic eruditioni diligentiam, pietatem pacisque studium, quod tamen eum nonnihil suspectum reddidit, et controuersiis syncretisticis immiscuit, in quibus suspicacioribus nonnullis, praecipue factioni Calouianae displicuit: de qua re tamen alibi dicendum. Tanta autem contentione studiorum cursum persequutus est, vt laboris nimii assiduitate exhaustus tabem contraheret; quae cum plurimis, vt solet fieri, symptomatibus, stipata valde eum excruciaret, adeo vt vmbram hominis magis referret, quam hominem, patientiam illi Christianam et fortem animum opposuit, anima tandem creatori reddita anno MDCLXXXVI, cum quinquagesimum septimum aetatis annum nondum attigisset [h]. Scripsit plurima vir doctissimus et diligentissimus, ab antiquae doctrinae cultoribus summis laudibus commendata, inter quae scripta philosophica de Peripatetica historia et eius generis disciplina omni praeclare meruerunt, non denegantibus hanc Zeidlero laudem viris doctissimis [i], inter quos nonnemo [k] eum Nunnesio in Peripateticae philosophiae cognitione praeferre non dubitauit. Vbique enim lumina Aristotelica veteris literaturae radiis collustrata in eius scriptis lucent.

§. LVIII. Tandem his, quos hactenus recensuimus, Peripateticae philosophiae sinceae cultoribus in coetibus Protestantium adiiciendus ex academia Lipsiensi eo magis est, IACOBVS THOMASIVS, quo magis *Iacobus Thomasius.*

g) Regiomonti 1685.

h) Praefixa est Vita eius cum catalogo scriptorum, notis et animaduersionibus in scrutatorem post eius mortem Helmstadii 1689. editis.

i) Vid. FABRIC. l. c. T. IV. p. 329. BVDDEVS Annot. Hist. phil. p. 205. 386. BOECLER. Bibliogr. crit. p. 854.

k) Auctor Biblioth. Schraderianae P. II. c. 3.

magis in historia philosophica multum nos illi debere multoties professi sumus. Patre genitus Michaële Thomasio I. V. D. Lipsiae VII Cal. Sept. anno MDCXXII in lucem editus est [1]. Is cum ipse eruditione satis eleganter esset tinctus filium, cui naturam de praeclaris ingenii dotibus prospexisse obseruabat, sollicita formare cura artibusque liberalibus instruere, et praeceptoribus quoque optimis tradere non omisit. Quem tamen fortunae cursum nonnihil retardarunt bellicae calamitates in adolescentiam Thomasii incidentes; maxime vero illius studiorum incrementa vehementer impediuit vtriusque parentis mors, quae anno MDCXXXII et sequenti contigit. Ab auia tamen in parentum locum succedente, et curarum partem subeunte cum fratre Ioanne in gymnasium, quod Gerae floret, missus est, in quo scientiarum, quae ab humanitate nomen sortiuntur elementa propitia Minerua et non sine eximia ingenii felicitate didicit. Tum iudicio maturiore et encyclopaediae notitia satis instructus anno MDCXL in patriam rediit, et eodem anno in Vitebergensem academiam translatus est, in qua a praestantissimorum virorum ore pendere, veterum et recentiorum libros magna cum cura voluere, et in horrea mentis congerere, quicquid literarum suo scopo inseruire poterat, summo studio connisus est. Idem saxum ad Lipsiensem scholam rediens diligenter voluit, tam laeto successu, vt collatis anno MDCXLIII doctoris philosophici iuribus, et humaniores disciplinas, et philosophiam docere iuuentutem cum laude posset. Qua occasione ingenii Thomasiani elegantia et doctrina ita commendata est, vt anno MDCL et sequentibus scholae Nicolaitanae apud Lipsienses collega, tum Conrector praeficeretur, quae cum tantam eruditionem non caperet, ad cathedram academicam anno MDCLIII traductus et moralem philosophiam, postea vero dialecticam quoque et eloquentiam docere iussus est. Et vt florentissima quoque, quae Lipsiae ab amplissimo senatu fouentur gymnasia ab huius viri eruditione illustrarentur, anno MDCLXX scholae S. Nicolai, et anno MDCLXXVI scholae S. Thomae regendae praefectus est. Tacemus honores academicos et dignitates alias viris literarum meritis celebribus in hac academia laudabili consilio conferri solitas, quas hoc loco enarrare nihil attinet. Quantum autem in eo virum Lipsienses Musae habuerint, quantos doctrinae omnigenae, praecipue veteris thesauros possederit, quam acuto iudicio in dignoscendis omnis aetatis sectarumque opinionibus vsus fuerit, et quam vere veteris literaturae omnis promus condus dici meruerit, nemini ignotum esse existimamus, qui acta literaria superioris seculi vel per transennam inspexit, et obiter ingenii Thomasiani foetus contemplatus est, adeo vbique summa, qua pollebat, eruditio eius enitescit. Praecipue autem in eo maxima laude prosequendum est, quod philosophiae Graecae historiam hactenus a plerisque neglectam, certe a pau-

1) Vid. Programma Acad. Lipſ. in eius funere editum. Conf. Fr. Casp. Hagen Memoriae philoſ. renouatae p. 273.

te a paucis viris doctis accurate excultam ex puluere prouocare suoque nitori restituere magnis conatibus coeperit, tanta in ea re felicitate vsus, vt quis illi inter Germanos in hoc doctrinae antiquae genere praeferendus sit, nobis non succurrat. Nam non Peripateticam philosophiam tantummodo secundum Aristotelis mentem accurate tenuit, sed reliquarum etiam sectarum systemata pernouit, et ex ipsis veterum fontibus cuncta hausit, infinita, quae obscura erant, eruditionis suae luce collustrauit, sicque de elegantissima literaturae veteris parte immortaliter meruit. Quod eius studium eo magis summis extollendum est laudibus, quo magis ab inepto syncretismi amore, qui omnem veteris philosophiae historiam foedissime corrupit, erat alieniſſimus, nec ferre eos poterat, qui inter lucem et tenebras pacisc untur [m]. A quo praeiudicio vt ingenia sanaret, sectarum systemata accurate expossuit, et opinionum inter se distantium sensum accurate definiuit, ad id imprimis intentus, vt dogmaticam philosophicae historiae partem exponeret. Neque ita soli curiositati inseruiendum esse ratus est, sed cum nosset, innumeris modis veterem philosophiam cum dogmatibus veteris ecclesiae cohaerere, et errores plerosque ex his fontibus propullulasse, praeclaris quoque obseruationibus ostendit, quid abusus philosophiae Graecanicae effecerit, cuius licet specimina plurima ediderit, luculentissimum tamen exemplum est schediasma *de definitione sapientiae*, quod *Originum historiae philosophicae et ecclesiasticae* titulo recudi fecit [n], dignus tanto parente filius, illustris CHRISTIANVS THOMASIVS, quem cum fratre Godofredo, Norimbergensi medico, et polyhistore celeberrimo, paternae virtutis et eruditionis haeredem reliquerat. In ea enim tractatione, praecipua dogmata quatuor sectarum Graecanicarum celebriorum, item haereseon Simonis Magi, Gnosticorum, Massilianorum, et Pelagianorum, denique theologiae mysticae ac scholasticae summo iudicio enarrauit, fontes eorum detexit, errorum γεννήματα notauit. In eo quoque laudandus, quod iuuentuti harum literarum amanti et historiam non tantum philosophorum, sed et philosophiae tractare cupienti impulsor fuerit, vt venas philosophorum, in agros patrum ecclesiae deriuatas persequeretur, et sententias philosophorum Graeciae et antiquae ecclesiae doctorum ex ipsis fontibus eliceret. In quo recte illi applaudebat, qui ex eius disciplina progressus his potissimum alis ad summum eruditionis apicem ascendit GODOFR. GVIL. LEIBNIZIVS [o]. Quod ad ipsum vero philosophiae genus attinet, quod secutus est Thomasius, fatendum quidem est, eum in via sectaria perseuerauisse, et Peripateticam disciplinam ex ipsis Stagiritae, Graecorumque interpretum fontibus hauſtam illustrare contendisse. Cuius exemplum esse possunt, quae

m) Vid. praef. diss. de Exustione mundi Stoica, et th. 19. 20. 21. p. 20.

n) Halae 1699. 8.

o) Epist. Leibniz. a Cl. KORTHOLTO editarum T. I. ep. 170. p. 270.

quae ex eius museo prodierunt, *Erotemata logica, physica, metaphysica, philosophia practica, tabulis comprehensa, et dilucidationes in partem priorem regularum philosophicarum Danielis Stahlii.* Longius enim progredi, et sectarium iugum excutere, nondum in fatis erat, et munus eius postulare id modo videbatur, vt Peripateticam sapientiam perspicue solideque doceret, id quod accurate perfecit. Seruabatur vero ea gloria, electae ex Germania philosophiae sectariae filio Christiano, de cuius meritis in vltima tractationis nostrae parte accurate differemus. Verum et illud laudis magno acutissimoque viro non denegandum est, in his eum scriptis philosophicis cuncta historiae philosophicae attemperauisse, et reseratis quae tunc plerisque abdita latebant veteris philosophiae mysteriis, occasionem exhibuisse, de errorum fontibus cogitandi, vetera inter se conferendi, et, quem maximum historiae philosophicae fructum esse praeclare vidit LEIBNIZIVS [p], pondus dandi nouis veritatibus, sicque veras philosophiae origines detegendi. Vnde, quae aridam speculationum arenam exhibere videntur, *Meditationes* eius metaphysicae, iucundissimum veteris philosophiae campum variae doctrinae floribus consperſum recludunt, vt recte obseruatum filio celeberrimo [q]. Cuius rei exemplum vel vna metaphysicae historia, *Erotematibus metaphysicis* praeposita exhibet luculentum. Quae omnia profundo iudicio, et maxima lectionis copia ita firmauit ornauitque, vt facile intelligant omnes, qui disciplinarum catenam norunt, nihil reconditae doctrinae veteris virum ex omni parte doctissimum latuisse. Quod non negabunt, qui scripta viri celeberrimi attente legerunt, et vel solam elegantissimam diatriben *de Plagio literario* euoluerunt, vel dissertationes *de Exustione mundi Stoica* consulerunt, vel *Praefationes et Orationes* eius inspexerunt, vel elegantissimas obseruationes in partes vocarunt, quas de plurimis historiae literariae et philosophicae veteris capitibus consignauit, et ex parte edidit illustris nostri filius [r]. Quas cum toties in partes vocauerimus, et vbique lectorem ad eas dimiserimus, ipsi toties, quod grati fatemur, doctiores ab iis dimissi et haud leuiter in hac nostra tractatione adiuti plura addere de eius meritis nolumus. Subscribimusque sententiae LEIBNITII [s] de hoc praeceptore suo iudicantis, eum non minori felicitate purioris philosophiae studia promoturum fuisse, quam a filio factum, si in eius tempora incidisset. Alia virorum doctissimorum elogia, ne nimii simus, non cumulamus [t].

§. LIX. Et

p) Epist. Tom. I. ep. 170.

q) In Praef. Orig. Hist. phil. et eccles.

r) Passim, in Obseruationibus Halensibus, in Historia sapientiae et stultitiae &c. indicem harum obseruationum subiecit Originibus H. P. filius.

s) Vid. Vita Leibnitii praefixa Versioni Germanicae Theodicaeae p. 839. not. b.

t) Conf. CRENIVS Animadu. P. XVII. p. 6. 48. FABRIC. l. c. T. III. p. 211. REIMM. loc. c. P. IV. n. 107. STOLLIVS Hist. liter. P. II. c. 4. §. 5. p. 523. 599. BOECL. Bibliogr. crit. p. 63. MORHOF. Polyhist. T. II. L. I. c. 4. §. 3. MOSH. ad CVDWORTH. p. 959. et alii plurimi.

§. LIX. Et hi quidem philosophi nobis singulari meritorum de Peripatetica philosophia excellentissimorum enarratione prae aliis digni visi sunt. Quo tamen ipso hanc aliis gloriam non denegamus, qui haud segniter in ista palaestra se exercuerunt, et praeclaris in hoc eruditionis genere speciminibus nomen obliuioni subduxerunt; quos vero hoc loco enumerare omnes nec iuuat, nec vacat. Fuerunt quoque nonnulli, qui cum ipsos quoque Aristotelis fontes maxima diligentia consuluissent, et accuratam Peripateticae doctrinae cognitionem sibi comparauissent, iudicio vsi firmo, animoque instructi sorti auctoritatis praeiudicium excusserunt, et naeuos Aristotelis atque philosophiae eius plurimos detexerunt. Qualis imprimis seculo XVI celebratus est, Franciscus Patricius, seculo XVII autem praeter Taurellum, Claudius Berigardus, quibus ex Germanis adiicimus Ioachimum Iungium, cuius *Obseruationes criticae in Aristotelem*, quae in bibliotheca Hannouerana msc. seruantur ff), ea de re testantur, vt infra suo loco dicendum. Verum cum hi aut ad alias sectas declinauerint, in historia earum enarrandi, aut eclectice philosophari coeperint, merito ex Peripateticorum sincerorum numero eos excludimus. Nobis enim in hac nostra tractatione Peripateticus est, non qui Aristotelis philosophiam intelligit, sed qui vel integram, vel saltem potiorem eius partem probat, ipsamque systematis Aristotelici formam recipit. Quales fuisse, quos satis prolixa dissertatione hactenus adduximus, ex dictis constat.

Peripatetica doctrina multis aliis nota.

§. LX. Descripsimus hactenus philosophos Peripateticos, qui relictis Scholasticorum quisquiliis, secundum veram puramque Aristotelis mentem philosophati sunt, et qua ratione de ea secta meruerint, expossuimus. Qui cum maximam philosophantium partem a tempore renatarum literarum ad seculi XVIII initia constituerint, magnam simul historiae philosophorum recentiorum partem eadem opera absoluimus. Restat ipsius Peripateticae philosophiae, qualis nempe post reparatam literarum gloriam pulsamque barbariem viguit, consideratio. Ea vero, quae mysteria iactauerit, quibus principiis nixa fuerit, quibus placitis constiterit, hoc loco exponere, eo minus opus esse censemus, quo minus noui quid viri cetera eruditissimi, praestiterunt, sed in explanando Aristotele detegendisque veris eius opinionibus plerique omnem philosophiam suam occupatam esse voluerunt. Quibus vero assertionibus de rationali, naturali et morali philosophiae parte Aristoteles sententiam suam pronunciauerit, *Tomo primo* t), quantum tractationis limites et scopus instituti permisere, accurate prolixeque satis est expositum, nec, quae ibi dicta sunt, hoc loco opus est repetere. Aft eadem quoque opera ibi naturam, indolem, proprietates philosophiae Peripateticae deteximus, quas cum recentiori tem-

Consideratio Peripateticae disciplinae apud recentiores.

ff) Seruauerat eas Martinus Fogelius vid. MORHOFIVS Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 12. p. 217. qui earum edendarum spem fecit. Ea vero Bibliotheca ad sereniſſimam domum Hannoueranam translata est, conf. ib. p. 47.

t) pag. 805 seqq.

pore non depoſuerit, ea quoque huc transferenda ſunt. Quae autem philoſophorum Peripateticorum recentioris aetatis circumſtantiae ipſum hoc philoſophandi genus tetigerunt, et certum illi modum affinxerunt, plerasque iam annotauimus, eorum vitam deſcribentes. Nihil itaque aliud ſupereſt, quam vt obſeruationes quasdam momento non carentes et attentione maxime dignas addamus, ex quibus vultus Peripateticae diſciplinae, qualem ſeculo XV, XVI et XVII effinxit accuratius poſſit dignoſci, et verum firmari de ea iudicium.

Obſeruationes generales de philoſophia Peripatetica recentiori.

§. LXI. Potiora vero, quae in cenſum veniunt, paulo altius rem meditantibus huc redeunt:

I. Parum emendata hoc modo philoſophia.

I. Reſuſcitata quidem et renouata ex ſqualore Peripatetica philoſophia, in quem inepta eam detruſit Scholaſticorum ſubtilitas et induſtria, ortum ſuum nouamque vitam in Italia renaſcentibus literis debuit: illique qui laudatiſſimo operi manus admouerunt, et vindicare pereuntes literas ſunt aggreſſi, praeclare meruiſſe de humano genere ſibi viſi ſunt, ſi Ariſtotelicae doctrinae gloriam, quam Scholaſticorum παρερμηνείαι adulterauerant, reſtituerent, rati nec prudentius et caſtius philoſophiae genus poſſe eligi, nec ſcientiis de duce certo et ſecuro melius proſpici, quam iſtis Stagiritae dogmatibus puritati reſtitutis. Hanc primorum literarum reformatorum mentem fuiſſe, hanc ſententiam probauiſſe Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, hanc opinionem vsque ad finem ſeculi XVII obtinuiſſe, tota illa, quam hucusque exhibuimus, diſſertatio de fatis philoſophiae Peripateticae recentioris loquitur, et certiſſimis monumentis teſtatur. Quamuis autem praeclare hoc modo conſultum eſſe veritati inquirendae, ipſiusque philoſophiae ſtudio cenſerent, qui haec conſilia agitauerunt, et id ſaxum voluerunt, fatendum tamen candide, parum ſalutaris effectus ex ea re vidiſſe philoſophantium ordinem, parum veritatis cognitionem inde fuiſſe adiutam. Cuius cauſſa potiſſimum in praeiudicia auctoritatis, ſectae et antiquitatis coniicienda eſt, quibus nuntium illi non miſerunt, qui philoſophiam a barbarie vindicare auſi ſunt. Illi enim etſi deformem philoſophiae, quae a multis ſeculis obtinuerat, faciem videbant, eam tamen non philoſophandi generi ſectario, quod vigebat, ſed temporum infelicitati et paupertati ingeniorum adſcribebant, rati, punctum ſe omne laturos, ſi priſtinam ſectariae philoſophiae elegantiam reſtituiſſent. Sectae enim alicuius veteris principem ducem eligendum eſſe ſtatuebant tantum non omnes, diffiſi viribus ſuis, et nunquam auſi ſine cortice nauare, et ſine huiusmodi cynoſura hoc tentare pelagus. Licet autem Platonem nonnulli ſibi auctorem elegiſſent, parum tamen comta et accommodata ingeniis eius temporis illa philoſophandi ratio viſa eſt, et praelatus Ariſtoteles, quem accuratius et doctius philoſophari plerique ſibi perſuadebant. Id vero magno philoſophiae malo euenit. Selectus enim et philoſophantibus dux ille datus eſt, cuius ſyſtema philoſophicum innumeris

meris difficultatibus obnoxium, multisque tenebris est circumdatum. At hunc in plerisque regiam in inquirenda veritate viam tenuisse, hunc in paucis modo aberrauisse, hunc veritatibus omnibus, etiam sacris, cum fructu adplicari et cum iis conciliari posse, tantum non omnes statuebant; idque praeiudicium ex regno Scholastico ad nouas orbis philosophici ditiones translatum mire deperibant. Pauci itaque Peripateticam doctrinam prius examinauere, pauciores de eius veritate dubitauere, pauciſſimi eam relinquere ausi sunt. Ita factum, vt neglecta, quae se tanta opportunitate offerebat, occasione eclecticam philosophiam introducendi, et ad inquirendam sine duce veritatem mentem excitandi, imperium, quo per tot secula iam potita fuerat, conseruaret tuereturque Aristotelica philosophia, et philosophorum maxima pars, magis esset sollicita, quid Aristoteli de praecipuis rerum humanarum diuinarumque causis visum esset, quam quid ratio dictaret, postularet rerum conditio, mensque de veritate rei ex eius natura conuicta statueret. Quo pacto ex philosophis interpretes Aristotelis facti sunt, omnisque philosophiae labor eo reductus est, vt remotis, quae scripta et philosophiam Aristotelis premunt, tenebris et difficultatibus, constaret, quid Stagiritae placuerit: ipsa autem vitia et naeui omnes, quos suo loco in Peripatetica philosophia deteximus, ad philosophantes insigni veritatis damno transiuerunt. Id quod nemo negabit, qui ea sedula attentione legerit, quae hactenus de auctoritate Aristotelis inter recentiores retulimus, qui in ea opinione fuerant, inter omnium sectarum systemata Aristotelicum proximum esse veritati, nec in vllo, quod veritatis cardinem tangat, capite errare. Quod quam falsum et ineptum sit, ex iis, quae post multos alios strictim suo loco diximus, adeo luculenter constat, vt inutilis minimeque necessarius nobis labor videatur, ea multis verbis hoc loco repetere. Id autem verum historiae philosophicae iudicium interponere cupienti suademus, vt quos ex philosophis Peripateticis omnium doctissime philosophantes elegimus, ipse adeat, eorum φιλοσοφέμενα consulat, et quid illi decreuerint, discat. Certi enim sumus, deprehensurum eum parum adesse solidi in rationali philosophiae parte, praeter paucas quasdam regulas interpretationis et methodi, et incertam dialecticae rationem confundendis magis, quam distinguendis veritatis criteriis locisque inseruire; niti naturalem philosophiae partem, principiis vagis, incertis, nihil solidi significantibus, totum vero physiologiae Aristoteleae systema, non negantibus viris summis in Lyceo recentiori, impietatem detestabilem comprehendere, et non sine magna emendatione admitti posse; moralem partem vero falsae virtuti et felicitati ciuili vnice attemperatam vitiorum moderationem et splendida scelera pro veris virtutibus suggerere. Hos enim naeuos ipsi Aristotelicae philosophiae maxime sincerae inesse suo loco euictum dedimus, videruntque ex recentioribus Peripateticis illi, qui aut falli sunt, non conspirare reuelationem cum philosophia Aristotelis, aut monuerunt, medicam huic phi-

losophiae generi admouendam manum esse u). Quae cum ita se habeant, nobis non monentibus quilibet intelligit, parum ad emendandam philosophiam contulisse reformatores philosophiae Peripateticae, et nec intellectum sanare magnopere, nec voluntatem emendare potuisse. Tacemus, etiamsi supponamus, parum a veritate discessisse Aristotelem, indignum tamen tantorum virorum eruditione videri, quod Aristotelis, multa libertate omnes ante se philosophos reiicientis, et nouum doctrinae aedificium construentis, exemplum sequi recusauerint, maluerintque philosophiam ponere in peritia illius, quod Aristoteli placuit. Qua de re ipsius Conringii verba supra adduximus, quae hoc loco eo magis repetenda sunt, quo magis ab eo philosopho profectae sunt, qui Aristotelem non admodum multa ignorare, hunc raro falli solere, raro falli statuebat.

II. Causae retentae philosophiae Peripateticae.

§. LXII. II. Mirari quis forte possit, qui euenerit, vt contemta, cuius pietas, elegantia, auctoritas, ipsis reformatarum literarum initiis valde enituit philosophia Platonica, Aristotelica sola triumphauerit, et cum vix seruitutis scholasticae vincula abiecisset orbis eruditus, in nouum Aristotelis obsequium iurauerit philosophantium natio? Curatius tamen ad circumstantias temporis istius, quo honos reddi coepit literis, et elegantius philosophari ingenia ausa sunt, attendentibus, causae erunt in propatulo, ex quibus discere licet, aliter vix euenire potuisse. Nempe altissimas radices egerat auctoritatis et antiquitatis praeiudicium, et omnem propemodum orbem inepta occupauerat opinio, Graecanicae sapientiae adiici nihil posse, eaque omnem humanae scientiae circulum absolui, omnem attingi doctrinae apicem. Inter sectas autem Graecorum philosophorum Aristotelem prae reliquis commendauerat opinio eruditionis, soliditatis et nerui demonstrandi, succinctaque philosophandi consuetudo, quam in Platonis dialogis frustra quaerebant. Hunc itaque cum ex iisdem fere causis tot secula coluissent, repudiandum esse eo minus censebant, quo minus esset melior, quem illius in locum sufficerent. Imperium itaque, quod Aristoteles obtinuerat, tot annorum serie altissime radicatum conuellere, tam arduum opus erat, vt etiam qui Platonem Aristoteli praetulerant, illud totum reiicere eiurareque non auderent, sed diuisum inter vtrumque philosophorum Graecorum principem vellent. Nec id aliter euenire potuit, cum Aristotelem parentes, praeceptores, scholarum praesides, et tota eruditorum cohors vehementer commendasset; quae a pueritia animis impressa validissime eiici, tollique nequiuere. Quamquam autem videbant, qui barbariem aggredi et purgare Augiae stabulum coeperant, quam amari fructus, inde emersissent, propagines tamen floremque barbarae philosophiae extinxisse contenti, ipsos tollere surculos, et radices succidere ausi non sunt; id est, sublato sordido philosophandi genere in sectaria tamen via haeserunt, multum se praestitisse rati, si squalorem,

u) Legenda Nic. Tavrelli Praef. ad Alpes caesas et Conringiana p. 124. vbi multa egregie monentur, Clavd. Berigardvs Praef. Circ. Pisan. alii.

rem, quo Aristotelicae philosophiae vultus Scholastica gens obduxerat, detergerent, et pristinum illis nitorem restituerent. De qua Peripateticorum elegantiorum mente cum ipsa eorum effata supra aliquoties adduxerimus, ea heic repetere nolumus. Multum tamen Aristotelicae philosophiae auctoritatem confirmauit, magna, quam cum dogmatibus nonnullis in ecclesia receptis fouebat, consensio nexusque talis, vt arcta inter Peripatetica placita et ista ecclesiae decreta intercederet amicitia. Supra enim in historia philosophiae medii aeui demonstratum est, ex Aristotelica philosophia, praesertim ex dialectica et metaphysica parte nonnulla ecclesiae obtrusa fuisse dogmata, totumque tradendarum disciplinarum sacrarum circulum ita Peripateticis nexibus implicatum comparuisse, vt sine Aristotelis disciplina, sanctiores scientiae intelligi tradique nequiuerint, nonnulla vero sequiori consilio introducta sine ea corruerent. Haec seruari reformatorum philosophiae intererat, nec licebat ea fulcra conuellere, quibus summorum in ecclesia virorum auctoritas, emolumentum et tota ratio constabat: et sine quibus ad splendidos academiarum titulos et munera ipsosque ecclesiae honores ascendere poterat nemo. Saluum igitur esse Aristotelem cum ob dictas causas oporteret, satis feciſſe conatibus suis reformatores philosophiae atque literarum credebant, si Aristotelem elegantiae suae restituissent. His et tertia causa addenda est, quam conditio restaurationis literarum ipsa subministrat. Eam potissimam partem a Graecis initia accepisse, hosque ingenia nonnulla elegantiora apud Italos, ad quos diuerterant, excitauisse, vt relictis sordibus, quibus docti tantum non omnes se inquinauerant, literarum decus consectarentur, libro praecedente ex instituto docuimus. Hi cum Graece docerent, non Graecam tantummodo linguam valde discipulis suis commendauerunt, sed Graecam quoque literaturam omnem, et antiquitatis Graecanicae ornamenta, quotquot in literis versabantur, imprimis autem Graecam philosophiam, quam domo attulerant, magnis extulerunt laudibus, hisque opinionibus discipulorum animos totos nouae lucis admiratione captos occupauerunt. Qui vbi viam ostensam persequi, et ad hanc ingeniorum culturam animum adiicere magno studio coeperunt, Latinas Graecasque literas, quas eo tempore, vbi honos fuit eruditioni, regnasse nouerant, summo studio excoluerunt, quaeque antiquitatis cognitio ad hunc scopum suggerebat, magna diligentia arripuerunt, et consiliis adaptauerunt suis. Quod cum suasu praeceptorum philosophiae quoque Graecanicae adplicuissent, philosophi illi selecti sunt, in quorum scriptis eruditionem veterem vbique enitere ex testimonio magistrorum intelligebant. Hos Platonem et Aristotelem esse nemo ignorat, certe quo minus alii vel ex Zenonis porticu, vel ex Epicuri hortis deligerentur, multa praeiudicia obstabant. Et Platonem quidem valde commendabat opinio diuinioris scientiae, et consensus quidam cum sacris placitis ecclesiaeque decretis, quem illi Graecorum vrgebant, qui domi Alexandrinae philosophiae innutriti fuerant. Ea autem Platonis admira-

miratio effecit quidem, vt caput extollentibus literis Platonica quoque philoſophia emergeret; Ariſtotelis fortunae tamen obſtare non potuit, quae eam breui ſuppreſſit. Diſplicebat enim ingeniis, quandam methodi ἀκριβειαν ſectantibus obſcuritas Platonis, philoſophandi modus dialogiſticus, ambiguus, anfractuoſus, incertus ſenſus ſyſtematis Platonici, et imprimis naturalis philoſophia in quandam metaphyſicam vel theologiam fanaticam conuerſa. Ita Ariſtoteles facile Platoni praelatus eſt, quem dialectica commendabat, ornabat ſtricta argumentandi methodus, laudabat aliud prorſus de rebus naturalibus differendi inſtitutum, ſcientiae modum aptius referens, tota vero eximie inſinuabat eruditorum animis ſyſtematica philoſophiae indoles, quam in Platone fruſtra requirebant. Qua opinione tam facili Ariſtotelis philoſophia victoria potita eſt, vt ipſi Platonici, qui in theologico et morali argumento neſcio quam diuinitatem Platonicae philoſophiae adſcribebant, hanc illi gloriam denegare non auderent. Tacemus, plerosque Graecorum, quibus praecipuus renaſcentium literarum honos debetur, in Peripatetica philoſophia fuiſſe educatos, ſimilique Lycei amori diſcipulos ſuos innutriuiſſe, haec enim ex dictis intelligi poſſunt. Addimus his cauſſam ſatis ſingularem, ſed quae plurimum Ariſtotelis imperium fulſiſſe nobis videtur, Auerroiſmum intelligimus, late ſeculo XIV et XV in Italia regnantem, omnemque phyſiologiae Peripateticae impietatem fatali quadam elegantiae opinione commendantem philoſophantium ingeniis. Quae cum a Chriſtiana pietate, vt erant tum res eccleſiae et doctrina et vita corruptiſſimae, valde defeciſſent, eo promtius Ariſtotelicum rerum metaphyſicarum et phyſicarum ſyſtema admiſerunt, quo gratius erat negata prouidentia, immortalitate animorum aliisque, quae Peripatetica phyſiologia Auerroiſmo incruſtata ſuppeditabat, capitibus frena laxare animi cupiditatibus, ridere efficta eo tempore miracula, triumphare de ſuperſtitione, et quod credebant ſupra vulgus ſapere. Id quod Achillini, Pomponatii, Portii et ſimilium conſilia, placita et φιλοσοφέμενα cogitantibus erit in procliui. Quo pacto dum ineptae ſuperſtitioni remedium ex philoſophia parauerunt, ipſa medicina morbo fuit deterior. Luculentis nos id teſtimoniis cum bullae concilii Lateranenſis tum Ficini ſupra [v] demonſtrauimus, hoc loco non repetendis, quae tamen cum iis, quae in vita Pomponatii monuimus, conſulenda ſunt, vt pateat, quam cara eſſe debuerit his hominibus philoſophia Peripatetica.

III. Damna veritati inde orta.

§. LXIII. III. Ex dictis autem quilibet, qui paulo attentius Peripateticae philoſophiae aedificium conſiderauerit, nobis non monentibus intelliget, non ſine veritatis damno et diſpendio hoc ſectae genus, haec placita Ariſtotelis genuina fuiſſe reuocata, et a Scholaſticorum παρερμηνείαις vindicata. Gens enim iſta, vt erat acutiſſima, ita falſas et erroneas philoſophiae Ariſtotelicae hypotheſes probe perſpexerat, eumque Ariſto-

v) Lib. I. cap. 3.

Aristoteli homagium praestitisset, eius placita ita inflexerat emendauerat-que, vt propius sacris Christianorum dogmatibus accederent, et cum illis conspirarent. Ita vero probe intelligebant, qui ex stabulo Scholasti-co ad ipsa Aristotelis adyta proruperant philosophiae restauratores Itali, confundi euertique omnem Lycei doctrinam, et alium nobis fingi Aristo-telem, quam se ipsum in scriptis suis exhibuisset. Hunc itaque dum sin-cera ratione sequendum esse statuebant, pestilentissimos errores recipiebant, quos subministrabat philosophia Peripatetica: esse materiam primam aeter-nam, et diuinis attributis parem, Deum primum motorem immobilem, primaeque sphaerae affixum, sui tantum intellectioni intentum esse, adeo-que ceterarum sphaerarum incurium esse, nec ob hanc naturam suam et necessarium, qui ex illa sequitur, motum agere aliud aut rebus sublunari-bus prouidere posse: connecti vero sphaerarum motum et intelligentias ipsas quadam necessaria emanatione et influxu, et hac ratione vltimae sphaerae praesidem siue intelligentiam intellectum quendam vnum vniuer-salem constituere, ita per humanum genus diffusum, vt ex eo omnes ho-mines participent. Praeter hunc vero externum intellectus diuini appul-sum animam omnino mortalem esse dicendam, nec dari praeter has intel-ligentias daemones alios. Quae dogmata nec Aristotelicae physiologiae a nobis affingi, nec praeter veritatem multis recentiorum Peripatetico-rum, maxime Italorum, tribui ipsa haec nostra tractatio et exempla allata luculentissima euincunt. Quam graues autem atque pestilentes errores velut mortiferam messem haec seges protulerit, toties monuimus, totque exempla atheismi et impietatis maxime profanae produximus, vt in his diutius morari non sit opus. Oramus modo lectorem, vt ea relegat, quae de Pomponatio, de Caesare Cremonino, de Andrea Caesalpino similibus-que adduximus; facili enim labore ex iis colliget, quam pestilens fidus in isto philosophiae Peripateticae sincerioris ortu homines afflauerit, et quam periculoso ausu iugulum diuinarum veritatum, praesertim libertatis diuinae, prouidentiae, immortalitatis animorum &c. hoc telo petierit im-pietas. Quae eo maius portendebat periculum, quo maiori confidentia illi, qui intimos Aristotelis sensus rimari credebantur, asserebant, haec asserta, ex ratione et philosophia (istas enim voces Peripateticae doctri-nae affingebant) refutari non posse, sed nuda fidei contradictione reiici-enda esse. Quod idem fuit, ac si dixissent, infallibilem philosophiae omnis principem atque praesidem inuictas phalanges reuelationi fideique posse obiicere.

§. LXIV. IV. Genuisse hoc malum innumera alia, et prauam hanc sementem ingentem loliorum messem produxisse, cum facili ratiocinatione colligitur, tum historia philosophica tristissimis documentis comprobat. Nempe atheismo, profanisque et impiis opinionibus ingenia optima et maxime acuta certatim repleta sunt, et veneno hoc detestabili summorum virorum

IV. Promptus inde et atheismus.

virorum tincti sunt animi. Id quod circumstantiae temporis in ecclesia, maxime in Italia plurimum promouerunt. Nempe cum abundaret regio ingeniorum optimorum et acerrimorum ferax, viris acutis et perspicacibus, totam autem illi superstitione et falsis ineptisque placitis, et assertis quae nec ratio concoquere poterat, nec reuelatio probare, repletam viderent, et offenderet cordatum quemlibet detestabilis hypocrisis, quae inter summos ecclesiarum praesides et doctores regnabat, ipsum religionis odium et contemtus indignatus est, et cum vitiis hominum tacite accusata quoque religio. Quamuis autem castiora tradi viderent ab illis, qui emendare ecclesiam aggressi erant, adeo tamen odiis, fulminibus, calumniis, immo igne ferroque premi et extingui partes istae coeperunt, vt horrore tantarum inimicitiarum, cum splendida munera et pingues reditus amittere nollent philosophi, ipsi magis religionis castimoniae vim inferre, quam admissa puriori doctrina solum vertere, intolerabiles persecutiones pati, et incerta sede in exilio vitam miseram agere (quod plurimis ex Italia profugis accidit) maluerint. Quod eo promtius fecerunt, et impietatis detestabilis partes eo facilius secuti sunt, vbi Peripatetica eos philosophia istis telis armauerat, quibus nudum modo pectus religionem obuertere posse credebant, et certo certius sibi persuadebant. Ita semel religionis vinculo soluto, dum cum superstitione et errore diuinae quoque fidei iugum excusserunt, egregie se in libertatem sesemet vindicauisse gloriati sunt, rati summam sapientiam errore triumphato se attigisse. Haec ipsi, Peripatetica doctrina nixi, sibi quotidie ogganniebant, haec discipulorum auribus insusurrabant, haec in amicorum conuentibus disputabant, in hoc vno cauti, ne pestis huius suspicio ad aures oculosque inquisitorum fidei perueniret, illisque palpus obtruderetur. Nihil nos hic partis studio, nihil suspicioni et incertae coniecturae dare, sed indubitatis haec omnia testimoniis constare, historia Peripateticae scholae apud Italos seculo XV et XVI luculenter probat. Nos hoc loco breuitatis caussa ad vnum Petrum Pomponatium iterum prouocamus, quem quam plurimos ex hac secta impietatis patronos ὁμοψήφους habuisse FICINVS [w] testis est, omni exceptione maior minimeque suspectus. Caussas quoque has regnantis in Italia atheismi adeo luculenter exposcere viri docti laudati a Ven. I. FR. REIMMANNO [x], qui cuncta ipse strictim persequitur, vt non opus sit, speciale hoc argumentum, quod ad singularem atheismi historiam pertinet, latius exponere. Nos ad vnum testem prouocamus NICOLAVM MACHIAVELLVM [y], qui vt acutissime sui temporis et regionis mores pernoscebat, ita facile vidit, corruptissimos aulae Romanae mores et hypocrisin summorum in ecclesia virorum ad hanc pestem generandam plurimum attulisse. Idem si id ageremus, de nonnullis dogmatibus dici posset, quae philosophis Aristoteli deuotis necessario contemtum religionis fug-

w) Praef. ad Plotinum.
x) In Hist. Atheismi S. III. c. 4. §. 2. p. 353 seqq.
y) Dissert. in Liuium Dec. I. L. I. c. 12. p. 40. Conf. LA CROZE Entretiens p. 394.

ſuggerere debuerunt, cuius exemplum ſi quis cupiat, eum transſubſtantiationis doctrinam, miro conſilio a Scholaſticis rationibus philoſophicis incruſtatam cum genuina Ariſtotelis philoſophia comparare iubemus, mox intellecturum, quam vehementer eorum philoſophorum animos offendere, et contemtum religionis ingenerare debuerit, qui Ariſtotelem velut Deum adorarunt, eiusque philoſophiam errore carere philoſophico ſtatuerunt.

§. LXV. V. Innumera hoc modo damna animis ſuccreuiſſe attenta cogitatione rem omnem complexis comprehendere eſt facillimum. Ex intellectu enim peſtilentiſſimis erroribus infecto infeliciſſima voluntatis profluxit corruptio, animique ſceleribus et moribus nefandis repleti ſunt. Quae enim potuit virtutis ratio coli, vel ſeruari pietatis caſtimonia, vbi eiecta conculcataque ex animo religione timor Dei, et quae prouidentiae eius debetur, reuerentia negligitur? et vbi totum religionis negotium pro praeiudicio ſimplicis plebeculae et fraude ſacrificulorum ad nundinandum excogitata habetur? Quae obtinere poſſunt vitiorum deteſtandorum repagula, vbi et iudicis oculus atque cura negatur, et viae gratiaeque diuinae certitudo infringitur, et futurae vitae ſpesque timorque cum praemiis poenisque exſibilantur, quod ſaluis principiis phyſiologiae Ariſtotelicae aliter fieri non poteſt? Annon ἀσωτίαν regnare, mores corumpi, caſtimoniam perdi, ſcandalisque repleri omnia, rebus ita ſtantibus oportet? Comprobauit hanc ratiocinationem euentus, teſte hiſtoria Peripatetica, qua narrante nouimus, adeo turpem egiſſe vitam Peripateticos plerosque, ſummi quoque nominis et excellentiſſimae famae in Italia, vt in eorum vita veſtigium non Chriſtianae modo, ſed et philoſophicae ſobrietatis virtutisque inuentum ſit nullum, certumque fuerit, honeſtate morum philoſophos ab ipſa plebe longe ſuperari. Quod qui negat, eum non legiſſe oportet annales literarios, qui obſcoeniſſimorum ſermonum, et impietatis nefandae plauſtra nobis ſuggerunt; vel oblitus eſt verborum NAVDAEI [z], in vita Niphi iam a nobis adductorum, in quibus huius philoſophi Peripatetici obſcoenitatum licentiam exemplo Boccatii, Poggii, Aretini, Caſae, Caſtalionis Pacifici Aſculani, Iulii Groti, Puccii, Ludouici Centhii, Philelphi, Codri, Septabinae, Mazuccii Franci et id genus aliorum excuſat, et per hos impudentiam, malitiam, foeditatem, impietatem, virus ſuum plenis buccis aut potius pleno iure, ſiue in Deum, ſiue in eius miniſtros, aut publicas priuatasque perſonas, et in omnem denique honeſtatem et verecundiam effudiſſe, fatetur. Plura in re nota addere opus non eſt, dabit autem, qui induſtriam in his colligendis adhibuit, plura PETRVS BAYLE [a], qui videndus.

V. Genita ſic morum corruptio.

§. LVI. Non tacendum tamen, malo non tam gliſcenti, quam publicis ſpeciminibus prodeunti et late graſſanti medicinam afferre voluiſſe con-

z) In Vita Aug. Niphi, praemiſſa eius Opuſc. moralibus p. 56.
a) Dict. T. IV. Art. Vager. not. E. p. 410.

concilii Lateranenſis patres, qui anno MDX inualeſcenti huic impietati Ariſtotelicae bullam iſtam oppoſuerunt, quam ſupra integram exhibuimus. Fatendum quoque, excitatos fuiſſe et conductos nonnullos, qui virus tum ſerpens ſcriptis quoque reprimerent, et hoc pacto Auguſtinum Niphum contra Petrum Pomponatium arma philoſophica mouiſſe. Verum parum iſta medicina effecit, nec retardari imminuique multo minus tolli eradicarique id malum potuit. Cuius cauſſae diuerſae fuere, hoc loco non plane ſilentio praetereundae. Et initio quidem veriſimillimum eſt, riſum mouiſſe, et cachinnos prouocauiſſe hanc bullam Peripateticis philoſophis, in quos illa fulmen vibrabat, cum viderent, Leonem X, P. M. et Petrum Bembum cardinalem nomen illi ſubſcripſiſſe, et haec auctoritate pontificia iniungi; cum ſcirent, vtrumque iuſtiſſima ſuſpicione premi, quod in eodem luto haererent; certe illam vitam agerent, quam ad eam, qua vſi ſint, proteruiam excuſandam, nihil fere tueri poteſt, quam impietas vel Peripatetica, vel Peripateticae tamen ſimilis, omnemque Dei curam prouidentiam, gratiam, iram, coelum et infernum inter commenta ſacrificulorum et terriculamenta plebis referens. Nihil nos ſummis cetera viris affingere, ex ipſo eccleſiae Romanae gremio teſtis eſt, qui *Florentinam hiſtoriam anecdotam*, id eſt arcanam, nobis dedit ANTONIVS VARILLANVS [b], ipſe de ἀσωτίᾳ curiae Romanae, ſedente Leone X, legendus: vt taceamus, narratiunculas, quibus valde ſuſpectum ſe impietatis criminis pontifex fecit, quas exhibet P. BAYLE [c], qui videndus. Nec melior Petro Bembo mens inſedit, viro cetera doctiſſimo, et de literis elegantioribus praeclare merito, vt vel ſola eius carmina produnt, hoc loco pluribus non tangenda [d]. Ignotum quoque viris doctis iudicium eruditiſſimi cardinalis de Philippo Melanchthone haud eſt cum ex Georgio Sabino, quo is familiariter vtebatur, inter epulas quaeſiuiſſet, quanto ſtipendio Melanchthon doceret, quam frequenti auditorio, et denique, quid de reſurrectione mortuorum et vita aeterna ſentiret? Cum enim ad primum reſpondiſſet Sabinus, numerari Melanchthoni quotannis trecentos circiter florenos, tum cardinalis, o ingratam, inquit, Germaniam, quae tanti viri tot tantosque labores non pluris aeſtimet! De auditorum numero cum reſpondiſſet Sabinus, habere Melanchthonem vt plurimum mille quingentos auditores, cardinalis, id ſe non poſſe credere, ait, quod nullam tota in Europa academiam noſſet, vna Pariſiorum excepta, in qua vnum tot audirent. Ad tertiam quaeſtionem reſpondit Sabinus, ex ſcriptis Melanchthonianis notam eſſe ipſius de vtroque religionis capite πληροφορίαν, tum cardinalis, haberem virum prudentiorem, ſi hoc non crederet [e]. Tales cum fuerint, quorum auctoritate firmata illa bulla fuit, quid quaeſo cogitaſſe putemus Peripateticos, cum iſta legerent, et annon bru-

b) Lib. VI. p. 292 ſeqq. conf. SECKEND. Hiſt. Lutheraniſmi L. I. §. 117. p. 190.
c) Dict. T. VI. Art. Leo X. not. II. p. 83.
d) Conf. IDEM, art. Bembus not. E. p. 516.
e) MELCH. ADAM. Vit. theol. p. m. 560. Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Melanchthon not. P.

brutum eos fulmen in ludibrium adduxisse et secure contemsisse oporteat? Mirum itaque non est, Bembum Pomponatii patrocinium suscepisse, licet profanam is mentem clarissime demonstrauerit. Deinde licet serio impietas haec constitutionibus ecclesiasticis ea de caussa sancitis prohiberetur, occasionem tamen fauentissimam ea inuenit, post carecta latendi et oculatorum attentionem eludendi. Non enim radices succidebantur, sed capita tantum summa demetebantur, somite mali relicto: nempe ignorabant, vel saltem latere se simulabant religionis publicae custodes, ex philosophiae Aristotelicae medulla hoc virus pullulasse; hinc amaros quidem istos fructus et adulterinos foetus virgula censoria notabant, truncum autem venenatae arboris non eradicabant, parentem cum sobole non interimebant, prohibita, vt tamen in medio aeuo factum erat, philosophia Aristotelica. Quod auide arripientes huius disciplinae alumni, cum saluam viderent Aristotelicam sapientiam, modo aperto Marte contra veritates religionis Christianae in aciem non procederet, satis callide sibi prospexerunt, vt saluis muneribus et reditibus suis impias hypotheses fouere liceret. Dicis enim caussa, et vt puluerem oculis obiicerent, religionis decretis sese totos subiicere fatebantur, tantaque humilitate se ecclesiae dogmata recipere testabantur, vt non obstante inuicta rationum philosophicarum serie, et inuincibili, vt putabant Peripateticae disciplinae acie, manus tamen, etiamsi non victos, se dare simulauerint, multisque id verbis obtestarentur. Cuius luculentissimum exemplum si quis cupit, PETRI POMPONATII peroratio libri *de Incantationibus* affatim suppeditabit, quod lucem toti obseruationi foenerabitur. His laruis indutis facile erat, quodcunque impietatis Peripateticae genus non tegere modo, sed et publice defendere, addita modo cautione, se philosophiae caussa eiusmodi theses tantum proponere, esse eas secundum Aristotelem quidem veras, at falsas secundum decreta ecclesiae; his vero sese subiicere, illasque reiicere velut erroneas, eo quod tales esse ecclesia pronunciet, licet, se huius condemnationis caussas non perspicere interdum improuide prodiderint. Ita quidem satisfiebat illis, qui censurae ecclesiasticae erant praefecti, eo quod hoc pacto damnum nullum ad ecclesiam redundare crederent: at vaferrimi homines, quibus Aristotelica philosophia omni veritate Christiana potior fuit, post has latebras tuto impia semina spargebant, illi enim, qui crasso sub aëre nati haud erant, nullo negotio colligebant, puerilem esse hanc excusationem, et philosophis adeo indignam, vt eos ad declinandam inuidiam talia tantummodo submonere sit euidentissimum. Nec hi magnopere fallebantur. Vbi enim dormiebat oculus inquisitoris, et in amicorum fidorum coronis de his doctrinae capitibus differendi occasio enascebatur, magna audacia disseminabantur, quaecunque suggerebat licentia, sumto quod Cremoninus dixisse fertur, symbolo: Intus vt libet, foris vt moris est.

VI. Negle-ctum remedium proscripto Peripateticismo adhibendum.

§. LXVII. VI. Melius omnino remedium morbo aptari poterat, ostendique, quam graues errores Aristotelis philosophia sincera gigneret, praesertim cum dudum curia Romana decreuisset, lectionem scriptorum Aristotelis non nisi praeuia emendatione permitti posse. Ast quo minus id fieret, summa, quam vbique Stagirita obtinuerat, auctoritas obstitit, metueruntque inepti homines, immane malum disciplinis omnibus ipsique doctrinae de Deo diuinisque accidere, si Aristotelicae philosophiae dignitas imminueretur. Inde factum, vt non obstantibus tot grauissimis erroribus, (vt de aliis, quae merito in Peripatetica philosophia reiiciuntur, nihil addamus,) nemo tamen mutire contra eam ausus fuerit, vel qui talia conabantur, maxima pressi sint inuidia. Vidit id vir doctissimus CLAVDIVS BERIGARDVS, qui cum ea propter Ionicam physiologiam cum Peripatetica comparauisset, vt huius errores palpandos lectori obtruderet, prudenter monuit *f*: *Non opus fuit, vt veram vsque quaque doctrinam obiicerem Aristoteli, cum et ipse in multis longe desciscat a veritate. Quamobrem clare pronuntio, tam Aristotelis, quam veterum a me propositam opinionem in iis omnibus, quae aduersantur Christianae veritati falsam esse, in aliis vero, de quibus iudicium philosophis relinqui solet, sententiam meam proferre non debeo, ne, cum Aristotelis interpretandi munere tamdiu perfunctus sim, in magistrum despuere, et apolactizare, vt ait Plautus, aut antiquorum cineribus insultare velle videar.* Multo vero magis ipsa academiarum statuta huius mali remediis obstitere. Secundum illa enim iureiurando professores obstringebantur, vt Aristotelem in philosophia ducem sequerentur *ff*. Quo vinculo dum mentes retinentur, ora clauduntur, libertas eripitur, medicina omnis quoque praeciditur, et salua manet, magno cum veritatis detrimento Aristotelis philosophia, etiam erronea, et in haud paucis pestilens. Et hac quidem ratione in scholis ecclesiae Romanae addictis parum felicitatis verae philosophiae ex cultura sinceri Peripateticismi enatum est.

VII. Peripatetica philosophia malo fidere inter Protestantes retenta.

§. LXVIII. VII. Longe felicius fidus philosophiae verae in ecclesia Protestantium ortum erat, cum auctoritatis et antiquitatis praeiudicium forti impetu conculcaretur, et quanti in philosophia Aristotelis errores laterent, ostenderetur. Verum suis bonis vti ingeniis non permisit nescio quae temporis infelicitas, qua factum, vt a Melanchthone potissimum susciperetur philosophiae emendatio. Qui cum doctrina et iudicio non destitueretur, vt audere quid et noua dare in philosophia posset, animi tamen fortitudine caruit, qua ad excutiendum Aristotelis iugum opus erat, vt supra fuse demonstratum. Is itaque contentus impia dogmata physiologiae Peripateticae reliquisse, iisque saniora suppositisse, ita vt damnum inde religioni metuendum esset nullum, totam tamen sectariam Aristotelis

f) Praef. Circul. Pisan.

ff) Conf. Io. CASA in Dial. p. 144. H. C. AGRIPPA Praef. ad librum de Vanit. scient. HORNIVS Hist. phil. VI. p. 315. LILIENTHAL de Machiau. literar. §. 7. p. 25.

lis philosophiam, praeter ista quae diximus retinuit, ratus egregie orbi erudito consultum esse, si eius placita perspicue exponerentur. Maxime autem vehementer Melanchthoni, cui ingenium obtigerat luculentum et perspicuitatis amans, placuit doctrina de methodo, et ipsa dialectica Aristotelis, qua iuuari commendarique posse disciplinas reliquas iudicabat. Hinc translatae dialecticae regulae ad vsum scientiarum aliarum, praecipue sacrarum, quod cum luculenter et eleganter facere nosset, hancque magistri consuetudinem discipuli imitarentur, nouo argumento Aristotelis philosophia commendata est, vt pluribus supra dictum. Cum autem Philippica ista methodus ipsam Aristotelis philosophiam exhaurire omnem, et dignitati Lycei satis conuenire non videretur, iterum ad ipsum Aristotelem tota philosophia reuocata est, lecti philosophi Peripatetici Itali, et latens vlcus non expressum, sed cicatrice obductum, erroresque clandestini excusatione leuiter castigati vel tecti potius simulatique sunt. Studium metaphysicae Scholasticae autem et ipsam philosophiam veram et Peripateticam corrupit, et pristinis sordibus ingenia inquinauit. Quae cum omnia late supra exposuerimus, et testimoniis inuictis corroborauerimus, ea hoc loco pluribus non tangemus.

§. LXIX. VIII. Fieri tamen non potuit, vt in moderata sentiendi et examinandi libertate, qua semper ecclesia Protestantium vsa est, ingenia acuta, iudicio pollentia, et paulo erectiora, naeui Peripateticae philosophiae omnes laterent, et non passim suspecta fieret doctrina Peripatetica: ita vt inde cogitatio enasci debuerit, de melioribus dispiciendi, et hoc iugum, quod per tot secula philosophantium humeros presserat, excutiendi. Et haec quoque causa est, cur in coetibus Protestantium tanta libertate in Aristotelem inuecti fuerint, grauemque illi dicam viri eruditissimi scripserint. At parum tamen hac ratione, licet multum moueretur, promotum est. Aut enim pauci quidam Aristotelis errores, praesertim in physiologia, in qua maxime peccauit, configebantur, eaque dogmata conuellebantur, quae in veritatem religionis Christianae insurgebant, et nonnulla tantum monebantur, in quibus comtius et accuratius philosophandum esse censebatur, tota vero παιδεία Aristotelis salua manebat et intacta, quo pacto Taurellum se ad emendandum Aristotelem accinxisse, supra narrauimus, aut effecit quidem ista Aristotelicorum errorum detectio, vt illius partes derelinquentur; at sine duce tamen philosophari natareque sine cortice, nemo fere ausus est, sed defecerunt isti μεταθέμενοι ad alias sectas, praecipue cum Petrus Ramus et Renatus Cartesius nouum philosophiae sectariae genus orbi literato obtruderent. Nemo itaque id contra Aristotelem ausus est, quod eum ipsum tanta fiducia et audacia feciſſe in eius historia ostendimus, nempe vt contemtis veteribus nouum systema sibi propria meditatione, vel saltem prudenti selectu habito conderet, sed sectariam philosophiam excolebat quilibet. Et tamen his quoque conatibus se philosophi, qui in academiis Protestantibus docebant, vehe-

VIII. Emendatio a nonnullis frustra et sinistre susceptа.

vehementer omnibusque viribus oppoſuerunt, adeo iſtis nouatoribus pro conſeruando Ariſtotelicae philoſophiae honore aduerſi, vt principum et magiſtratuum auctoritatem implorare, eorumque mandatis nouitates iſtas philoſophicas proſcribere, et conſtitutionibus ſeueris principum nomine editis confirmare imperium Ariſtotelis, quibuscunque poſſent machinis conarentur. Quas licet nonnulli ſatis fortiter contemnerint, bellorum tamen philoſophicorum certaminibus laſſati tandem conquieuerunt, nec euelli ex animis Pripatetica diſplina potuit. Id quod, Rami et Carteſii hiſtoriam exploraturi, exemplis illuſtrandi occaſionem habebimus ſatis luculentam. Alii qui haec magno philoſophiae dedecori fieri videbant, cum ſectariam Ariſtotelis philoſophiam deteſtarentur, in contraria currentes omnem philoſophiam reiecerunt, et quod hominum et ſectae vitium fuit, ipſi philoſophiae tribuerunt, quale bellum ſatis ineptum apud Helmſtadienſes medio ſeculo XVII exortum eſſe, infra trademus. Alii rationem cum reuelatione, hancque cum interna quadam, quam iactabant illuminatione confundentes, obſcuram et fanaticam philoſophiam excogitarunt, et emotae imaginationis ſomnia pro theoſophia quadam vendiderunt, ſicque e Scylla in Charybdin philoſophantes coniecerunt, lucem et tenebras, certa et incerta, humana et diuina inter ſe miſcentes, et aptantes quadrata rotundis. Quorum hominum hiſtoriam cum infra traditurus ſimus, hoc loco nihil de iis mouemus, id modo monentes, ipſum hunc praepoſterum philoſophiae adiuuandae modum effeciſſe, vt contemtis ſomniis iſtis, quibus ſacra et humana omnia facile euerti poſſe quilibet videbat, in priſtina Ariſtotelis via plerique perſeuerarent. Patrum itaque noſtrorum noſtrisque temporibus ea felicitas ſeruata fuit, vt fracto tandem et abiecto iugo Ariſtotelico et contemta philoſophia ſectaria deſineret nugari philoſophorum cohors, in academiis Proteſtantium. Quibus cum ducem ſe praebuiſſet Sennerti ſchola, quae prima fere in Germania a placitis Ariſtotelis naturalibus recedere auſa eſt, viam autem ſtrauiſſent certamina Carteſiana, quae naeuos Peripateticos in aperta luce collocarunt, tandem Pufendorfio et Thomaſio auctoribus in alia omnia itum, et Lyceum relictum eſt. Quibus conatibus cum manibus pedibusque reluctarentur alumni Peripateticae philoſophiae, ipſa illa bella et contentiones tantum iſti doctrinae odium excitauerunt, vt tota tandem abiecta ſit. Verum de his omnibus infra ex inſtituto tractabimus; iam ſatis diu in hoc campo verſati Lyceum recentius relinquimus.

CAPVT IV.

* * * \

quae animi humilitas et pectoris anguſtia, proprii theſauri ignara effecit, vt nonniſi ſectario modo philoſophiam excoli poſſe crederent, adeoque de alio ſibi duce proſpicerent, rati ex Graecorum philoſophorum principibus ſibi aliquem deligendum eſſe. Inter quos cum poſt Ariſtotelem Plato vniuerſae antiquitatis iudicio omnium maxime emineret, Platonica philoſophia in Italia reſuſcitari coepta, at tantum non a Peripatetica extincta ſeculo XVI reuocata eſt, idque philoſophiae genus eo auidius receptum, quo certius ſibi perſuadebat orbis philoſophicus, Pythagorae myſteria, quibus apud certum hominum genus, nihil erat celebrius, diuinius, religioni accommodatius, et, quod maximam illis auctoritatem conciliabat, arcanorum diuinae ſapientiae et mirabilium euentuum plenius, in ea ſecta Platonica, veteri ſyncretiſmo Pythagoricae iuncta contineri, et initiatis recudi. Qui error vbi ſemel radices in animis egit, noua ſectae huic firmamenta ſubminiſtrauit, nouasque vires addidit. Cum enim nemo fere eo tempore dubitaret, quin ab Hebraeis potiora philoſophiae ſuae capita Pythagoras acceperit, et ex ſanctioribus fontibus arua ſua in itinere orientali irrigauerit, enatum inde, vel reſuſcitatum potius, quod iam patres eccleſiae certatim arripuerunt, praeiudicium, Pythagorico-Platonica myſteria cum Hebraeorum philoſophia arcana arcto cohaerere nexu et ſororio inter ſe conſpirare vinculo. Quod ſi viri boni de Aegyptiaca Iudaeorum philoſophia intellexiſſent, nouiſſent autem veram eius indolem, tota res fuiſſet in vado, nec futurum fuiſſet, vt res ſacrae et profanae tantopere miſcerentur, ipſaque ſectarum placita tam miſere confunderentur. Verum error errorem genuit et auxit, falſaque opinione ſibi perſuaſerunt viri docti quidem, at hiſtoriae philoſophiae veteris non ſatis periti, nimis quoque credulo animo veterum eccleſiae doctorum praeiudicia amplexi, Cabbaliſticam illam philoſophiam, arcanamque Iudaeorum doctrinam, quam tamen ipſam parum perſpexerant, eſſe veram illam ſapientum Hebraeorum doctrinam, cuius merito ſumma inter Chriſtianos eſt auctoritas et veneratio. Quam cum tantopere abſcondi probe noſſent, vt in tanta librorum Cabbaliſticorum raritate, obſcuritate et incertitudine ſphyngis aenigmata ab Oedipo vix ſoluenda ſuppeditari, ipſam autem ſapientiam iſtam Hebraeam intelligi non poſſe eſſet manifeſtiſſimum, ob praedictum praeiudicium ad philoſophiam Pythagorico-Platonicam confugerunt, ſperantes, fore, vt hac claue adyta arcanae iſtius ſapientiae, omni humana diſciplina ſanctioris et anguſtioris recludere poſſint. Id quod infra latius probabimus, et ineptam falſamque opinionem in apricum producemus. Ita vero nouum philoſophicae ſectae genus prodiit, quod Pythagoreo-Platonico-Cabbaliſticum paradoxo quidem et ſyncretiſtico, at vero nomine recte appellamus. Hi enim philoſophi cum in Italia a Graecis placita ſcholae Alexandrinae, ſyncretiſmo cuidam vniuerſali adaptata didiciſſent, et haec pro ſinceris Pythagorae Platonisque ſententiis habuiſſent, decepti venerandorum virorum, Abrahami, Moſis, Herme-

Hermetis, Zoroastris, Orphei et similium nominibus, quae spuriae philosophiae praetendebantur: Cabbalistica nonnulla incerta et adulterata ab impostoribus, et ex libris suppositis et corruptis hausta, iungentes nouum illud sectae genus condiderunt, illique systema opinionum aliquod attemperarunt, cuius iam historiam porro, qua licet breuitate, enarrabimus.

Generalis διατύπωσις historiae huius sectae.

§. II. Ex dictis intelligitur, sectae Pythagorico-Platonico-Cabbalisticae origines ad seculi XVI initia referendas, et in schola Platonica, quam Cosmus Medices condi curauit, quaerendas esse. In ea enim a Graecis exulibus hanc philosophiam Pythagorico-Platonicam didicerant, et pro vera Hermetis et Zoroastris doctrina vendiderant Ficinus, et commilitones eius supra enarrati. Qui licet seculi XVI orientis annos non attigerint, ipsam quoque, quae Mediceam domum vehementer afflixerat, calamitatem experti, eiusque tutela orbati planeque prostrati fuerint, transmiserunt tamen, vt poterant, Platonicam disciplinam isto syncretismo incrustatam ad illud tempus per Franciscum Catanaeum Iaccetium et discipulos Ioannis Pici Mirandulae principis. Ille Florentiae anno MCCCCLXVI natus, cum in disciplinam Marsilii Ficini transiisset, in huius philosophiae mysteriis accurate eruditus est, et cum summum ad ad eam cognoscendam studium ac diligentiam attulisset, praeclare totam illam doctrinam a tanto praeceptore didicit, ita vt inter academiae a Cosmo excitatae et a Ficino insigni industria conseruatae ornamenta summo loco haberetur. Nam Graecas quoque literas et eloquentiam mire callebat, quibus elegantiis ista aetate valde commendabantur praeclara ingenia. Dignum itaque habuit, quem sibi successorem Ficinus deligeret, et Mediceae familiae de meliori traderet. Eo itaque in munere positus Platonicam philosophiam illo modo, vt a praeceptore acceperat, propagauit, cuius exemplum esse possunt libri ab eo editi et a Basileensibus vno fasce comprehensi, *Paraphrasis in politicum et Theagenem Platonis*, *in Aristotelem de coelo et meteoris*, *Enarratio in Platonis symposium*, *Tractatio de amore*, et alia, in quibus syncretismo Platonico-Peripatetico eum fauisse recte obseruatum est Iacobo Thomasio [a] et Io. Fr. Buddeo [b]. Hic cum obiisset anno MDXXII, Platonicam istam sectam in seculum XVI transtulit. Vitam eius eleganter enarrauisse Euphrosynum Lapinum testis est Michael Poccianti vs [c], qui cum Ghilino [d] et P. Bayle [e] de eo est videndus. Abstinuit tamen schola Ficini, quam ille continuauit ab aperto syncretismo Cabbalistico. At hanc labem Platonicae philosophiae intulit, eamque totam deformem reddidit Picus, vt supra demonstratum. Quo loco etiam probauimus tantum strepitum inauditum philosophiae genus per totam fere Europam excitauisse, vt ex Germania quoque optimae indolis iuuenes Flo-

a) De Syncretismo Peripatetico, Orat. XV. p. 341.
b) Obs. Hal. T. III. obs. 14. p. 265.
c) De Scriptor. Florent. p. 67. 68.
d) Theatr. vir. erud. P. II. p. 88.
e) Dict. T. II. art. Iaccetius p. 823.

rentiam mitterentur, vt eam addiscerent. Inter quos cum Ioannes Capnio fuerit, huic potissimum literarum inter Germanos restauratori philosophiae Pythagorico-Platonico-Cabbalisticae cultura adscribenda est, qui in ea ex puluere et tenebris protrahenda multum laboris susceperit, vt in sequentibus dicemus. Et ex eodem fonte hauserunt, qui simili ratione de hoc philosophiae genere solliciti fuerunt Petrus Galatinus, Paulus Riccius et Franciscus de Georgiis Venetus, quos cum Pico, et Capnione inter eius primarios cultores numerat HENR. CORNELIVS AGRIPPA *f*, ipse inter eos referendus, qui plurimum illi disciplinae detulerunt, eamque propagare studuerunt. Mature tamen secta haec euiluit: id quod magnopere quidem mirandum haud est. Nam cum esse desiissent Maecenates, Marones quoque defuerunt, et euerso Mediceo patrocinio ipsa philosophia Platonica grauem iacturam passa est, praesertim cum Aristotelica tantopere caput efferret, vt difficilia ista et obscura dogmata vbique contemnerentur. Ipsa vero quam cum Cabbalisticis placitis iniuerunt, vel verius, iactauerunt modo, cultores philosophiae Pythagoreo-Platonico-Cabbalisticae, concordia eius decrementa et contemtum promouit. Nam cum obscurissima aenigmata panderent, ea quae intelligi non poterant, non lecta sed neglecta sunt: cumque a sanitate doctrinae diuinioris deflectere crederentur, magna inde sectae huic conflata est inuidia, et immanes errores obiecti, vt vel ex solo Agrippae exemplo infra enarrando constabit. Ita vero tantopere euiluit huius sectae auctoritas, vt cum illi nomen dedisset Franciscus Patricius, diu oberrare sine sede certa sine munere coactus fuerit, donec eius patronum inuenerit atque promotorem, ius sub vmbra Platonice philosophari liceret. Et tamen Protei instar in mille formas se transmutauit, eo quod Aristotelem ex Platonico consortio eiiciens, haud alio pacto odium Peripateticorum effugere posset. Certe, qui Platonicae philosophiae ea aetate in Italia aliquid deferebant, ob ingentem Aristotelicorum numerum et auctoritatem eam cum Peripatetica philosophia iungere coacti sunt, vel Scholasticae quoque eam disciplinae attemperauerunt: cuius exemplum ea dare possunt, quae *capite huius libri primo* de Chrysostomo Iauello diximus, qui Platonicam quoque philosophiam, praeter Aristotelico-Scholasticam illustrauit. Neque tamen hoc quoque pacto fortuna vti haec secta fauente potuit *g*, nec inuentus est, qui Patricii vestigia premeret, licet in castigando Aristotele et exagitanda disciplina Peripatetica strenue eius exemplum imitati sint Sebastianus Bassonus, Petrus Gassendus et huius generis Ἀριστοτελομάστιγες

f) Epistol. L. VII. ep. 26. p. 1043.

g) Refert quidem Itineris Cartesii per mundum architectus, quem DANIELEM ex S. I. virum doctissimum esse constat, P. II. p. 78. vsus auctoritate biographi Bellarmini, vix octoginta annos esse, ex quo pontifex Christianorum maximus tantum non iusserit, vt Romae Platonis philosophia loco Aristotelicae doceretur, nec id velle destitisse, nisi persuasum ab illustri Bellarmino. Id vero scriptoris vitae Bellarmini fidei relinquimus. Certe isto tempore grauem dicam Platoni, velut haereticorum condimentario scripsit, eamque coram facie pontificis Gregorii XIV Romae edidit IOANNES BAPTISTA CRISPVS, valde exagitato et reprehenso Steucho, Pansa et similibus Platonis fautoribus. Vix facturus si Platoni tantopere fauisset pontifex maximus.

γες alii. In Germania autem licet maxima de Reuchlino esset opinio, odium monachorum tamen, quod in se defensis literaturae Hebraicae partibus concitauerat, nouum hoc philosophiae genus ab eo excultum suspectum mox reddidit. Cumque vbique, qui ex eius cohortationibus ad restituendum philosophiae nitorem animum sumserat Philippi Melanchthonis disciplina valeret, et Aristotelica doctrina ab eo tradita reciperetur, cum Capnione philosophia Pythagorico-Platonico-Cabbalistica orta est et interiit. Nec in Gallia quoque meliori fortuna vsa est, quamuis ex Iacobi Fabri schola prodiens Carolus Bouillus illi frigidam suffunderet, et in haud paucis eam sequeretur. Adeo obscuris et paradoxis assertionibus enim scripta sua repleuit, vt arridere isti tempori minime potuerint, quo Aristotelicae philosophiae iureiurando quoque obstricta fuit academia Parisiorum. Intercidisset itaque secta ista, nisi immane, quod in Peripateticam philosophiam conceperant, odium viris nonnullis doctissimis in Britannia Platonicam philosophiam commendasset. Huic enim fauori acceptum referre debet, quod in albo suo legat nomina clarissimorum virorum Theophili Galei eiusque filii Thomae, Samuelis Parckeri, Radulphi Cudworthi aliorumque, quos postea nominabimus. Inter quos tamen nemo fuit, qui Cabbalistica cum Pythagoreo-Platonicis coniunxerit, praeter Henricum Morum, qui vt acumine pollebat, ita has partes, qua potuit, arte et eruditione ornare aggressus est. Tacemus theosophicos nonnullos suo loco, peculiari capite, enarrandos, qui haud raro ad Platonem diuerterunt, ita tamen, vt nonnulla tantum eius dogmata suis somniis adaptarent, et nescio quam philosophiam Cabbalisticam, a Iudaeorum doctrina arcana longe remotam creparent. Quo in saxo voluendo magnas nugas egit Iulius Sperberus, suo loco delineandas. Et haec quidem generalis historiae sectae huius paradoxae διατύπωσις est. Iam vt paulo curatius ea noscatur, celebriorum ex illa virorum res literarias enucleate trademus, et vbicunque licebit, ipsorum placitorum faciem ita depingemus, vt in qua opinione versati hi philosophi sint, attento lectori pateſcat.

§. III. Philosophiam Pythagoreo-Platonico-Cabbalisticam primum fere propagauisse IOANNEM REVCHLINVM, modo diximus. Ille itaque in hoc capite eo magis considerandus est, quo maiora eius fuerunt in reparatam literarum gloriam apud Germanos merita, et nominis eius celebritas. Qui cum inter primos eruditionis vindices haud postremum locum obtinuerit, a plurimis, qui vel ecclesiae historiam, vel philologiae linguaeque sanctae, vel rerum quoque Iudaicarum fata enarrarunt passim tactus est, quorum tamen loca consulere et afferre ob instituti rationem non licet. Optime vero tanti viri historia cum ex scriptis eius et praefixis ab illo praefationibus discitur, tum ex epistolis ab eo, et ad eum scriptis, et vno fasce editis [h]. Praecipue autem attentionem lectoris mere-

Ioannes Reuchlinus.

h) Vtimur nos editione Tigurina, 1558. 8. edita.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur, *Vita Ioannis Capnionis*, a PHILIPPO MELANCHTHONE [i] scripta; ille enim, vt supra obseruatum, res magni viri, cui amicitia iunctus erat, et qui familiariter aliquando cum Philippo vixerat, omnium optime nosse poterat, nec dubitandum, quin more suo accurationem et diligentiam in ea exponenda adhibuerit. Hos fontes, velut purissimos consuluerunt, et ex iis hauserunt, qui Reuchlini historiae lucem haud contemnendam accenderunt IAC. BASNAGIVS [k] HERM. VON DER HARDT [l], Io. FR. BVDDEVS [m], aliique, qui historiam literariam scriptorum ecclesiasticorum condiderunt. Omnium tamen diligentissime, et non sine elegantis eruditionis laude in hoc campo versatus est B. Io. HENRICVS MAIVS, theologus Giessensis multis nominibus de ecclesia literisque praecipue philologicis meritus, qui cum historiam Reuchlini accurate illustrandam suscepisset, quicquid res ecclesiae orbisque literati in ea tangit, multa simul luce erudite perfudit [n]. Tacemus literariae historiae scriptores alios, alibi [o] a nobis notatos, et CRVSIVM passim in *Annalibus Sueuiae* hoc patriae nostrae ornamentum memorantem, qui tamen interdum emendatione opus habet. Nos quantum licet ipsos more nostro fontes consulemus, et ad ea potissimum respiciemus, quae scopus scriptionis nostrae memorabilia hoc loco esse significabit.

Reuchlini vita.

§. IV. Hausit primitus vitalem auram Ioannes Reuchlinus, Pforzhemii, oppido Sueuiae, in Badensi ditione sito, V. Cal. Ian. anno MCCCCLV, nam qui annum ei natalem adscribunt MCCCCXLV [p], vel MCCCCLIV [q], falluntur. Ipse enim Reuchlinus in epistola ad Ioannem Cuspinianum [r] natalem suum fuisse annum Christi MCCCCLV prodit. Parentibus ibi editus est honestis, patre Georgio, matre Elissa Erina. Qui cum essent amantes virtutis et doctrinae nostrum cum fratre Dionysio Scholasticae institutioni tradiderunt: cumque voce valeret, elementa musicae ei discenda commendarunt, in qua cum egregie proficeret, et reliquarum artium rudimenta, quae pueris explicari solent, fideliter didicisset, fortunae vitae futurae hoc pacto prospexit. In aulam enim Badensem inter symphoniacos accitus principi mox gratissimus extitit; et cum haud poenitentes in grammatica profectus fecisset, Friderico Marchioni Badensi adolescenti ob studiorum similitudinem adiunctus est [s]. In cuius comitatu etiam Lutetiam missus occasionem maturam habuit in ea Musarum sede studiorum cursum prosequendi. Ita vero, quod in academiis Germaniae ob regnantem adhuc barbariem obtinere desperabat, adhibita pertinaci industria facile consecutus est, vt ex auscultatione summorum et literatissimorum

i) Declamat. T. III. p. 280. Quam fere totam repetit MELCH. ADAMVS in Vitis philosoph. p. m. 37 seqq. et consuluerunt quoque IAC. ALTINGIVS in Historia Palatin. et SECKENDORF. Hist. Lutheranismi L. I. p. 103.

k) Hist. Iudaic. L. IX. c. 33. §. 10 seqq. p. 924. seqq. edit. recentiss.

l) In Histor. literaria reformationis P. II.

m) Introd. in Hist. philos. Hebraeor. §. 34.

n) Francof. 1687. 8

o) In Germanico H. P. opere T. VI. p. 553.

p) CRVSIVS l. c. P. III. L. VII. c. 11. p. 402.

q) ADAM. l. c. WHART. App. ad Caue p. 143.

r) pag. m. 64.

s) MELANCHTHON. l. c. p. 283. MAIVS l. c. pag. 152.

morum virorum, ex librorum optimorum lectione, interpoſita meditatione ſtudioque indefeſſo, eruditionis theſauros conquireret non contemnendos. Maxime vero opportunitatem ibi nactus eſt diſcendae linguae Graecae, cuius notitia illi viam poſtea ad reliquas eruditionis partes aperuit. Paulo ante iſtam aetatem enim Graecam linguam ante ignotam et neglectam Lutetiae, publico conductus ſtipendio docere coepit Georgius Tiphernas [t]. Cui cum ſucceſſiſſet Gregorius Hermonymus [u] Spartiates, isque eam linguam publice doceret, noſter ſumma attentione eum audiuit, et non modo rudimenta iſtius linguae comprehendit, ſed et venuſte ab eo pingere literarum figuras ductusque didicit. Ita vero duplici nomine creſcebat Reuchlini fortuna. Iſta enim pingendarum literarum Graecarum felicitate eo tempore, vbi typis exarati libri Graeci nondum proſtabant, multis viris doctis innotuit, quibus libros Graecos deſcribebat; ſicque peculium ſibi parauit. In literis Graecis autem adeo profecit, vt paulo poſt idem ille eius praeceptor honeſtiſſimo eum teſtimonio ornaret, et vt porro operam daret libris Graecis, ingenio praeditus et ex ἀπαλῶν ὀνύχων optimis diſciplinis atque artibus inſtitutus, eum cohortaretur. Simili tamen induſtria Latinam linguam pernoſcere, et in philoſophiae maxime rationalis, myſteria duce Ariſtotele penetrare ſtuduit. Contemtis enim, quae iam tunc viris doctis ſordere coeperant, Scholaſticae philoſophiae lacunis, puriores ſcriptorum Ariſtotelicorum fontes ipſe adiit, et ſectae eius conditorem Graece loquentem audire in deliciis habuit. Tanto vero labore rem aggreſſus eſt, eamque tam feliciter abſoluit, vt ſenex etiam, teſte MELANCHTHONE [x] ad verbum longas Ariſtotelis ſententias recitare poſſet. In theologia autem celeberrimum eius temporis theologum Ioannem a Lapide praeceptorem habuit, quod quamuis incertum ſibi eſſe dicat IACOBVS BASNAGIVS [y], patet tamen ex ipſa Reuchlini relatione [z], dubitandum de eo minime eſſe. In rhetorica autem Guilelmum Iardinum et Robertum Gaguinum audiuit, quorum haud incelebris ea aetate in eloquentiae ſtudio fama extitit [a]. Et hac quidem ratione diſciplinarum praeſtantiſſimarum praecepta a doctiſſimis viris hauriendo, et attentionem atque meditationem iungendo annos vix natus viginti ille euaſit, qui cum doctiſſimis comparari poſſet. Innotuit quoque viris eruditiſſimis, quos eo tempore Lutetia alebat, et ex quorum conſuetudine doctrinae eius magna facta eſt acceſſio. Ita vero animo elegantiſſimis literis excul-

to, in

t) Vid. MELANCHTHON. loc. c. p. 283. et de Tiphernate IOVIVS Elog. c. 117. BAYLE Dict. T. IV. p. 377. art. Tiphernas. Addi is debet ALLATII Georgiis, et FABRICII Supplemento Vol. X. Bibl. Graec. p. 818 ſq.

u) Vid. REVCHLINI Praef. Rudim. Hebraic. et NAVDAEVS Addit. ad Hiſt. Ludou. XI. c. 7. MEL. l. c. ipſa Georgii epiſtola ad noſtrum, luculentum diligentiae eius ſpecimen extat inter Epp. Reuchlini p. m. 4. De Georgio videſis ALLATIVM l. c. §. 56. p. 393. et FABR. l. c. p. 758.

x) loc. cit. y) loc. cit. pag. 924.

z) In Epiſtola ad Iac. Fabrum Stapulenſem. conf. MAIVS l. c. p. 152.

a) Vid. de Gaguino TRITHEM. Cat. S. E. c. 914. POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. Aut. Voss. de Hiſt. Lat. p. 663. et quos plures nominat FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. III. p. 5. Fuit Belga, doctor decretorum, et ordinis maturinorum miniſter generalis. De Io. a Lapide a nobis dictum Tomo antecedente inter Scholaſtices. Ex his WHARTONVS l. c. ſupplendus.

to, in Germaniam redux haud contemnendas ingenii opes attulit. Quas vt explicaret, et aliis quoque impertiretur, Basileam concessit. Ibi quae egerit, malumus MELANCHTHONIS verbis explicare, quam nostris. Ita vero vir magnus: *Basileae magisterii philosophici gradu ornatus, docere ibi linguam Latinam et Graecam coepit, habuitque studia seniorum et iuniorum non vulgaria. Eodem tempore venit Basileam vir doctissimus Wesselus Frisius pulsus Lutetia, propterea, quod errores quosdam theologorum taxasset. Eius viri ingenium, eruditionem et grauitatem valde praedicabat Capnio, quem quidem recte de eo iudicasse, nunc editis Wesseli scriptis melius intelligi potest - - Colebat autem adolescens Capnio senem Wesselum, eo maiore reuerentia, quia eum antea Lutetiae, nouerat, et cum ei familiaris esset, elementa linguae Hebraeae ab eo didicit. Narrabat autem ipse Capnio, Wesselum hortatorem sibi fuisse, vt adolescens in Graeca lingua diutius se exerceret. Eius rei facultas Basileae erat, quia ibi Graecos libros, quos synodi tempore eo afferri curauit Nicolaus Cusanus inspicere et describere poterat.* Hactenus Melanchthon, in cuius tamen narratione, licet ea fidem inuenire videatur, quoniam res Reuchlini accurate scire potuit, nonnulla desiderat, quem olim ea de re consulueramus, magnum Basileae suae orbisque literati ornamentum Christophorus Iacobus Iselius. Qui cum a nobis rogatus acta academiae inspexisset, in literis narrauit: in matricula, quam vocant, vniuersitatis inueniri quidem inscriptum nomen *Ioannis Roeuchlin de Pforzen*, addito anno MCCCCLXXIV, nullum autem se vestigium alibi neque ante id tempus, neque post id reperisse, quod Wesselus vnquam Basileae fuerit, vel quod vlla ratione ad eum possit referri. Ita silentibus monumentis publicis, quae eius nomen reticere minime poterant, si in ista academia Wesselus vixisset, valde sibi suspectam esse Melanchthonis narrationem, viderique sibi confudisse virum optimum loca, et quod a Wesselo Lutetiae consilium Reuchlinus accepisset, eum ad Basileensem scholam perperam retulisse, cum hunc in illa studiorum cursum continuasse diceret. Falsum quoque esse, quod de codicibus Graecis a Capnione in vsus suos adhibitis affert, eos Nicolaum Cusanum illuc afferri curauisse. Confudisse enim Melanchthonem Nicolaum Cusanum cum Nicolao de Ragusio, cardinali, qui ab aduersa parte in synodo steterit. Non extare autem vel vnum codicem a Cusano Basileam translatum in bibliotheca academica, sed multos eosque nobilissimos in illam deportatos esse ex bibliotheca Dominicanorum, cui illos legauerat cardinalis de Ragusio, qui cum Graecas literas domi didicisset, a pontifice legatus Constantinopolin a Felice V missus est, vt Graecos ab amplectendis Eugenii IV partibus deterreret, et ad synodum Basileensem inuitaret. Falsum quoque esse, nec vllo indicio vero constare, quod professionem extraordinariam sibi demandatam accepisset. Hoc itaque viro doctissimo et domesticis testimoniis instructo praeeunte, nulli dubitamus, narra-

narrationem Melanchthonis, cui post MAIVM aliosque ipsi olim subscripsimus nuntium mittere, et CASIMIRO OVDINO [b] adstipulari, moram Wesseli apud Basileenses neganti. Sed vt in viam redeamus, Basileam delatum Capnionem ibi Graecam et Latinam linguam docere coepisse facile asserenti Melanchthoni credimus, paulo enim post id tempus, quo ad Musas Basileenses se Capnio conuerterat, Andronicus Contoblacas [c], Graecus, vir doctus, quo quoque praeceptore vsus is erat [d], nostrum literis hortatus est, vt alios Graecas literas edoceret, eo quod speraret, non solum ipsi id muneris profuturum, sed audientibus etiam honori fore [e]. Cum autem non scholae sed vitae se destinauisset Reuchlinus, relicta post quadriennii moram Basilea, in qua *Onomasticon Latinum* fratribus Amerbachiis excudendum reliquerat, in Galliam denuo concessit, eo quod iurisprudentiae studia ibi laetius florere, quam in Germania, nosset. Aureliam itaque profectus est, et quae iuris ciuilis pariter atque canonici discendi momenta sibi deesse nouerat, perfecit, literas tamen elegantiores; non abiecit, sed hortator fuit nobili iuuentuti, eius consilia et institutionem ibi sequenti, vt linguam Latinam recte disceret, quo fine Ciceronis epistolas ei enarrauit, interdum et Graece docuit, et *Grammaticae Graecae elementa* conscripsit, quae in Pictauis anno sequente auditoribus explicuit. Hac vero ratione de reditibus, ex quibus viueret, liberaliter sibi prospexit, sumtusque inde habuit studiorum copiosos [f]. Anno MCCCCLXXXI in Pi-

b) De Script. eccles. T. III. p. 2707.
c) p. 4. conf. CRVSIVS l. c. c. 12.
d) Vid. Dedic. Rudimentorum et Lex. Hebraici.
e) Latius itaque sumenda sunt verba Reuchlini in Dedicatione libri de Accentibus, asserentis, se extra ordinem inter professores docuisse, et intelligendum fuisse. Reuchlinum, magistrum nostrum, priuata habuisse discentium collegia, vt solet in academiis fieri. Totum vero locum adscribemus, tum quod liber ille rarus est, tum quod egregie ratio studiorum Reuchlinianorum, etiam philosophicorum, in illo describitur. Ita vero ille: „Quondam adulescens ego dum aspe„ram et rudem seculi superioris philosophiam „apud Kauraeos meditor, statim ad cultum et „aequabile genus orationis latinae, siue solutam „velles, siue modis vinctam, adieci animum. „Interque primos professores vt esset aliquis „etiam vsus mei in restituendis literis, extra or„dinem vtriusque generis authores publice do„cui. Atque id primum studio magis vt gram„matici, quam elegantes haberemur. Quid „enim requireres amplius ab hominibus, qui „annos iam supra trecentos aliud nihil molie„bantur, quam vt barbari essent? Vnde cum „loquendi vitio amor etiam et voluptas quaedam „balbutiendi insederat, sed prospere cessit. Ma„gnae rei non frustra admoliti manum sumus, „tametsi strenue refragarentur initio istius gene„ris magistri, quos hodie scilicet hostes pati„mur, quibus corruptissimo iudicio et admirabili „φιλαυτίᾳ tumentibus nihil praeter faeces suas „recte probatur. Iam vsu res exsplendescebat, „fiebatque, vt purius et scriberet et diceret iu„uentus Germanica, idque me auspice. Dein„de accessit Graecarum literarum studium, sine „quibus nemo sat politus censeri potest. Hisce „ad philosophiam reuocabamur Aristotelicam, „quae non nisi a Graecis hominibus proprie ac „rite tradi solet. Huc aspirabant, si qui bonis „ingeniis non corrupta ista et perturbata disci„plina infecti erant sensim pueriles scholarum „nugae deserebantur. Ibi vero supercilia tol„lentes veternosi sophistae, mirum, vt ridiculi „aiebant, literarum genus a nobis tractari, alie„num a Romana pietate Graecos schismaticos „esse; interdictas eorum disciplinas contra eccle„siae decreta nobis magistris prodi. Viden' „quanti ratio mihi primorum studiorum consti„terit, per quae rerum discrimina quid passus a „sophistis effecerim, vt resipiscere Germania „vel tandem. Sero enim sapiunt Phryges. Haec „sunt primae iuuentutis merita, quam intelligis „omnem in discendis iuuandisque literis actam.

f) Hos studiorum suorum successus ipse REVCHLINVS quoque enarrat in Ep. dedic. Rudim. et Lexici Hebr.

In Pictauis licentia honores in iurisprudentia summos consequendi rite ornatus [g], in Germaniam rediit, inuitatusque patriae vicinitate et recentis academiae fama et aulae celebritate, Tubingam concessit, in qua academia et aula eruditorum et bonorum virorum magnam tum fuisse frequentiam, eorumque aliquos in Galliis Capnioni familiares fuisse. MELANCHTHON refert. Nec diu in hac luce delitescere potuit Capnionis eruditio, quae et summos iuris titulos atque honores illi conciliauit, et viam ei ad ampliora parauit. Cum enim Eberhardus Barbatus, qui et Probus dicitur, Wirtembergiae dux Romanum iter meditaretur, pontificem summum suis precibus coram veniam petiturus aedificandi monasterii, doctissimos in terris suis viros comites sibi adsciscendos esse statuit. Cumque ea aetate fama eruditionis eminerent Ioannes Nauclerus, Petrus Arlunensis, et Gabriel Biel, hi cum hero suo vrbem adire iussi sunt. Illi vero cum non ignorassent, perhorrescere delicatas Italorum aures incomtam et duriusculam pronunciandi Latina verba rationem, quae tum in Germania obtinebat [h], domino suo auctores fuerunt, vt Reuchlinum assumeret; eum enim, cum diu in Gallia esset versatus, suauius eam pronunciare, et iucundius eius sermonem auribus illabi, satis nouerant. Neque euentu praeuiso rem caruisse, ex Melanchthonis ore refert Io. MANLIVS [i], cum enim ex consiliariis ducis non nemo vir satis doctus, sed pronuntiatione rudis ex mandato ducis orationem haberet ad pontificem et cardinales, et ob pronuntiationis inconcinnitatem ab iis non intelligeretur, Capnionem dux dicere iussit, qui non sine iucunditate ab iis auditus est. Feliciſſimo autem sidere hoc iter susceptit Capnio. Cum enim ea aetate magna in vrbe copia virorum doctissimorum viueret, eorum amicitiam noster honeste ambiit, illaque eo facilius potitus est, quo magis mirabantur Itali, ex Germania, ob barbariem late regnantem Romanis valde contemta, adueniſſe hominem, cum quolibet Italorum eruditionis nomine facile comparandum. Breui itaque et ianuae virorum summorum, quorum spectatissima tum fuerat doctrina virtusque, et ipsa quoque pectora Reuchlino patebant. Qui et nostri candorem amabant et Graecae atque Latinae literaturae, ac philosophiae peritiam extollebant, et ad prosequendum in via tam honesta iter calcaria addebant. Inter quos nobis hoc loco praecipue notandi sunt, Demetrius Chalcondylas, Christophorus Landinus, Marsilius Ficinus, Angelus Politianus, et qui primo loco nominandi erant Laurentius Medices et Ioannes Picus Mirandulanus [k]; quorum potissimum consuetudine factum est, vt ad philosophiam Pythagorico-Platonicam animum adiiceret, cum prius in Aristotelis castris militasset. Et tum quoque factum, vt cum Hermolai Barbari amicitia vteretur, is offensus Germanico Reuchlini nomine, illud more aetatis istius in Graecum Capnionis

g) Extant Vniuersitatis Pictauiensis ea de re Literae inter Epistolas p. m. 73 seqq.

h) MELANCHTH. l. c. p. 171. Conf. quae ex Wimphelingio, de Sueuorum pronuntiatione Latini sermonis barbara habet MAIVS p. 171.

i) Collect. p. 547.

k) Discі id potest ex Collectione Epistolarum Reuchlinianarum.

nis conuerteret; id quod ita obtinuit, vt inter exteros, hac praecipue appellatione notus sit. Ceterum cum ex voto domini sui rem omnem gessisset, in patriam redux vitam aulicam sequi iussus est, principi enim admodum grata erat eius industria, et placebat valde, quod eius oratio libenter audiretur a viris summis. Non multum post reditum, cum magna principis in eo esset fiducia, legatus ad imperatorem Fridericum missus est, felicissimis sane auspiciis. In ea enim aula cum magno tum honore viueret Iudaeus quidam, Iacob Iehiel Loans, qui inter medicos imperatoris erat [l], Reuchlinus occasionem nactus de Hebraea lingua differendi, auidum se illi demonstrauit, eorum accuratius discendorum, quorum rudimenta a Wesselo percepisset. Egregie placuit Iudaeo huius linguae studium rarum eo tempore, et a plerisque neglectum Capnionem itaque in familiaritatem admissum eo legationis tempore linguam Hebraeam diligenter docuit, tanto Capnionis gaudio, vt cum tempore legationis cum laude peracto ab imperatore nobilitatis iuribus et axiomate comitis Palatini ornaretur [m], et, vt moris erat, de munere oratori dando deliberatum esset, Capnio eruditionis cultui omnem honorem postponens, per hunc suum praeceptorem effecerit, vt donaretur codice Hebraeo eleganter scripto, quo hodie superbit sereniſſimi principis Badensis bibliotheca, quae Durlaci asseruatur [n], probante imperatore sene et sapiente atque literarum amante studium hominis tantum pretium diuinis oraculis linguaeque sanctae tribuentis. Haec igitur folia quantum aulae concedebant tempora, diligenter voluit, sicque consultis diuinae veritatis fontibus in plerisque doctrinae coelestis capitibus desipere desiit [o]. Et hactenus quidem secunda fortuna vsus erat Capnio: ast cum morte Eberhardi primi ducis Wirtembergici valde ea commutata est. Cum enim filio Vlrico adolescenti terras suas reliquisset, in testamento tutores ei assignauerat et gubernatores. At contra eius voluntatem succesſerat alius, Eberhardo non probatus; qui cum ista prouincia sibi credita abuteretur, intelligebat id agi apud imperatorem Maximilianum, vt ab ista dignitate munereque remoueretur. Infestus itaque omnibus, per quos res ista agebatur, maxime Capnionem suspicatus est id saxum voluere, decreuitque eum in carcerem abducere [p]. At ille monitus fuga sibi consuluit, et in aulam Palatinam dilapsus est, in qua amicos habebat summos viros, et cum eruditione excellentissimos, tum doctorum amantissimos, omnisque literaturae tunc in Germania exorientis statores vindicesque. Inter quos nominari merentur praeter Rodolphum Agricolam et Vigilium, Plinius electoris cancellarius, id est vero nomine Theodoricus Phenningerus, et Ioannes Camerarius Dal-

l) Vid. Reuchlini Praef. Rud. Hebr. linguae. De ipso hoc Iudaeo, archiatro imperatoris et equite aurato vid. Wolf. Bibl. Hebr. P. I. p. 597 sq. P. III. p. 469. R. Simon Epist. Select. T. III. p. 169. Extat ad eum Epistola Reuchlini p. m. 68.

m) Diploma legitur in Epistolis p. m. 74.

n) Eum describit accurate Maivs p. 529. quocum conferendus Wolf. Bibl. Hebraeae P. II. s. III. p. 295.

o) Melanchthon. l. c.

p) Idem p. 287. Has mutationes aulae Wirtembergicae scriptores historiae Sueuicae silere obseruat Maivs l. c. p. 186.

burgius, Vangionum epiſcopus, quorum ſupra iam mentio facta in vita Agricolae [q]. Hoc itaque loco licet exularet Capnio, tantis tamen viris parariis, et commendante eruditione praeſtantiſſima, aſylum inuenit in aula florente et ſpectata principis Philippi virtute exoptatiſſimum. In ea enim multos ait MELANCHTHON viros doctos ſimul fuiſſe verſatos, quorum ſinguli magnas academias ornare potuiſſent. Hos amicos habebat Capnio, horum commendatione innoteſcebat optimo principi; in horum amicitia et conſuetudine exilii ſolatium inueniebat ſpe omni votoque dulcius. Cum autem viri eruditiſſimi magno animo barbariem, quae tunc temporis apud clerum adhuc regnabat, contemnerent, et exagitarent, noſter, vt erat feſtiuo ingenio et eleganti, comoediam ſcripſit plenam nigri ſalis et acerbitatis, vt in ignorantiam monachorum in genere, ita in eum praecipue monachum Auguſtinianum, qui in aula Wirtenbergenſi eius capiti inſidiatus erat. Eam cum legiſſet Dalburgius, vt erat prouidus futuri, editionem et actionem diſſuaſit, ne crabrones irritaret. Quod quidem conſilium ſecutus Capnio comoediam occultauit, impedire vero non potuit, vt non tandem vulgaretur [r]. Ex quo fonte capitales illae inimicitiae monachorum profluxerunt, quibus eum accedente poſtea cauſſae literarum Hebraicarum patrocinio ad vitae finem perſecutum eſt genus bipedum nequiſſimum. Creuit autem indies in aula electoris Capnionis exiſtimatio, cum et rerum gerendarum prudentia non deſtitueretur, et doctrinae elegantia valde commendaretur [s]. Inde cum ad curiam pontificis partim propter nuptias Ruperti principis cum filia Georgii ducis Bauariae partem propter litem electori a monachis Weiſſenburgenſibus intentatam legationem elector mittendam decreuiſſet, noſter potiſſimum delectus eſt, cui id muneris committeretur [t]. Quod negotium cum ſuſcepiſſet, Romae, vbi diutius anno haerebat, otium et facultates ad id nactus iterum animi diuitias explicuit auxitque, ad id celeberrimorum in omni diſciplinae genere virorum conuerſatione vſus, vt et famam, quam ei eruditio comparauerat, confirmaret, et literarum theſauros amplificaret. Maxime vero Graecae et Hebraicae linguae ſtudium valde hoc loco vrgebat, eo quod opportuna ſe ei obtuliſſet occaſio, in vtriusque cognitione egregie proficiendi. Docebat enim eo tempore Romae Graecas literas Ioannes Argyropulus, cuius lectiones, cum ob celebritatem viri audire conſtituiſſet Capnio, linguam pariter atque philoſophiam Graecam ex eius

q) Conf. MANLIVS Collect. p. 572. CRVSIVS l. c. P. III. L. IX. c. 8. MAIVS l. c. p. 190. et imprimis eius Epiſtolae ad Reuchlinum ſcriptae.

r) Pforzheimii anno 1507. Cum Comment. Georgii Simleri, ex officina typographica Thomae Anshelmi. Plura ex ſcenicis Capnionis exercitationibus dabit MAIVS p. 290 ſeqq.

s) Id vel ex ſolis Agricolae tum apud Dalburgium viuentis literis ad noſtrum intelligi poteſt, quae plenae ſunt laudibus eruditionis eius vid. p. m. 55. b.

t) Vid. MELANCHTHON. l. c. p. 106. collata Oratione Reuchlini ad pontificem, ab Aldo edita, quam totam exhibet MAIVS p. 195. Ceterum minus accurate BASNAGIVS l. c. p. 924. Reuchlinum a Bauariae duce Romam eſſe miſſum ſcribit. Quamuis enim elector Palatinus in iſta Oratione Bauariae dux S. R. I. princeps elector vocetur, conf. Epiſt. Reuchlin. p. 586. addendum tamen erat electoris nomen, ne cum duce Bauariae confunderetur.

eius ore percepturus, eum audiit, et Thucydidem enarrantem inuenit. Salutato itaque philosopho, cum se Graecarum literarum studio incensum sibi eam occasionem illius audiendi gratulari profiteretur, delectatus oratione Capnionis homo Graecus, cum operam suam benigne pollicitus esset, interrogat, an attigisset Graecas literas. Tum Capnioni se Basileae earum elementa audiuisse fatenti, Thucydidem exhibet ac iubet legere, et deinde etiam interpretari. Quod cum vtrumque eleganter Capnio faceret, miratus homo Graecus ad auditores se conuertit, et exclamans, ecce inquit Graecia nostro exilio transuolauit Alpes [u]. Nam iam tum suauiter pronuntiasse, vitato sono agresti, et sententias Graecas recte et bonis verbis Latinas reddidisse Capnionem, MELANCHTHON[v] testis est. Cum autem Hebraicae linguae notitiam plenam sibi praeoptaret, cuius elementa a Wesselo et in aula imperatoris a Iudaeo didicerat, vsus est institutione Iudaei cuiusdam docti, Obadiae Ben Iacob Sporno, cui solutis pro singulis horis singulos aureos, tantum in ea lingua profecit, vt eam postea recte ad alios propagare posset [x]. Post reditum in Germaniam tranquillam inuenit aulam Wirtebergensem, tradita terrarum istarum gubernatione duci Vlrico adolescenti iussu imperatoris; qui sapientes viros, et inter hos Nauclerum illi adiunxerat. Horum consilio Reuchlinus domum ex aula Palatina, inuito electore, reuocatus est, abiitque et domesticorum suorum cura tactus, et otium quaerens ad propagandam, quam tantis sumtibus atque laboribus didicerat linguam Hebraicam, quod in aularum strepitu frustra expeti nouerat. Ibi tanta de nostro fuit opinio, vt non modo principis consiliis diligenter adhiberetur, sed et celebre illud Sueuorum foedus, quod a S. Georgii tutela sibi nomen sumsit, ob singularem iuris peritiam eum triumuirum Sueuiae deligeret [y], id est, controuersiarum inter status arbitrum: quo insigni axiomate ornatus, hoc vno munere contentus fuit, et reliquo, quod ab eo supererat, tempore in studia se abdidit. Quater enim quotannis foederis istius iudices tantummodo Tubingae conuenire solebant. Otium itaque ex voto nactus totum se pristinis delitiis, nimirum Ling. Hebr., et philosophiae Pythagorico-Cabbalisticae tradidit, Hebraeos, Graecos, Latinos scriptores legit et examinauit, linguae vtriusque notitiam ad alios propagauit, adolescentum ingenia ad prosequendum in literarum studio cursum consiliis optimis adiuuit, vt supra de Melanchthone dictum, et aulae quoque desideriis principisque negotiis rogatus nunquam defuit. Et plura forte diligentiae et eruditionis Reuchlinianae monumenta legeret orbis literatus, nisi monachos iam olim a Capnione offensos in eum armauisset superstitio et ignorantia. Rem ad hunc locum non pertinentem,

u) MELANCHTHON. l. c. p. 290. MANLIVS p. 828.

v) loc. cit.

x) Dedic. Rudim. et Lex. Hebr. Videndi de hoc Iudaeo WOLF. l. c. P. I. p. 939. P. III. p. 866. P. IV. p. 939. MAIVS p. 211. Minus recte BASNAGIO loc. cit. p. 925. dicitur Ben Iacob Spuon.

y) Vid. Dedic. libri de Accent. et Orthographia Hebr. ling. De ipso hoc foedere in Compendio legendus MAIVS p. 228. et scriptores Historiae Sueuicae passim, et Io. STRAVCHIVS Dissert exot. Iur. publ. X.

er in Hebraicae literaturae hiſtoria pluribus enarrandam exponere integram non licet, neque tamen indicta praetermittenda eſt, ne manca ſit tanti viri hiſtoria. Paucis itaque et ὡς ἐν συνόψει totam litem a SLEIDANO primum, et poſt hunc ab aliis plurimis expoſitam [z] deſcribemus. Originem controuerſiae dedit Ex-Iudaeus quidam Ioannes Pfefferkornius, qui Coloniae ſimulata Chriſtianae religionis profeſſione Iacobo Hochſtrato ceterisque haereticae prauitatis inquiſitoribus perſuaſerat, eo conniterentur, vt edicto imperatoris Iudaeorum libri omnes, blaſphemiarum in Chriſtum pleni comburi iuberentur. Recte monuit MELANCHTHON, oſtendiſſe hac ratione vaferrimum impoſtorem inquiſitoribus, magnam pecuniam honeſta ſpecie et ſine magno negotio Iudaeis, libros ſuos redemturis eripi poſſe. Monachorum et theologorum Colonienſium negotio cum facile religionis praetextu res in aula Maximiliani I. conficeretur, editur edictum, et Pfefferkornii diligentia Iudaeorum libri, praeter biblia, omnes in curia Francofurti congeruntur. Quod cum aegerrime ferret Iudaeorum gens, in aula imperatoris amicos adeunt, et eo rem adducunt, vt iudicia eruditorum in his literis virorum explorari imperator iuberet. Cum autem nemo eo tempore Reuchlinum in eo doctrinae genere ſuperare crederetur, eum ſententiam ſuam dicere imperator per electorem Moguntinum, cui rem commiſerat, iubet. Qui vt prauae ſuperſtitionis loligine animum minime tinxerat, ita ſententiam longe mitiorem pronuntiat; libros diſtinguendos eſſe, ſcripta de conſilii ſui rationibus ad electorem Moguntinum epiſtola iubet, libros contra Chriſtum blaſphemos aboleri ſuadet, eosque ſuis titulis nominat, ſeruari cupit Grammaticos, medicos, hiſtoricos, et aliarum honeſtarum artium libros, ne lingua eccleſiae vtiliſſima tota pereat. Quae ſententia Capnionis cum aequiſſima videretur, redditi imperatoris auctoritate libri Iudaeis ſunt; id quod in rabiem et furorem egit et impoſtorem Pfefferkornium et eius cauſſae ſocios, eluſa fraude, vt corui hiantes, diſcedentes. Illi itaque furiis exagitati, et atro felle animati calamum in Reuchlinum ſtringunt, et ipſe quidem Pfefferkornius edito *Speculo manuali* omne calumniarum genus in Reuchlinum produxit, cuius tamen virulentam dicacitatem ille edito *Speculo oculari* mox repreſſit. Colonienſes autem theologi, Iacobus Hogſtratus, Arnoldus de Tungari et Ortuinus Gratius vehementer iſta re exacerbati nulli non violentiae pepercerunt, vt Reuchlinum deprimerent. Potiores enim academias in partes pertractas contra eum animauerunt, ita vt Moguntiae apologia Capnionis igne vindice deleretur, et in curia Moguntina is ipſe damnaretur. Quamuis autem luculentam ad imperatorem orationem edidiſſet Capnio, monachorum tamen

z) Paucis hiſtoriam praeter MELANCHTHONEM l. c. enarrat Io. SLEIDANVS de Statu religionis ſub Carolo I. P. II. p. m. 34. Editionis omnium primae Argent. 1555. 8. editae. Hos multi ſecuti ſunt, quos enarrandi otium nobis fecit WOLFIVS Bibl. Hebr. P. I. vid. Ioannes Pfefferkorn p. 985. P. II. p. 935. P. III. p. 940. P. IV. p. 946. et ſcriptores hiſtoriae Reuchlini fere omnes, maxime MAIVS l. c. p. 250 ſeqq. qui rem omnem accurate exponit.

tamen insidiis in eius aula Reuchlinus circumuentus est: vnde prouocatione ad pontificem interposita, tantisper otium sibi parare quo respirare posset, coactus est. Pontifex delegatis episcopo Spirensi partibus suis, rem examinare iubet; non comparentibus autem furentibus Capnionis hostibus, sed durante lite Coloniae eius librum publice comburentibus, res per theologos decisa et Capnio absolutus est. Id quod aduersariorum turbam coëgit ad pontificem prouocare, et Parisiensem quoque Scholam in partes vocare, satis in Reuchlini caussam iniquam. In curia Romana autem cum potentes amicos Capnio haberet, et iudicio praeesset cardinalis Grinanus, Venetus, vir literas Graecas, Latinas et Hebraeas eleganter doctus, ille autem in consilium adhiberet Petrum Galatinum, in his literis eo tempore facile principem, caussam quoque Reuchlini commendarent Iacobus Questembergius, vir summus, et Erasmus, facile vicit Reuchlinus, et confusa est ignorantia atque superstitio. Quam cum sale satyrico amare eo nomine perfudisset Huttenus cum Sodalitio, conscriptis famosis *Epistolis obscurorum virorum*, dici quidem non potest, quantum viris doctis risum, praecipue in Italia mouerit ea satyra, cuius testis esse potest PAVLVS IOVIVS [a]: at in furorem quoque et rabiem egit monachos, quae ne hodie quidem exspirauit [b]: donec exortis nouis Lutheri controuersiis, istae lites obliuioni darentur. Sed non literarii modo tumultus, verum etiam ciuiles Capnionem valde inquietarunt: cum enim foederis Sueuici socii arma contra Vlricum Wirtembergiae ducem ob captam Reutlingam mouissent, eumque vniuersis ditionibus suis exuissent, noster quoque in eo bello captus est, et facultates cum familia fisco addictae sunt. Ipse Angelopolin abductus cum ducis Bauariae, Guilelmi, qui foederis copiis praeerat, nomine in ea academia Graecas Hebraicasque literas annuo stipendio ducentorum florenorum, redditis quoque facultatibus, docere iuberetur, munus accepit, et cum rerum necessariarum pressus inopia, tum bibliothecae absentia animo aeger, calamitatem suam leuauit vt potuit [c]. Valde haec Reuchlini mora inter Musas Ingolstadienses displicet IACOBO GRETSERO [d] Iesuitae, qui nouae doctrinae semina eum sparsisse, nescio quibus fundamentis, certe non sine calumniis in tantum virum iactis, suspicatur. Diu vero eo in munere manere non potuit: pestis enim saeuitia istam scholam relinquere coactus, Tubingam concessit, postquam facultates suas librosque pacata patria, receperat. Nam quamuis Ingolstadii frequenti auditorio vteretur, famem tamen vix effugere potuit, de quo ipse in epistola ad Pirckhaimerum acerbe

a) Elog. c. 143. p. 285.

b) Testis esse potest NIC. WEISLINGERI Huttenus delaruatus, in quo inaudita acerbitate historiam huius satyrae persequitur. Nos nec Hutteni caussam, nec argumentum omne et imprimis nonnulla, profana istarum epistolarum probamus: Dolemus autem in nostro seculo moribus polito et eruditione ornato adhuc inueniri Hogstratos, Tungacos, Ortuinos, et his similes, quos barbaries morum et linguae inquinauit.

c) Conf. qui haec ex Epistolis Reuchlini ad Bilibaldum Pirckhaimerum illustrat MAIVS p. 513.

d) In Suppetiis Luthero academico missis, cuius verba huc pertinentia excerpsit SECKEND. Hist. Luther. L. I. p. 105.

acerbe conqueritur. Franciſci Sicani ſ. a Sickingen ſtudio autem ſopitae lites cum monachis ſunt, ſoluta expenſarum ſumma, quam iudex Spirenſis auctoritate pontificis definiuerat [e]. Tubingae literas Graecas et Hebraicas publice docere coepit, quamuis animo a puerilibus imparis diſciplinae ſtudiis paulo abhorrente; ex quo, primum inter profeſſores Tubingenſes Reuchlinum fuiſſe, coniicit MART. CRVSIVS *f.* Fungi autem eo munere, et deliciis ſuis iuuenum animos paſcere, diu non licuit: lento enim morbo, quem ictericum vocant, correptus, Stutgardiam deportari ſe iuſſit, ibique languens paulatim domi ſuae III Cal. Aug. A. S. R. M D XXII, annos natus LXVII, deceſſit. Falſumque eſt, quod MELANCHTHON [g] aſſerit, iam egreſſum ſeptuageſimum annum morbo correptum et languefactum Stutgardiae anno M D XXI obiiſſe. Aliud enim teſtantur publica monumenta, quorum fidem aduocauit B. MAIVS [h]. Moriens teſtamento bibliothecam collegio patrio legauit, ea conditione, vt ab omnibus publice inſpici poſſet. De cuius *κιμηλίοις* lectu digna nonnulla collegit MAIVS, quae apud ipſum quaerenda ſunt. Magnum autem apud bonos omnes ſui deſiderium reliquit Reuchlinus, maxime apud eos, qui pretium ſtatuere literis nouerant. Cuius luculentum teſtimonium eſſe poteſt, *Apotheoſis*, quam Capnioni ſcripſit ERASMVS [i], quo dialogo mirum in modum demortui laudes decantauit. Neque fruſtra eas illi fuiſſe tributas et in indignum collatas, quilibet fatebitur, qui conſiderauerit, adfuiſſe Reuchlino ingenium et naturae felicitate et diſciplinae induſtria acutum, politum, et multifaria eruditione refertum, animo autem illum enituiſſe pietate, iuſtitia, humanitate, temperantia commendatiſſimo, prouidentia vero inter iactationes aulae et mutabilem fortunam vſum eſſe ſingulari, prudentiae virilis teſte pulcherrimo. Multos quoque errores in eccleſiae doctrina vidit, et deteſtatus eſt, quamuis ſeceſſum a Romana eccleſia non fecerit, eo quod prima tantum reformationis tentamina viuendo attigiſſet. Nihil autem ea aetate celebrius fuit, et ad noſtram quoque aetatem famam ſummis literarum, meritis partam conſeruauit, quam Reuchliniana eruditio. Quam carus enim ſui temporis viris literatiſſimis, magnumque nomen in orbe literario adeptis fuerit, epiſtolae ad eum ſcriptae luculentiſſimis teſtantur ſpeciminibus, quae plenae ſunt laudum, quas certatim illi tribuerunt viri celeberrimi. Inter quas ita ad eum ſcripſit RVDOLPHVS AGRICOLA [k]: *Haud temere mihi videor committere debere, vt iudicium tuum ſubeam, hominis tam multiplicibus diſciplinarum literarumque ornamentis expoliti. Gaudeo, ita me Deus amet, vicem tuam, et quum animi naturaeque tuae felicitati, tum vero imprimis fortunis Germaniae noſtrae gratulor, quam ſi vnquam, nunc aliquando expergefieri oportebit, et ab hac barbarie, qua tot iam ſeculis velut ſtupido ſopore, vel potius λη-*

e) MAIVS l. c. p. 509.
f) l. c. P. III. L. X. c. II.
g) loc. cit.
h) pag. 519. 520.
i) Colloq. familiar. p. m. 121. His addi poteſt carmen HVTTENI, quod inſcripſit Triumphus doctoris Reuchlini, et integrum legitur apud MAIVM p. 480 ſeqq.
k) pag. 54.

ληθάργῳ τινὶ *oppressa tenetur excitari.* Non vero Graecarum tantum et Hebraicarum literarum notitiam in eo admirabantur viri eruditionis celebritate summi, eo quod rarissima inter Germanos auis esset, qui ista tangeret, rarior, qui ea mysteria assequeretur, sed philosophiae quoque cognitionem, in eo stupebant. Sane Conradus Leontorius, Monachus Maulbrunnensis inter alia, *se* inquit [l], *eum vnum admirari, quod vtrumque munus splendidissime soleat obire, et hinc quidem publici muneris oratorem se ita exhibeat, vt paucos; philosophiam vero adeo eleganter, subtiliter, profunde indagare, elucidareque coepisse, vt nullos cum eo hac tempestate conferre nec ausit nec possit.* Similia ad eum scripsit Petrus Mosellanus: *Tu es ille Capnio, in quo vetustus ille Pythagoras reuixit, in quo Plato reuiguit, in quo diuus Hieronymus refloruit. Breuiter, quicquid vsquam gentium philosophiae olim erat in pretio, in te velut renatum miratur mundus.* Plura his addi ex collectione epistolica Reuchliniana possent [m], nisi breuitati inseruiendum esset. Verum iuuabit Lectorem ipsam illam epistolarum farraginem consulere [n], ex qua multa lux accendi historiae literariae seculi XV exspirantis et XVI ineuntis potest. Magna enim iucunditate in ea leguntur epistolae virorum summorum, quibus inter eruditos eius aetatis nihil fuit celebrius, Andronici Cantoblacae, Marsilii Ficini, Io. Straehleri, Io. Francisci Pici Mirandulani, Pet Bonomi, Adolphi Occonis I. Ioannis Kaysersbergii, Conradi Peutingeri, Henrici Bebelii, Sebastiani Brantii, Nicolai Ellenbogii, Ioannis Stoeffleri, Beati Rhenani, Rudolphi Agricolae, Ioannis Camerarii Dalburgii, Aldi Manutii, Bilibaldi Pirckaymeri, Ioannis Cuspiniani, Ioachimi Vadiani, Iacobi Questembergii, Simonis Lazii, Georgii Spalatini aliorumque, quorum hodie quoque ob doctrinae praestantiam et summa literarum merita, veneranda est memoria. Quos omnes tantis nostrum laudibus ornasse mirum non est, inter primos enim literaturae elegantioris restauratores, et imprimis Graecarum atque Latinarum vindices omnium iudicio primum ille locum iure suo occupat. Quae tamen omnia latius hoc loco persequi non licet, et in singulari historia resuscitatarum literarum elegantiorum, qualem adhuc desideramus, debent enarrari. Nobis instituti memoribus ob excultam modo philosophiam Pythagorico-Platonico-Cabbalisticam enarrandus est, quam primus, nisi fallimur, post Picum scriptis explicuit. Edidit enim opera de hoc argumento duo, lucernam olentia, nempe *de Arte Cabbalistica*, et *de Verbo mirifico.* Et posteriorem quidem tractationem *de Verbo mirifico* ante priorem edidit, qui epistolam praefixit Conradus Leon-

l) pag. 43.

m) Addendus tamen TRITHEMIVS de S. E. c. 920. p. 221.

n) Eas ipse collegit et edendas tradidit Ioanni Hildebranto Reuchlinus, editionem procurauit Philippus Melanchthon, vterque praefatus est. Vidit prima editio lucem viuente Reuchlino Hagenoae 1519. 8. repetita Tiguri 1558. quam primam esse perperam tradit. Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae P. I. p. 100.

Leontorius ad Iacobum Wimphelingium; ex qua discimus, *Capnionem, vt Hebraeorum secreta dogmata penetraret, multis annis enixissime laborauisse, atque omnem eorum bibliothecam euoluisse; hac ingenii et doctrinae felicitate et vbertate inductum ad scribendum dialogum se contulisse, in cuius libro primo omnia secreta philosophiae explicet, in secundo Baruchiam Iudaeum omnia illa secreta nomina et portentifica et alia multa Hebraeorum enodantem confingat, in tertio fidem Christianam ex praescriptis duobus approbans et demonstrans omnia verba mirifica, ad nomen IESV ita applicet, vt illud ineffabile tetragrammaton iam effabile factum esse demonstret.* Non enarrabimus prolixius argumentum, quod, qui librum ipsum consulere detrectant, facile ex MAII [o] vel Io. FR. BVDDEI [p] recensione haurient, sed id modo monemus, in eo totum esse in isto libro Reuchlinum, vt doctrinam Cabbalisticam de nominibus diuinis, imprimis de tetragrammato, de Sephiroth et similibus, ad Christum Iesum, applicet, et praecipue in hoc argumento tractando vti Cabbala verbali, siue exegetica, quae ex literularum significatione, transpositione et huius generis aliis ratiocinia nectit. Hoc praeludio praemisso ipsam artem, quam vocabat, Cabbalisticam aggressus est, et libris tribus adhibita itidem methodo dialogistica explicare tentauit, dedicauitque opus Leoni X, P. M. vt caussam illi suam commendaret [q]. Nouerat enim, quod ipse in dedicatione tangit, *Pythagoricam philosophiam a Mediceis, feliciter restitutam, et semina eius a Laurentio facta esse; haec*, ait, *sub Leone filio in culmos surgere, vt spicas illius metere in omnibus linguis liceat, et sibi quoque spicilegium relictum esse, conandumque, quid in eo studiorum genere posset.* Ipsius autem verba hoc loco maxime notanda sunt: *Italiae Marsilius Platonem edidit, Galliis Aristotelem Faber Stapulensis restaurauit. Implebo numerum et Capnion ego, et Germanis per me renascentem Pythagoram tuo nomine dicatum exhibebo. Id tamen absque Hebraeorum Cabbala fieri non potuit, eo quod Pythagorae philosophia de Chaldaeorum praeceptis initia duxit, quae patrum memoria discedens e magna Graecia rursus in Cabbalistarum volumina [r] incubuit. Eruenda igitur inde fuerunt fere omnia. Quare de arte Cabbalistica, quae symbolica philosophia est, scripsi, vt Pythagoreorum dogmata studiosis fierent notiora.* Ex quibus eius verbis, quo consilio ad philosophiam accesserit, satis luculenter patet, id quod paulo accuratius explicari tractatio nostra postulat. Et initio quidem cum in Gallia haereret, et apud Basileenses quoque viueret, Aristotelicae philosophiae se tradidisse Capnionem, ex supra dictis notum est; ipsos autem Stagiritae libros eum euoluisse, et hoc pacto barbariem scholasticae philosophiae perosum meliora et elegantiora quaesiuisse, ex narratione eius, quam de

o) In vita Reuchl. pag. 431.
p) Introd. in Hist. phil. Hebr. §. 34. p. 251 seqq.
q) Prodiit Hagenoae 1717. fol. saepius recusus, etiam cum PETRI GALATINI libro de Arcanis catholicae veritatis, et in PISTORII Coll. script. Cabball.
r) Videtur respicere libros Cabbalisticos a Pico redemtos.

de ſtudiis ſuis iuuenilibus dedit, nosque ſupra integram adduximus, conſtat. Vt autem ab Ariſtotele ad Pythagoram tranſiret, duplex eum commouebat ratio. Et primo quidem ſtudium gloriae, vt ſe velut literarum omnium vindicem, ac philoſophiae quoque veteris reformatorem orbi erudito demonſtraret, illum ad has partes amplectendas commouiſſe, eo minus dubitandum videtur, quo luculentius verba modo adducta ex dedicatione librorum de arte Cabbaliſtica hoc eius conſilium produnt. At iam occupauerant Ariſtotelicam philoſophiam in Italia viri ſummi, in Gallia Iacobus Faber, cuius libri cum Baſileae edi coepiſſent, probe vidit, fore, vt Germania breui ad natiuam Ariſtotelis philoſophiam ſine ſuo labore tranſiret. Cum autem Platonica partim a Ficino et ſocietate Mediceo-Platonica, cui ille praeerat, excoli coepiſſent, partim cum Pythagoricis ſatis arcte cohaererent, huic ſe ſectae deſtinare voluit, vt nouum ſe philoſophiae reformatorem Germanis ſiſteret. Deinde ad has ipſas partes amplectendas commouit eum notitia Ficini, et Pici, in quam occaſione Itineris Italici cum duce ſuo venerat. Ipſo enim in epiſtola ad Leonem X. refert, *Laurentium Medicem, cum intellexiſſet, Eberhardum principem ſibi colloquium cum eo exoptare, protinus peregrini dexteram perquam humaniter apprehendiſſe, omnesque quos ſecum habebat, domum ſuam duxiſſe, ac ſingula viſu digna oſtendiſſe, et inter ea bibliothecam inſtructiſſimam.* In conuictu autem et contubernio Laurentii cum eſſent viri doctiſſimi, et reliqui, qui Florentiae viuebant, has aedes velut Muſarum aliquod ſacrarium frequentarent, Capnio in notitiam et amicitiam Demetrii Chalcondylae, Marſilii Ficini, Georgii Veſpucii, Chriſtophori Landini, Philippi Valoris, Angeli Politiani, Ioannis Pici Mirandulani venit: quos partim honeſtiſſimis ſtipendiis ad iuuandas literas et philoſophiam Platonicam reſtaurandam Laurentium conduxiſſe, partim auctoritate, conſilio, precibus et exemplo quoque adduxiſſe, primo libro manifeſtum fecimus. Horum itaque amicitia inductus, cum Hebraicae quoque literaturae ſe addixiſſet, Pico imprimis quem Platonica cum Cabbaliſticis iungere nouerat, vſus eſſet, ſi Florentiae cum eo longius conuerſari licuiſſet s). Quo cum coram frui diu non poſſet, vt ex Pici epiſtola ad Reuchlinum conſtat, libri Pici Reuchlino commendati ſunt, ipſo Pico per Ioannem Straehlerum, quem cum fratre Dionyſio aliisque iuuenibus Germanis Florentiam ad excolendas literas miſerat, Reuchlini amicitiam exoptante. Hos cum legiſſet, vidiſſetque Picum librorum Cabbaliſticorum, licet vel ſpuriorum, vel ſaltem miſere interpolatorum auxilio, miram veteris, quod ſibi perſuade-

s) Scribit enim Picus ad Capnionem, anno 1505. „ſe incenſum diu fuiſſe animo cognoſcendi eius, eumque in Germania conueniendi. Ex quibus verbis patet, Picum eum non vidiſſe. Aſt in Epiſtola Straehleri ad Reuchlinum 1491. ſcripta narratur, Picum cum is Reuchlinum illi commendaſſet, ſtatim dixiſſe: „Eſtne is, qui ſuperiori anno penes me fuit, aliqua de Orpheo „interrogans, ſi recte memini". Quae aut plane ſibi non conſtant, aut dicendum, Reuchlinum diu vti Pici conuerſatione non potuiſſe, huncque illius poſtea ita oblitum fuiſſe, vt eum de facie amplius non nouerit, adeoque in Germania eius inuiſendi deſiderio flagrauerit, quod in eodem philoſophiae genere occuparetur.

ſuadebat, philoſophiae Hebraicae cum Pythagorico-Platonica concordiam detexiſſe, cum quadam vehementia ad huius philoſophiae ſtudium raptus eſt. Id quod verum eſſe deprehendent, qui libros eius ſupra laudatos cum cura et attentione inſpicient. Ita vero nouum philoſophiae genus ſe reſuſcitare poſſe ſperabat. Philoſophia enim Pythagorico-Platonica, quam academia Laurentiana Florentiae reuocauerat, cum Cabbaliſtica commixta haud fuit, quem ſyncretiſmum Picus primus inſtituit, vt *Tomo tertio* dictum. Non abludit tamen prorſus a veriſimilitudine, Weſſeli conuerſationem et praecepta, quibus Lutetiae gauiſus erat Capnio, primos amoris huius philoſophiae Pythagoreo-Platonico-Cabbaliſticae igniculos in eo accendiſſe. Eum enim contemta ſcholaſtica philoſophia, Platonicam elegiſſe, Hebraicaeque linguae peritum fuiſſe, in eius vita oſtendimus. Verum autem, Cabbaliſticae philoſophiae primam notitiam certam Reuchlinum ex Pici ſcriptis hauſiſſe, Pythagoream in Italia ideo deperiiſſe, quod ad eius ſtudii amorem in itinere inflammaretur. Id quod vel inde conſtat, quia per amicos, praecipue Straehlerum ſuum, libros Pythagoricos et Platonicos ex Italia magnis ſumtibus ſibi apportari curauit; quibus poſtea Cabbaliſticos nonnullos, quos legere ob Linguae Hebraicae peritiam ipſe potuit, adiunxit. Ex his vero, quae ipſa ſcriptorum Reuchlini philoſophicorum lectio ſatis luculenter confirmat, iudicium de hoc, quod inter Germanos reſuſcitatum iuit, philoſophiae genere fieri facili negotio poteſt. Nempe Graecos quidem philoſophorum fontes Reuchlinus legerat, accenſus ad id ſtudium cohortatione Graecorum, quos praeceptores habuerat. Cum autem in Italiam eſſet delatus, et contemtis Ariſtotelicis ob rationes adductas, aliam ſectam veterem hactenus ſepultam reuocare in vitam ſtatuiſſet, ad Pythagoream aduertit animum, cuius hactenus myſteria nemo in apricum produxerat. Ita vero ſectam elegit, cuius nulla ſapientiae ſuae monumenta extabant, ſed cuius opiniones apud alios exquirendae et quaſi exſculpendae erant. Has itaque dum venari cupit, cum legiſſet, Pythagoram ſua a barbaris accepiſſe, philoſophiam Chaldaicam, Aegyptiacam, Thracicam, id eſt Zoroaſtream, Hermeticam, Orphicam, et quam harum parentem eſſe credidit, Hebraicam conſulendam ſibi eſſe credidit. Hoc praeiudicio occupatus Florentiae, Picum Ficinumque conuenit, atque de hoc philoſophiae genere, cum illis ſermonem miſcuit. Straehlerus enim, cum Reuchlinum Pico commendaſſet, ad illum ſcribit, ſtatim Picum quaeſiuiſſe, an is eſſet, qui ſuperiori anno (ſcripta haec ſunt anno M CCCC XCI,) penes ipſum hic fuiſſet, aliqua de Orpheo interrogans? Cumque ex Italia ad patrios lares rediiſſet, libros Plotini, Platonis, Ficini et Pici ſibi per Straehlerum coëmi curauit t). Ita vero dum apud Florentinos nouam electae ſectae philoſophiam quaerit, ab eis in easdem ſyrtes inducitur, in quas ipſi incauti ceciderant. Suo enim loco inuictis rationibus demonſtratum eſt,

t) Epp. p. 45.

est, Cosmum Medicen et filios, captos elegantia et suauitate philosophiae Platonicae, quam Graeci monachi nonnulli in Italiam aduexerant, eam miro studio propagauisse, excitataque schola Platonica viros doctos, maxime Ficinum, excolere iussisse. Nemini autem, qui historiam Platonismi Graeci post C. N. a nobis *Tomo secundo* fuse expositam attente legerit, ignotum esse potest, eam philosophiam a veteri Pythagorica et Platonica mire defeciisse, et in innumerabilium opinionum toto inter se coelo diuersarum syncretismum coaluisse, maxime vero ab Orientali et Aegyptiaca philosophia, qualis circa tempora nati seruatoris floruit, misere corruptam fuisse. Eam autem cum in Aegypto caput primitus extulisset, a Iudaeis quoque receptam patriisque et domesticis traditionibus inepta conciliatione, vel corruptione potius attemperatam fuisse, hacque ratione arcanam illam Cabbalisticam philosophiam genuisse. Tum Ammonium, Plotinum, et reliquam Alexandrinae Scholae cateruam nouo sectae habitu ornatam ad Christianos per Origenem transtulisse, a quo eam monachi illi egregie fauentes didicerint. Ita vero dum haec philosophia syncretistica et spuria in Italiam allata est, fumum ea vendidit iactando, se veterem Zoroastream, Hermeticam, Orphicam philosophiam esse. Et hanc Florentiae doceri, de ea scripta Platonicorum in academia Medicea viuentium tractare noster audiuerat: haec itaque legit, et sic Pythagoricam se philosophiam didicisse credidit. Cum autem Picum Cabbalistica mysteria ex libris magnis sumtibus coëmtis hausisse percepisset, auide in eius scriptorum lectionem incurrit, ratus, ita se, quae ex Platonicis desumi non possent, a Cabbalistis recte petere posse, eo quod ab Hebraeis sua mysteria didicisse Pythagoram plerique statuerent. Itaque Cabbalistica philosophia velut claue vsus est, ad ea reseranda, quae a Platonicis de Pythagora tradi credebat, imitatus exemplum Pici, quem in Linguae Hebraicae cognitione antecellebat, et cuius libris hodegi instar vtebatur. Ita vero nouo praeiudicio corruptus, nouo errore Reuchlinus infectus est. Picus enim cum nec verum Platonici systematis, quale Alexandriae Athenisque, a seculo III viguit, sensum attingeret, nec Cabbalistarum opinionem sinceram percepisset, deceptus libris spuriis et ad Christiana placita stulta temeritate inflexis; ea pro Pythagoricis, immo Zoroastreis quoque, Hermeticis et Orphicis habuit, quae syncretistarum istorum ingenia nugiuendula excogitauerant. Cum his vero vbi Cabbalistica sua comparauisset, magnam inde inter Christiana mysteria et placita Pythagorico-Cabbalistica concordiam se detexisse gloriatus est, reuera deceptus et decipiens; nam nec Pythagoream, nec veterem barbaricam, multo minus veterum Hebraeorum sapientiam pro thesauro custodiebat, sed Alexandrinorum recentiorum somnia, mire hac quoque ratione adulterata, quia exegeticam Cabbalam cum philosophica confuderat, et lusus ingenii ex literulis nescio quae mysteria exsculpentis cum systemate Iudaeorum Aegyptiaco miscuerat. His dum vestigiis insistit Capnio, dum Cab-

baliſtas interpretes facit Pythagoreae philoſophiae, dum Cabbaliſtica placita cum exegeticis Cabbaliſtarum nugis confundit, dum ineptam inter Chriſtiana dogmata et Pythagoreo-Platonico-Cabbaliſtica concordiam aſſerit, miſcet quadrata rotundis, et nec Pythagoream, nec Platonicam, nec Cabbaliſticam philoſophiam, nec Chriſtiana myſteria pura tradidit. Fatemur itaque, Reuchlinum, cui in reſtaurando philologiae ſacrae ſtudio primas concedendas eſſe, lubenter concedimus, praeclare quidem hoc nomine de literis, et noſtra quoque Germania meruiſſe, at parum attuliſſe ad philoſophiae incrementa, ſed eam potius iſto inepto ſyncretiſmo corrupiſſe. Videturque Reuchlinus de ſucceſſu optato ipſe deſperauiſſe, praeter libros enim de verbo mirifico et arte Cabbaliſtica, qui prodromi inſtar eſſe debebant, et viam parare ad philoſophiam Pythagoricam, nihil eius argumenti amplius in vulgus edidit. Quamuis veriſimile quoque ſit, lites monachorum et theologorum ipſi intentatas in cauſſa fuiſſe, vt ab hoc ſtudiorum genere ſe contineret, quod ſuſpicio ἑτεροδοξίας ex obſcuro et aenigmatico philoſophiae genere facile poſſet augeri. Certe, qui eum ſectaretur, ſi paucos excipias, qui tamen ipſi ex aliis quoque fontibus biberunt, habuit neminem: quamuis vix negandum eſſe videatur, eius atque Pici exemplum excitauiſſe nonnullos, vt philoſophiam quandam Pythagorico-Platonico-Cabbaliſticam comminiſcerentur, licet hypotheſibus a Capnione diuerſi. Tales enim fuerunt Franciſcus Georgius Venetus et Henr. Cornelius Agrippa, qui decedente Capnione in hoc theatro comparuerunt, de quibus iam porro agendum.

Franciſcus Georgius Venetus.

§. V. Eiusdem commatis philoſophiam excolendam ſibi delegit, ſine dubio Pici et Reuchlini exemplo excitatus FRANCISCVS GEORGIVS VENETVS. Qui obſcurus manſiſſet, niſi paradoxis aſſertis ex hac philoſophia deſumtis reprehenſionem virorum doctiſſimorum incurriſſet. Pauca de eius vita ſunt, quae adduci ſolent; obſcurum enim vitae genus delegit, Franciſcanorum ordini regularis obſeruantiae addictum, vnde eius memoriam recoluit LVCAS WADDINGVS [u], qui de eius vitae circumſtantiis pluribus videndus. Id nos hoc loco monendum exiſtimamus, falli plerosque MOLANVM in *Bibliotheca eccleſiaſtica* mſc. cuius verba repetiit AVB. MIRAEVS [v], POSSEVINVM, WHARTONVM [w], OLEARIVM [x] aliosque, qui obiiſſe Georgium, ſiue de Georgiis, vt nonnullis vocatur, anno MDX dicunt. Vixiſſe enim adhuc an. MDXXXII, ex epiſtola amici ad H. CORN. AGRIPPAM [y] conſtat, in qua his verbis mentio fit Georgii: *Hoc amplius nolo te ignorare, me in itinere meo Italico Patauii conueniſſe P. F. Georgium Venetum, qui librum de Harmonia mundi conſcripſit, qui cum iturus eſſet Venetias, conferre eumque alloqui breuiſſimo colloquio mihi licuit. Qui quidem poſtquam de te et de noſtris ſtu-*

u) De Script. Ord. minor. p. 119. conf. HENR. WILLOTI Atheniae Franciſc. p. 127. 138.
v) Auctar. de S. E. c. 497. p. 92.
w) Ad Cau. Hiſt. lit. S. E. p. 151.
x) De S. E. p. 259.
y) L. VII. T. II. Oper. p. 1030.

ſtudiis mentionem feciſſem, mirum in modum ingenio tuo gauiſus eſt, mihique pollicitus eſt, quicquid poſſet, in rem meam facturum libentiſſime, ſeque mea hac cauſſa me Venetiis ſeptem menſes expectaturum. Illud et quidem mihi affirmauit, eos Hebraeos libros, quos tu et ego tantopere et cupimus et perquirimus, apud ſe eſſe, neque eos mihi negaturum, verum legendos non autem exſcribendos, cum id praecipue cauſſaretur, rem nimis longam et difficilem fore[z]. Sed et anno MDXXXVI adhuc ſuperfuiſſe, ex dedicatione *Problematum* ad Paulum III, P. M. patet; ille enim anno MDXXXIV pontificium diadema ſuſcepit, et liber biennio poſt prodiit. Fuit vir portentoſi ſubtilisque ingenii, at quod euagantis magis imaginationis ſomnia notum fecere, quam iudicii accuratio; ceterum lectione gaudebat vaſta, et cum in Platonicorum, tum in Cabbaliſtarum et Rabbinorum ſcriptis exercitata. Verum cum inepto Pici praeiudicio ſeductus, in his libris veterem Hebraeorum ſapientiam latere crederet, neque tamen veras ſyſtematum horum rationes intelligeret, mire omnia peruertit et confudit, et ſui ingenii commenta aliis ſuppoſuit. Quae cum venerandam priſcae ſapientiae doctrinam ipſi referre viderentur ad explicanda dogmata Chriſtiana, multa quidem ſed inepta diligentia has nugas retulit, hocque nomine paſſim viris doctis vapulauit. Ita enim de eo SIXTVS SENENSIS [a]: *Fr. Georgius Venetus ordinis Minorum regularis obſeruantiae, cuius extat inſigne opus de harmonia mundi, vir Platonicae philoſophiae cultor, ſacrarum literarum ſtudioſiſſimus, et varia multorum auctorum lectione imbutus, edidit in ſelectiores quosdam locos totius diuinae ſcripturae problematum libros octo, eruditos quidem, ſed ob Platonicas et Talmudicas quasdam opiniones, quibus hinc inde reſperſi ſunt, cenſura graui ac diligenti dignos.* Quam cenſuram exercuit quoque in hunc Georgii librum *Index expurgatorius* [b], qui loca a veritate deuiare viſa obelo confixit. Duplici vero labore, praeter alios, de quibus alibi dicendum [c], in hoc philoſophiae genere eminere cupiens, reprehenſionem magis virorum doctorum incurrit, quam laudem meruit, nempe *Harmonia mundi* et *Problematum in ſcripturam ſacram, tomis ſex.* Et prius quidem ſcriptum, *de Harmonia mundi totius Venetiis* primo prodiit anno MDXXV, Clementi VII inſcriptum, et a Pariſienſibus recuſum eſt [d]; poſterius itidem *Venetiis* MDXXXVI lucem vidit, repetita poſtea apud Pariſienſes editione [e]. Quod cum toties offendere in veritatem catholicam videretur, pars ea, quae ad Geneſin ſpectat, a MARINNO MERSENNO ſubtili doctoque commentario excuſſa et confutata eſt.

z) Fuiſſe hos libros Cabbaliſticos, ex fine Epiſtolae patet, vbi mentio fit Cabbalae Samuelis.

a) In Biblioth. S. conf. COLOMES. Ital. Orient. p. 39 ſeq. AGRIPPA Epiſt. L. VII. ep. 26. vbi eum commendatiſſimae doctrinae virum ſalutat.

b) Vid. Indèx Hiſpanicus p. 406-421.

c) Scripta Georgii enumerant WADDINGVS l. c. FABR. Bibl. Lat. mediae T. III. p. 101. vbi enarratis addi debet GEORGII Promtuarium rerum theologicarum Paris 1564. editum, vid. Cat. Biblioth. Vffenbach. P. I. p. 761.

d) An. 1543. Vid. ibid.

e) 1574. 1621. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

est *f*. Qui recte monet, opus hoc Platonicorum et Cabbalistarum placitis plane abundare. Hoc enim philosophiae genus sequendum sibi Georgius statuit, vnde recte inter Cabbalisticos philosophos numeratus est a D.G. MORHOFIO *ff*, licet et theosophicis annumerari potuisset, vt ex dicendis constabit, eo quod diuiniorem quandam philosophiam incrustare voluit, non inepte, ideo a P. POIRETO *g* inter praecursores Iacobi Boehmii relatus. Et in dedicatione quidem *Canticorum de Harmonia mundi* Aristotelicam se sequi philosophiam in naturalibus profitetur, verum hoc ideo tantum Georgium ad pontificem caussatum fuisse, ne eum paradoxis assertis adeo offenderet, ex totius libri lectione intelligitur, in quo Peripatetica male cum Platonicis et Cabbalisticis cohaerent. Qui cum rarissimus sit, exemplum autem luculentum exhibeat, quo vultu hoc philosophiae paradoxae genus sub initio seculi XVI in vulgus exierit, ea quae reliquis extantiora sunt, in gratiam Lectoris more nostro strictim exhibebimus *h*. Ita vero Georgius statuit:

I. Numeris omnia dispositа sunt, nam cognati superis ad coelestia familiariter conscendunt, rursusque, cum sensibilibus domestice agunt, et inde diuersos modos diuersasque naturas innuunt *i*. Ita Georgius κυρίαν δόξαν huius sectae explicans, luculenter prodit, systema emanatiuum, quo suprema infimis connectuntur, et combinantur, cardinem caputque philosophiae suae esse; nec id alienum est a philosophia Orientali, Aegyptiaca, et Alexandrinorum Platonica siue eclectica, quae hoc principium multis rationibus sibi vindicauit, vt *Tomo secundo* dictum et ex IAMBLICHO constat. Inde, qua ratione Georgius Platonicos sequutus sit, definiri potest, ipsum enim Platonem hanc emanationem ad sola intelligibilia retulisse, nec ad sensibilia extendisse, ex iis, quae de eius physiologia suo loco diximus, manifestum est.

II. A sanctis viris diuino lumine collustratis de Deo discere possumus, quae de mundo tractanda. Viri autem sancti, qui in diuino et humano instrumento circa penetralia personuere concordes, Hebraei sunt, et quidem ex iis, qui verum Messiam secuti sunt Paulus Ioannes, Dionysius Origenes, ex externis Pythagoras, Plato &c. *k* Satis clare hoc asserto Georgius prodit, quibus auctoribus sapientiam suam debeat, et quas sectae suae origines adscribendas esse putet? Nempe veteri praeiudicio corruptus ab Hebraeis ad Platonicos omnem philosophiam defluxisse statuit, adeoque ex Pythagorico-Platonicis et Iudaicis scriptis eam optime hauriri posse sibi persuadet. Qua ratione ostendit quoque, cur hanc sectam Platonico-Cabbalisticam plerique appellari voluerint.

III. Deum

f) Adiectum hoc examen Problematum Georgii Commentario eius in Genesin longe rarissimo, qui prodiit Paris 1623. fol.

ff) Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 3. §. 7. p. 165.

g) De Principiis et characteribus mysticorum p. 173. conf. Io. Fr. Buddeus Isag. in Hist. theol. L. II. c. 4. p. 690.

h) Summam libri exhibent quoque Obseru. Hal. Lat. T. II. obs. 16.

i) p. 340. Prooem. Cantici I.

k) Cant. I. Tono II. c. 7.

III. Deum esse certo scimus; et ratio quoque cognoscit, ex rerum quarumuis foecunditate, Deum esse foecundissimum [l]. Huic potissimum argumento emanationis siue euolutionis systema, quo tota Cabbalistica quinimmo Alexandrina quoque philosophia nititur, inaedificasse videtur; sumit enim Deum non vt caussam modo efficientem foecunditatis, sed etiam vt subiectiuam immo formalem quoque. Inde Deum, asserit mirandum in modum concinnum esse, quod per Pana significare voluerint ethnici: esse enim vnum. Quibus vnum illud Cabbalisticum Ensoph, siue infinitum fontem omnium emanationum, et Platonicorum sequiorum Deum primo-priorem et ἀπάτωρα satis clare innuit.

IV. Deus vnus ad intra semet intelligendo produxit filium, ex quo amor producitur vtrumque eum colligans; et mundus extra se, qui ita comparatus est, vt philosophi non habeant, vnde eum productum non esse probent [m]. Viden', vt emanationem filii, siue Adam-Kadmon, et λόγου Platonici cum mundi productione emanatiuo coniungat? Hanc tamen creationem vocat [n].

V. Dogmatum metaphoris et aenigmatibus occultandi contegendique ratio inualuit propter paucitatem hominum purorum ac sanctorum [o]. Ita patrocinium emendicandum erat ineptis allegoriis Cabbalistarum, Orphicorum, Hermeticorum et similium nugatorum Alexandrinorum, quos praeceptores Georgius habuit.

VI. Ad concordiam perduci possunt philosophi dissonantes, si cognoscant et colant vnicum mundi auctorem eundemque liberum [p].

VII. Conueniunt sapientes in assignando geniturae mundi spatio, quod puncto temporis circumscribitur ob Dei infinitam potentiam: numerus autem senarius fabricae et septimus dies requiei addictus est, quia iste est primus numerus perfectus, quippe qui resultat ex partibus aliquotis combinatis, nempe 1.2.3. quarum quaelibet combinata senarium constituit, v. g. sexies vnum, ter duo, bis tria; et quia optimus est ad mundi fabricam, constatque ex proportione dupla, quae diapason facit. Huic numero nil deest, nec supereſt, vti nec quicquam Deo et mundo: immo idem eidem mundi fabricae ex figura trigona quoque competit. Nam is est a tribus, qui tendunt in vnum finem, quod fit per binarium, nempe materiam; quae in vnum reduci cupit per formam, ternarii imaginem [q]. Mutuum accepisse hanc numerorum ad mundi origines explicandas doctrinam Georgium a Platonicis ex *Theologumenis Arithmeticis* et Iamblichi *Introductione in* Nicomachi Geraseni *Arithmeticam* constare potest. Sed cum ad faciendum fucum Aristotelica nonnulla admiscere vellet, totum illud dogma corrupit, et doctrinam de forma et materia inepte applicuit. Longe enim aliud volunt ista Peripatetica, ad quorum tamen consensum prouocat [r]. VIII.

l) c. 4. m) c. 6. 7. n) c. 11. o) c. 8. p) c. 9. q) c. 10. r) c. 14.

VIII. Vnum per viginti septem distenditur vnitatis harmonia, quae in multitudine reperitur. Nam sunt septem et viginti prima rerum productarum genera, in tres nouenarios destincta, supercoelestem videlicet, coelicum, et elementarem, in quos descendit Deus, vnde ex vna ennade ad aliam ordinatis gradibus conscendendum est ad archetypum omnis consonantis parentem [s].

IX. A Deo trino, tanquam ternario simpliciſſimo distributae sunt ternario quadrato seu superficiali tres enneades, vt sint nouem intelligentiarum ordines, nouem coeli, nouemque genera generabilium et corruptibilium: ternario autem cubo complentur omnes simul enneades [t].

X. Angeli quoque per nouenarium simplici ternario correspondentem distribuuntur, ita vt Deo proximi, ternarii simpliciſſimi imaginem maxime gerant, sequentes duplato et vltimi tertiato concludantur. Per hunc tripartitum angelorum ordinem Deus ad nos descendit, et nos viciſſim ad Deum ascendere possumus. Inferiora enim perficiuntur et illuminantur a superioribus intelligentiis, adeo, vt nos angelis primum stipati expurgemur, expurgati archangelicae tradimur curae et principes euadamus, quibus adest terror diuinus a principatibus adipiscendus, virtutum decus a virtutibus praesidium contra potestates aëreas a potestatibus, dominium affectuum a dominationibus: donec ad Deum conuersi ipsi soli vacemus, quod fit memoriam supra coelestium per thronos retinendo, contemplandoque ea, illustratione Cherubica amoreque Seraphico [u]. Vestigia haec clariſſima sunt καθάρσεως in Orientali philosophia contra potestates malas per angelorum circulos et emanationes succeſſiuas ascendendo consequendae, quam postea Alexandrini quoque receperunt, ex quorum scholis post Origenem Christianae doctrinae hanc labem intulit Pseudo-Dionysius, quem potiſſimum auctorem secutus est Georgius.

XI. Planetae inferioribus suppeditant bona et mala, ea tamen lege, vt mala proueniant, non ex influentium malitia, sed recipientium dispositione praua [v].

XII. Secundo ternario quadrato Deus coelos nouem, tertio quatuor elementa produxit, quae quaternario numero distributa sunt, quia is est omnium numerorum radix et exordium, continetque omnem musicam consonantiam [w].

XIII. Haec elementa reperiuntur in omnibus mundanis membris, lapidibus, metallis, plantis, animalibus, immo et in coelesti, supercoelesti et archetypo [x].

XIV. Per elementa in Deo intelliguntur seminaria rerum et producendorum ideae et origines: in angelis distributae potestates, in coelo virtutes quaedam, in natura rerum semina, in mundo hoc inferiore crassiores formae [y].

XV. Principes angeli a Deo tantummodo destinantur, et aliis delegant sua munia, vt primum mobile a primo motore tantum circumuoluitur.

s) Ton. III. c. 1. t) c. 2. u) c. 3. v) c. 7. 8. w) c. 6. 12. x) c. 14. 15. y) c. 16.

ultur. Sequitur in angelorum classibus muneribusque designandis Pseudo-Dionysium, ita tamen, vt Aristotelicarum intelligentiarum systema simul intrudat, id quod satis prodit, quam inepto cuncta syncretismo miscuerit. Licet enim emanationem quandam illud inuoluat, id tamen respectu magis sit causarum finalium, quam efficientium et effectorum: et non plures quoque sunt intelligentiae, quam sunt sphaerae, quibus praesident: quo omnis daemonologia et pneumatologia Georgii euertitur. Aut itaque verum systematum diuersissimorum sensum non assecutus est, aut dicis tantum caussa, et vt videretur ὀρθοδοξώτερος Peripatetica Platonicis et Cabbalisticis immiscuit.

XVI. Omnes enneades in suo decimo conueniunt. Enneas rerum corruptibilium in hominem, coelorum in empyreum; angelorum in Christum tendit [x].

XVII. Heptachordum Platonicum animae conuenit ideo, quia, etsi in se sit vnicum, multiplex tamen euadat descendens ad inferiora, iterumque ad se reuersa quasi componatur et reuniatur [y].

XVIII. Identitas omnium rerum existentium in opifice musica proportione declaratur: alteritas rerum productarum, arithmetica, alteritatum vnio geometrica [z].

XIX. Geometrica proportio substantiarum comprehendit multitudinem, harmonica est ratio vnionis: Arithmetica alteritates primas, medias, et vltimas in vnum complicat.

XX. Septem limitibus mundi et animae negotium constat: primus notat animae praerogatiuam, quippe eandem cum opifice continentis vnitatem, aut quia in intellectu primo suum caput collocat. Secundus limes progressum innuit animae a Deo; tertius egressum ad eundem, quartus egressum ex se ipsa, quintus retrocessionem ad se, ita vt processus a se ipsa annectatur progressui quem facit ab eo, qui eandem praecedit: et regressus ad se ipsam a regressu sui ipsius ad praecedentem ipsam opificem dependeat: vltimi limites, qui ex solidis constituuntur, conuersionem docent corporum, quibus annectitur ipsa anima *.

XXI. In principio vnam ex vniuerso accepit opifex portionem: quam duplauit, dum materiam informari iussit: ad quam lemmatis proportionem habebat: quadruplicauit autem, dum in elementa distincta effudit, quae octuplatur composita profundens et viuificans: sed hoc per vim foemineam. Ex imparibus autem, tanquam ex vi masculina, omnia eadem serie replet, vsque ad suum cubum, perfectam videlicet harmoniam. Replet autem interualla diapente, ad diuina genera respiciens, diatessaro ad daemonum genera et particulares animas, quibus sphaeras plenas esse dicunt. Tonis vero replet, ad brutales animas deueniens: quae comparatio est tertii ternarii ad cubum dualitatis: lemma autem ad corporale et vegetatiuum attendens vsque ad metalla, lapides et infima quaeque genera [a].

x) Ton. IV. c. 33.
y) Ton. V. c. 9. z) c. 11. *) c. 9.
a) Ineptam allegoriam a monochordi diuisione desumtam prosequitur c. 13 seq.

XXII. Deus vita tota omnium secundum quandam portionem se communicat, vni quidem in proportione sesquialtera, alii in proportione sesquitertia, alii in sesquioctaua, alii in sesquisexta decima; vnde diapente, diatessaron, tonus et lemma resultant [b].

XXIII. Per numerum autem intelliguntur formae rerum specificae, seu medium arithmeticum: per mensuram vires vnicuique rei praestitae, seu medium geometricum: per pondera grauia elementa aut rerum inclinationes in bonum et malum, seu medium musicum [c].

XXIV. Omnes isti tres nouenarii continentur in supremo nomine Dei et ab eo emanant [d]. Totum hoc Cabbalisticum et Alexandrinum quoque est, et fontem emanationis indicat, quam clauem totius systematis Pythagorico-Platonico-Cabbalisticae ipsa haec Georgii verba suppeditant.

XXV. In homine congesta sunt incredibili et miro artificio omnia, quae a Deo emanarunt in totum mundum [e].

XXVI. Homo vinculum est rerum omnium, quarum circulus apertus fuit, vsque dum Christus assumeret humanam naturam: habetque proportiones mensurarum, vt mundus sesquioctauam, sesquitertiam, duplam, ex quibus toni diatessaron, diapente, diapason resultant.

XXVII. Omnia includuntur in homine, nam et elementa in eo multo, quam alibi elegantius et concinnius ordinata reperiuntur, vtpote donato vita meliore et diuina: respondent autem elementis eius partes viuaciores v. c. oculus igni, aures aëri, olfactus et gustus aquae, tactus terrae; ex compositis conueniunt ossa eius lapidibus, humores metallis, intestina mineralibus, caro et sanguis plantis, sensus, imaginatio, affectus &c. animalium virtutibus. Ex his veterum mens de transmigratione potest intelligi [f].

XXVIII. Etiam qualitates in corpore humano conueniunt cum planetis et octauo coelis, e. g. atra bilis Saturni, sanguis Iouis, ignei impetus Martis, rubea colera solis, aëreus calor Veneris expressam satis gerunt imaginem. Cor quoque respondet primo mobili, et libertas animi ibi residens [g]. Haec ad minimas ineptias explicat Georgius, et quae singulis stellis competant membra hominis, qui morbi, quae affectiones praeternaturales, quae temperamenta vitia et virtutes inde consequantur, quae figurae externae imprimantur, et similia ex nugacissimis astrologorum commentationibus prosequitur.

XXIX. Omnia fabricata praeexistunt in artifice, et omnia habent in archetypo aliquid, cui respondeant [h].

XXX. Materia primo actui, Deo summo, respondet, foecundissimo omnium ex elementis aqua filio; ardor Spiritui S. congruit et aër, quia connectit patrem et filium. Tanta haec omnia explicat allegoriarum absur-

b) c. 15. c) c. 16. d) c. 18. e) Tom. VI. c. 1. f) c. 5. 6. 7. 8. 9.
g) c. 20. 21. h) Tom. VII. 1.

ſurditate et ineptientis ingenii leuitate, vt hoc loco recenſeri amplius cum taedio lectoris non mereantur.

XXXI. Deus omnia complet flatu et vita ſuauiſſima, licet ea harmonia mente expurgata tantum percipiatur. Cooritur ea plenitudo ab vno, a quo omnia profecta ſunt, nempe a Deo *i*.

XXXII. In Deum omnia tendunt: omnia enim eo abeunt, vnde nata ſunt, idque fit vel naturali vel libero, vel ſupernaturali et diuino appetitu, qualis in homine eſt, ab illa portione ſuperiori ortum ducens *k*. Δόγμα χαρακτηριστικὸν hoc eſſe ſyſtematis emanatiui, ex quamplurimis exemplis ex omni philoſophorum orbe hactenus collectis explicatisque notum eſt; adeoque ex illo quoque de Georgii philoſophia iudicandum.

XXXIII. Per numeros ſenarios exiuimus ex Deo reuertimurque in Deum *l*. Haec inepta et frigida allegoria ad ſex opera et dies creationis applicat, et ſeptima nos quieſcere in Chriſto docet. Sex quoque mundi aetates inde exſculpit, quas hic prolixius perſequi, operae pretium haud eſt.

XXXIV. Coeli quoque in ſua reuolutione diapaſon perfecte efficiunt, dum redeunt ad punctum, vnde proceſſerunt *m*.

XXXV. Concentus coelorum tam ex diſtantia, quam ex conſonantia motuum cooritur *n*.

XXXVI. Idoneae intelligentiae ſingulis coelis praepoſitae ſunt, et quia omnia ab vno influxum recipiunt, omnia velut gradatim in eundem quoque deducuntur *o*. Genuinus hic ſyſtematis emanatiui ordo eſt, quem ab Alexandrinis Platonicis et Cabbaliſtis didicit Georgius. Et haec quidem in cantico primo expoſuit philoſophus παράδοξος; in ſecundo ſequentia occurrunt:

XXXVII. Chriſtus et Meſſiah eſt Dei ſapientia et verbum omnia ratione ideali continens, et homo exiſtens omnia inferiora actu complectens *p*. Theſi hac ſatis accurate λόγον Platonicorum et Adamkadmon Cabbaliſtarum Chriſtianae doctrinae inepte affrictum exprimit. Hic enim filius Dei medium emanatiuum eſt, per quod inferiora omnia, quae actu comprehendit ex ſupremo Deitatis fonte deriuantur. Ex quo vno aſſerto clariſſime pateſcit, quam miſere Chriſtianum myſterium ὁμολογουμένως μέγα Georgius peruerterit: qui tamen Cabbaliſticos, Theoſophicos et huius furfuris philoſophaſtros alios ſibi habet conſentientes. Quae attento lectori et Cabbaliſtici atque Orientalis itemque Alexandrini ſyſtematis ſuo loco in clara luce poſiti gnaro prodere poſſunt, ex quo fonte profluxerint.

XXXVIII. Omnia diuini quid habent, imprimis homines, et inter hos redemtor, quippe cum quo ſe communicare maxime Deo libuit: cum vero Deus tanto magis quem reddat Deum, quanto eum magis ſecum vnit, mirum non eſt, Meſſiam dici poſſe Deum, cum ei ſe ea plenitudine praebue-

i) Ton. VIII. c. 1. k) c. 3. l) c. 8. m) c. 14. n) c. 15.
o) c. 20. 21. p) Ton. I.

buerit [q]. Nihil hoc a filio Dei Cabbaliſtico, plurimum vero a Chriſtiano differt. Clariſſimis enim verbis, quam ei diuinitatem tribuat, ita eloquitur: *Vt honorificentiſſimo liberatori deberent redemti, angeli et homines, omnia quae in ipſis contenta, conueniens fuit, vt liberator, cui omnia manciparentur, omnium eſſet excellentiſſimus: quod fieri nequit, niſi per magis participatam diuinitatem.*

XXXIX. In hoc verbo continebantur omnia, antequam in proprias formas explicarentur, et quidem omnia etiam in numero, pondere et menſura, nempe in ideis [r].

XL. Sunt autem ideae, formae, ſpecies, exemplariaque rerum aeterna in mente diuina ſemper exiſtentia, et antequam res fierent, vt ab eis tanquam a propriis ſigillis vnumquodque ſubiectum imprimeretur [s]. Ex his habemus formam et eſſe ſpecificum, pondus et menſuram [t].

XLI. Rerum itaque omnium harmonia a verbo procedit; iſtae vero ideae intelliguntur per ſolam colluſtrationem diuinam, resque omnes et omne eſſe neceſſario ab illis dependet. Probe hoc de ideis dogma apud Georgium obſeruandum eſt. Eas enim non exemplares tantum vult rerum cauſſas eſſe, ſed formales, quae naturam et eſſentiam ex ſua communicatione largiuntur, ſtatuit, ex quo ſequitur, ipſas quoque rerum formas in intellectu diuino, id eſt, vt vult Georgius, in Chriſto comprehendi et ſuis characteribus atque eſſentiis differentes extare. Quod quam Chriſtianum ſit, quam philoſophicum, Lectori iudicandum relinquimus.

XLII. Chriſtus eſt vita et ſuſtentaculum omnia viuificans et omnia ad ſe trahens [u].

XLIII. Mundus velut animal quoddam immenſum et immane eſt, quod quaſi ab vna anima virtute Dei et ratione tenetur [x].

XLIV. In Chriſto radix eſt Deitas, truncus verbum, rami ſunt attributa communicata cum Chriſto, folia ideae rerum irrationabilium, flores intellectualium, fructus ſunt regulae et chariſmata [y]. Comparanda haec ſunt cum homine Cabbaliſtarum primogenito, qui eadem ab illis allegoria explicatur: inde enim conſtabit, Chriſtum Georgii a Deo patre diſtare, vt truncum a radice, primum emanatiuum a fonte primo-primo.

XLV. Viuunt omnia in Chriſto, ea arbore, vita creatrice et naturali, homo autem etiam quadam vita ſpiritus. Et itaque ſuſtentaculum omnium, mundanamque machinam velut columna ſuſtinet [z].

XLVI. Cum Deus in omnibus mundani corporis membris operetur, putarunt gentiles plures eſſe virtutes et numina [a].

XLVII. Qualitatibus tandem contrariis compoſitis variisque influxibus diuerſe diſponentibus corpora, diuerſitate item regionum, ciborum conuerſationumque remota in ſe Chriſtus reducet res omnes, omnesque attrahendos trahet [b].

XLVIII.

q) c. 1. r) c. 4. s) c. 5. 6. t) c. 10. u) Ton. II. x) c. 1. y) c. 4. z) c. 7. a) c. 13. b) c. 18.

XLVIII. Deus est pater omnium, dum in ipso sunt omnia ideata [c].

XLIX. Christus maxime in cruce docuit nos omnia ab elementis melioris et mysticae grammaticae incipiens, et deducens nos ad summos apices profundissimae theologiae, nullam doctrinam intermediam relinquens intactam [d]. Omnes sub hoc allegoriae velo disciplinas satis pueriliter huc aduocat Georgius, et inter eas philosophiam quoque, quam, ait, docere abstrahere intellectualia a sensibilibus, dum docuerit haec contemnere illa appetere.

L. Christus est cunctarum rerum caussa, omnia diuinitate sua replens; nec tamen est pars aut totum, et tamen totum et pars. Est enim Deitas Christi perfecta in imperfectis, in perfectis supra perfecta et praeperfecta, forma super omnes formas, est substantia omnibus substantiis superueniens, et tamen segregata, ordinat omnia, et ipsa tamen super omnem ordinem &c. [e] Obscurissima licet haec sint, clarissima tamen luce fulgebunt, si proprietates et attributa, quae a Cabbalistis primogenito, a Platonicis sequioribus λόγῳ tribuuntur, cum istis comparentur. Idem enim dicere voluit Georgius, quod illi dixerunt: vnde similia quoque apud Pseudo-Dionysium, et, qui primus inter Latinos haec somnia dissemināuit Ioannem Scotum Erigenam deprehenduntur. Inde hoc quoque fluxit:

LI. Christus est mediator, per quem omnibus datur transitus, vt in finem suum deueniant [f].

LII. Symmetria humani corporis ea est, vt ad eius exemplar architecti se conforment in arte sua [g].

LIII. Quando omnis in corpore dissonantia vel ex humorum abundantia, vel defectu alterationibusque aliis intrinsecis vel extrinsecis vel ab animo oriuntur, corpus est temperandum per herbas, radices, lapides, verba; vt hinc spiritus virtutesque concinnum sortiantur ordinem.

LIV. Quaerentibus rerum agendarum faustum omen, omni diligentia obseruandum est; vt audiamus, quid in nobis loquatur Deus, aut in scriptura sua sancta et lege, quid bonus suadeat custos, quid suggerat spiritus, et ad quid sidus faueat, quo ducat locus [h].

LV. Ne fixus in eodem loco aut opere semper permaneas, sed variis te motibus exerce, gyros quosdam circumduces instar coelestium, a quibus fauorem quaeris [i]. Paria praecepisse Orientales, et inter Arabes Thophailum, *Tomo tertio* demonstrauimus, et quo fine id commendauerint, velut medium ecstasibus aptum, explicuimus. Ex his fere scaturiginibus sua hausit Georgius in scriptis Orientalibus valde versatus.

LVI. Anima se ipsa contenta est, aut philosophia nutriatur, virtutum delectu sanetur et oblectetur, quae quidem omnes congruunt cum anima, quisque tamen ei virtuti vacet, ad quam sidus, genius, natura, Deus

c) Ton. V. c. 1. d) c. 10. e) Ton. VI. c. 1. 2. f) Ton. VIII. 1. g) Cantic. III. Ton. I. c. 1.
h) c. 8. i) c. 8.

Deus ducit: ita vt a virtute politica conſcendatur ad purgatoriam diapaſonica harmonia: a purgatoriis vero ad heroicas, itidem diapaſonica [k].

LVII. Anima reſpectu rerum, quas intelligit, eſt quaedam diuina ſubſtantia a diuinis fontibus emanans, ducens ſecum numerum rationalem, quo cum omnibus proportionem habens omnia intelligere poſſit [l].

LVIII. Omnes animae aequales creatae a Deo non ſunt, differunt enim accidentibus et gradibus [m].

LIX. Conueniunt angeli et homines diſpoſitione naturali, ſunt enim participes rationis, intelligentiae capaces in eundemque finem tendunt [n].

LX. Vt fidelibus ſingulis cuſtos angelus adiunctus eſt, ita impiis malus angelus.

LXI. Homo a coelis accipit lucem, motum, generationem, virtutem quamlibet: coeli virtutem ſuam nacti ſunt ab angelis [o],

LXII. Conuenientia quaedam occulta eſt inter res mundi, et quae ſic conſpirant, in homine facilius connectuntur. Vnde et homo vaticinatur nonnunquam, euentusque fidem facit [p].

LXIII. Spiritus eſt quidam nexus ligans et nectens duo extrema ſimul, ipſa viuificans et corroborans pro conditione ſpiritus vnientis.

LXIV. Hominis ſpiritus nexus quidam eſt et medium ſapiens naturam intellectiuam et corpoream ligans, et connectens animam animalem et craſſiorem cum intellectiua virtute, quae dicitur portio ſuperior. Corporeus quidem eſt ſpiritus, ſed corpus illud ſubtiliſſimum eſt, et facile vnibile cum mente ſuperiore, quae eſt in nobis [q].

LXV. Spiritus eſt vel naturalis, vel daemoniacus, vel humanus, vel angelicus, vel diuinus.

LXVI. Spiritus noſter, qui forte eſt anima rationalis et media aſſentitur et ſupremo illi atque diuino in homine, quod nunquam peccat, nec olim cum damnando in infernum detrudetur, et infimo illi ſemper propendenti in peccatum [r].

LXVII. Spiritus diabolicus intrat in impii corpus, cum miſcentur duo ſpiritus humanus, et mali daemonis.

LXIIX. Ideo anima in corpore, tanquam in fuſorio vaſe purganda collocata eſt, antequam reuertatur in Deum, a quo venit, vt purget et purgetur [s].

LXIX. Homo exercitiis pietatis ad contemplationem perductus introducitur ad penetralia, in quibus perſpicere licet illa ſpectacula aeterna, tandem is amore vnietur, ecſtaſi tranſmutabitur, et corpus quidem in ſpiritum, ſpiritus in Deum.

LXX. Pii in reſurrectione conflabuntur igne Dei, qui eſt ſpiritus igneus intellectualis, non habens formam, ſed transformans in ſe quodcunque voluerit, et coaequans ſe vniuerſis, et vniuerſa ſibi [t].

LXXI.

k) c. 10. l) Ton. II. c. 1. m) c. 2. n) Ton. III. c. 1. o) Ton. IV.
p) Ton. V. q) c. 1. r) c. 2. s) c. 3. t) c. 13.

LXXI. Lux beatitatis est spiritus splendidus aut splendor spiritalis, seu diuinus ignis omnia colluſtrans, et omnia viuificans. Sed visibilis haec lux est spiritalis quaedam subita et latissima sine detrimento effundentis emanatio impartiens rebus inferioribus ea beneficia: quae a suprema luce perficit *u*.

LXXII. Suprema felicitas alterius vitae, silentium, nam cum deuenerimus ad primum et summum, quiescendum est, nec vltra progrediendum, cum nihil vltra summum dari possit. Nam qui transformatus est in Deum omnium exteriorum oblitus atque ab omnibus aliis seiunctus, nullum habet, cum quo loqui possit, conuersans solummodo cum illo, apud quem sermo non exquiritur, cum omnia intueatur, nec non quia ea prospicit, et his oblectatur, quae si vellet etiam exprimere, non posset *x*. Nihil in his vltimis assertis affirmat Georgius, quod non necessaria consequentia ex systemate emanatiuo fluit, et multoties a nobis in philosophia Orientali, Aegyptiaca, Platonica, Arabica, Cabbalistica, notatum est: ex quibus satis euidenter colligi potest, ex quibus scaturiginibus sua arua irrigauerit.

Et haec quidem in libro *de Harmonia Mundi* Georgius differuit; qui cum mire hoc philosophiae genus deperiisset, omnem disciplinam sacram his ineptiis repleuit. Mirum itaque non est, problemata, ab eo in totam scripturam scripta, eodem illum colore tinxisse. Cum enim tria millia eorum exhibere vellet, sex distributa domis, in quatuor prioribus historiam sacram ad hanc methodum exegit, in quinto septem sapientum doctrinam vitamque ad hanc normam examinauit, nempe Salomonis, Iobi, Hermetis Trismegisti, Platonis, Orphei, Pythagorae Zoroastris, eo quod hos omnes ex vno fonte sapientiae latices hausisse communi veterum praeiudicio, vt videtur, seductus crederet. Sed vt ad res quoque philosophicas, ingenii portentosi et exorbitantis commenta adhiberet, tomo sexto, de Deo, de coelis, homineque eiusque viribus, moribus, euentibus; de bonis malisque angelis, de animalibus, de mundo et proprietate naturae, operationibus ac virtutibus, de quibusdam occultis operationibus naturae et artis, et similibus agere aggressus est. Quae qualia sint, ex adductis facile intelligere est. Asserit e. c. Deum initio creasse hominem in vniuersali, velut molem quandam virtutis masculinae et foemininae, vnde omnis mas et foemina formam et vitam susciperet, vnusquisque videlicet pro dispositione corporis: huius hominis esse sempiternas et vniuersales veritates: participatione hominis omnes homines esse vnum hominem, particularem factum corpore induto *y*. Luce a Deo inspirata hominem Deum intelligere et bonum operari. In principio geminum creatum esse hominem, marem et foeminam, coniunctos per dorsum, postea sectos, vt e regione coniungerentur ad prolem generandam, idque edoctum

u) Ton. VIII. c. 6. *x*) c. 19. *y*) T. I. pr. 27.

ctum esse diuinitus Platonem a Mose, idque probare librum Sohar [z], Christum esse arborem scientiae boni et mali, quia in ipso sint aeternae regulae, quibus conformiter viuere debemus [a], &c. Huius generis nugis scatent ista problemata, in quibus, omnibus paginis regnant liber Sohar, Elkana, Bahir, Plato, Pythagoras, Plotinus, Porphyrius similesque. Ex his vero nullo negotio intelligi potest, qualis philosophia fuerit, quam sequendam elegit Georgius, homo enthusiasmo fouendo natus, ingenioque fanatico. Nempe illam sibi doctrinam adamandam esse statuit, quam genuit post Zoroastrea tempora Oriens, cum Platonico-Pythagoreis commiscuit Aegyptus, sacris dogmatibus inepte attemperauit philosophia Iudaeorum mystica, nouo aedificio ordinauit Alexandria, in ecclesiam introduxit Origenes, ad maturitatem perfecit Pseudo-Dionysius, in Occidente disseminauit Scotus Erigena, resuscitauerunt Graeci exules, promouerunt Platonici Florentini, et ad extremam ineptiarum speciem transtulit Georgius. Ille enim hoc chao miserabilique confusorum dogmatum vultu non contentus, Peripatetica quoque nonnulla, sed corrupta et a sincera mente ad alienos sensus rapta admiscuit. Id quod tantum abest, vt neget, vt potius in prooemio *Harmoniae mundi* ad Clementem VII, P. M. glorietur, *antiqua se noue tradere, cognita diuinitus vere sapientibus et sanctis: despectis humanis rationibus, quae vtpote compositae nec opificis naturam attingant, nec ob causarum ignorantiam, et sensuum fallaciam naturam rerum quarumcunque. Minus gnaros tamen rerum diuinarum se docturum vocatis in subsidium quoad sensui res patentes, dogmatibus Peripateticorum, quoad coelestia, astronomorum, quoad rerum naturalium concordiam, secretiorum philosophorum, quoad siderum varietatem et ex diuersis adspectibus motibusque concentum, musicorum, quoad supremas intelligentias et arcana diuina, prophetarum ac sanctorum.* Quem syncretismum mira eum confusione, ineptis et nihil significantibus notionibus, audacissimisque allegoriis fouisse et obtorto rapuisse collo, quicquid imaginationi furenti occurrebat, ipsa librorum nulla alia re, quam raritate sua commendabilium docet inspectio. Qui tamen luculentum specimen dare possunt, qua potissimum ratione secta haec Pythagoreismum et Platonismum Cabbalisticae doctrinae assuerit, et quid portentoso philosophorum generi placuerit.

H. C. Agrippae historia vnde discenda?

§. VI. Elegantiori eruditionis ornatu hanc sectam philosophicam produxit, et nomen ita sibi celeberrimum comparauit HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA. Cuius vitae valde singularis et desultoriae historia ex eius epistolis [b] omnium rectissime discitur. Cum enim ad familiares scriptae sint, in quorum sinum animi sensa, et querelas de fortunae vicissitudine exonerauit, nec illae vnquam ab eo editioni destinatae fuerint, manifestum inde est, libere illum et vere, quaecunque ad eum perti-

z) Prob. 29.
a) Prob. 34.
b) Constituunt magnam partem Tomi I. Opp. Agrippae, p. 593-1071.

pertinebant, amicorum fidei tradidisse. Ipse quoque Agrippa, in *Epistola ad Mariam, Hungariae et Bohemiae reginam, ac inferioris Gallo-Germaniae proregem* [c] vitae suae fata strictim enarrauit, quae epistola fundamenti loco in exponenda vitae eius historia iacienda est. Hos fontes in delineanda biographia Agrippae consuluit quidem MELCHIOR ADAMVS [d], quem more suo exscripsit PAVLVS FREHERVS [e], ita tamen, vt diligentiam et accurationem merito desideres. Tacemus NAVDAEVM [f], TEISSIERIVM [g] aliosque, scopas modo dissolutas ad hoc argumentum afferentes. Dignam itaque eruditione et ἀκριβείᾳ sua operam praestitit PETRVS BAYLE [h], quod famigeratissimi viri vitam critico oculo perlustrauerit, eamque paulo curatius retulerit, confixis obelo erroribus scriptorum, qui plerique falsa de Agrippa narrarunt. Cum autem omnia nec viderit, nec adduxerit Baylii diligentia, non ingratum orbi erudito laborem se praestiturum recte credidit, eruditissimus SCHELHORNIVS [i], si ea ex abundantissima, quem seruat, historiae literariae penu depromeret, quae Agrippae historiam illustrare possunt. Non negligemus nos haec virorum celeberrimorum lumina, ad ipsa tamen Agrippae scripta recurremus, fontesque indubitatos historiae eius Lectoris aperiemus curiositati et industriae.

Agrippae vita.

§. VII. Natus est Henricus Cornelius Agrippa a Nettesheym Coloniae Agrippinae; hanc enim patriam suam esse ipse in *Epistola ad senatum Colonienſem* innuit [k]; scribens: *Sum enim et ego, si forte nescitis, ciuitate vestra oriundus, et prima pueritia apud vos educatus.* Recte itaque P. BAYLE [l] Teissierium notauit, Netteshemium in agro Colonienſi patriam Agrippae esse tradentem, qui quoque errorem in editione recentissima correxit. Non tacendum tamen, Agrippam in *Epistola ad Maximilianum Transsyluanum* praefixa libello *de Nobilitate et praecellentia foeminei sexus* [m], quam Antuerpiae scripsit, hanc quoque vrbem patriam vocare, quam et alibi hac appellatione cohonestauit [n]. Ex quo colligi debet, aut maiores, parentesque Agrippae Antuerpia oriundos fuisse, aut ipsum Agrippam fere puerum Colonia Antuerpiam translatum, eo in loco fuisse educatum. Vtraque enim significatio patriae nomen interdum apud scriptores historiae literariae tuetur [o]. Editus autem est in lucem anno MCCCCLXXXVI, XVIII Cal. Octobr. id quod ex *Expostulatione* eius *contra Catilinetum* [p] recte colligitur, in qua anno MDIX adhuc adolescentem nondum annos natum tres supra viginti se Do-

c) L. VII. ep. 21. p. 1020.
d) In Vitis Medicor. p. 16.
e) In Theatro p. 1221.
f) Apolog. magiae suspect. c. 15. p. m. 285.
g) Elog. T. III. p. 487.
h) Dict. T. I. art. Agrippa p. 103.
i) Amoenit. liter. T. II. p. 553. add. NICERONIVS Memor. T. XIX. XX.
k) L. VII. ep. 26. p. 1047. Vbi vero annus natiuitatis non exprimitur; ad quem tamen locum BAYLE l. c. prouocat.
l) l. c. not. B.
m) pag. 500.
n) Conf. L. V. ep. 15. p. 875.
o) Prius placet SCHELHORNIO l. c. p. 554. posterius historia Agrippae facit verisimile.
p) pag. 499.

se Dolae in Burgundia docuisse refert. Maiores habuit nobiles, eosque ab auis et atauis Austriacis principibus, vt ipse scribit [q], addictos, qui virtutum suarum praeclara insignia fortunasque reportarunt. Horum nixus vestigiis, et ad eorum exemplum intuendo, cum a natura praeclaras ingenii dotes accepisset, iis se disciplinis totum dedit, quae in aularum ministeriis in vsum vocari solent: hacque ratione praeparatus, cum ab aulica vita non abhorreret, Maximiliano I. imperatori a prima aetate destinatus, aliquandiu a minoribus secretis fuit, deinde valde adolescens septennio eius stipendio in Italicis castris militauit [r]. Fatemur tamen, hanc, quam ipsis Agrippae verbis damus narrationem, nobis valde suspectam esse. Cum enim ex adductis constet, anno MDIX Agrippam viginti trium annorum iuuenem fuisse, et ante id tempus in Hispania vixisse, militasse autem integro septennio, sequitur inde, Agrippam puerum quatuordecim annorum castra iam secutum, et ante id tempus duodecennem puerum secretis minoribus imperatoris (Secretarium hodie barbare vocant,) adhibitum fuisse. Quod vtrum verisimile et asseueranti Agrippae credendum sit, Lectori iudicandum relinquimus: id monentes, virum hunc doctum quidem, sed supra modum arrogantem et iactantius se efferentem, passim de se ipso ita loqui, vt fidem attenti facile desiderent, et mendacii eum coarguant. Sequimur tamen filum narrationis eius, sine quo in eius vita historia inexplicabiles labyrinthi superari nequeunt, adhibebit Lector cautionem, et iudicium, subinde tamen monendus. Vt autem in viam redeamus, si laudatori sui fides habenda, *postea varia legatione functus nunc literis nunc militia, diuerso conditionis habitu geminam vtriusque laudem aequauit, pericula quoque varia superauit, nunc miserrimis, nunc felicissimis par habitus, vtriusque fortunae mensuram impleuit, inter auratos equites numeratus, quem se ordinem non precario se redemisse, non a transmarina peregrinatione mutuasse, non in regum inthronisatione impudenti insolentia surripuisse, sed in publicis praeliis media acie bellica virtute commeruisse* ad Mariam Austriacam [s] gloriatur: et in *Supplicatione ad priuatum Caesaris consilium* [t], iactat, *se non solum ingenuum, sed et spectabilem genere, nec tantum clarum imaginibus auitis, sed et propriis titulis militia doctrinaque partis, nec modo scholasticis tiaris, sed etiam militaribus insignibus decoratum sub diuersorum regum imperatoribus militiae praefectum nitido coruscantem aere strenua edidisse facinora*, vnde et *ad summorum pontificum, caesarum regumque et potentatuum* (quae ipsius verba sunt) *clara testimonia* prouocat. Mirum itaque videri queat, hominem armis natum et in iis educatum, ea literarum incrementa habuisse, vt non modo cum laude in iis versari, sed et publicum docendi munus affectare potuerit. Verum vt magnum et foecundum Agrippae obtigerat ingenium, ita animi inclinatione

q) L. VII. ep. 21. p. 102. L. VI. ep. 10. p. 957.
r) Ibid.
s) loc. cit. p. 1022.
t) L. VI. ep. 22. p. 966.

one varius et a se ipso saepissime diuersus, desultoriam vitam supra modum amauit, fortunae suae hoc pacto miser sane multoties faber et infelix fatorum artifex. Et hinc itinera quoque per omnem fere vitam suscepta deriuanda sunt, quae vt variis eum conditionibus vitae affixerunt, ita dura multa pati coëgerunt. Anno MDVII enim ex Gallia eum iam rediisse oportet Coloniam, ex qua sibi in Galliam redeundum esse ad Landulphum eo anno scripsit ff, vitae suae felicem statum praedicans, et *expectare se*, narrans, *commissionem mandatumque magni cuiusdam Iouis.* Cuius clauem nobis suppeditat, quae de Hispanico itinere suo ex Grangiae palatio anno MDVIII scripsit gg. Acerbe enim in ista epistola conqueritur, *principes et reges, quicquid de miraculis suis credere coeperint, mox factis comprobari cupere: et talibus precibus postulare, quae blandis aspera permixta habent.* Hinc in sequentibus *inter pollicitationum mella fel se periculorum probe dignoscere* fatetur, doletque, *plura de eo et grandiora promisisse amicos regi, quam praestari queant, sic vt insigni periculo cogatur illorum promissioni fidem facere, et ineuitabili discriminis necessitate districtum, si res secus euenerit, rem, famam et fidem perpetuo perdere:* Ait tamen, *se vitam aut mortem fortiter praestaturum esse; se vero amici fide et sodalis auxilio iam manibus tenere, aureum arboris aureae ramum: adeoque eum, qui in hunc labyrinthum dux fuerit, in reducendo restituendoque operam praestare debere.* Similia ad eundem amicum scribit, plena timoris et desperationis, conquestus *fucosis dignitatum nominibus videri se libertatem vendidisse, honorisque atque officii praetextu destinari vltima ad pericula.* Tacemus reliqua, quae apud ipsum legi debent, ex quibus intelligitur, iactantiam Agrippae et amicorum, maximis et principibus viris palpum obtrusisse, et artis alchemisticae praesidio aureos montes promisisse, indeque fortunam quidem et titulos illi comparauisse, sed ob fraudes et fallaciam extrema quoque pericula fuisse minatam. Magnas enim iam tum bullas ferocientem et iactabundum adolescentem proiecisse, et omnium eruditionis partium thesauros se possidere gloriatum fuisse, postquam iuris et medicinae doctor renunciatus est, ex supra laudata eius *Epistola ad Mariam Austriacam* patet, vbi *se praeter multimodam etiam abstrusarum rerum cognitionem, peritiam et cyclicam eruditionem, vtriusque iuris et medicinarum doctorem euasisse*, ait. Qui cum mutandorum metallorum spe os principibus oblineret, mirum non est, et dura eum inter summam fortunae spem expertum et carceris et insidiarum pericula vix euitasse, vt ex *decem Epistolis libri primi prioribus* intelligitur. Immenso tamen sodalium gaudio iis ereptus longaque et molesta terra marique peregrinatione hh, Hispaniae faucibus subductus in Galliam euasit, et sumtuum tenuitate coactus Auenione, *instructa solita sua*, vt ipse ait, *chrysotoci officina*

ff) L. I. ep. 1. p. 594. Perperam in Germanico Hist. phil. opere T. VI. p. 600. pro Colonia posita Lutetia.

gg) Lib. I. ep. 4. p. 596.

hh) Eam describit Lib. I. ep. 10. p. 610.

cina tantisper mansit, et in hoc opere perseuerauit, quoad vsque longioris itineris fomenta noua excubuissèt. Ex qua narratione, quam Agrippae verbis exhibuimus, manifestum est, impostorem eum in iuuentute egisse, et nugiuendularum artium promissis egregie viros principes delusisse. Possentque plura ex eius epistolis loca adduci, ex quibus, sole meridiano clarius constat, Agrippam χρυσοποίησιν exercuisse, cum sociis foedere sibi iunctis, ob eam autem caussam libertatis iacturam ferme haud semel fuisse passum, nisi eam prolixitatem nostri recusarent limites, eaque iam collegisset doctissimi SCHELHORNII * diligentia, qui videndus. Ast decepisse Agrippam fautores artis vanissimae, ipse alio loco [y] luculenter prodidit, fassus *se spiritum ex auro secernere potuisse, qui rite segregatus et extractus, si postea ciusuis eiusdem generis materiae, hoc est cuiuis metallorum adhibeatur, aurum statim conficiat: ast non plus auri fabricare se potuisse, nisi quantum erat illud auri pondus, de quo spiritum extraxerit.* Id quod ipse probe pernouit impostor callidus et malignus, qui amaro risu simplicium insaniam traduxit; scribit enim loco quodam [z]: *Virum quendam gentilitium, sibi a multis annis amicum, auri semina ad se detulisse, eaque in oblongi colli cucurbitula in fornículam suam, caeparum in agris instar plantauisse, igniculoque ceu phoebeo calore atque vt gallinae solent oua incubantes se vtrumque fouere, expectareque propediem nascituros ingentes foetus aureos, qui si rite excludantur, Midam ipsum vel auro se superaturos vel saltem auriculis; seque vel auratissimum vel auriculatissimum futurum.* Et his quidem artibus primam iuuentutem nobilitauit. Tandem cum praematura eruditione polleret, homo vagus et χρυσοποιητὴς Dolae in Burgundia anno MDIX pulpito donatus, et sacras literas docere iussus est, ibique librum Reuchlini *de Verbo mirifico* praelegit [a]. Id quod *lectura sibi ordinaria, cum regentia et stipendiis obtigisse, in Expostulatione contra Catilinetum* asserit, alibi tamen [b] gratis se docuisse tradit, quod tantum ad istas de verbo mirifico praelectiones, in honorem principis Margaritae habitas restringendum est, quos se gratis habuisse, at iis meruisse, vt in collegium professorum cum stipendio reciperetur, asserit [c]. Tanta autem eo in loco de Agrippa fuit opinio, vt summi quoque viri eum audirent, inter quos praecipue Simonem Vernerium Dolanae ecclesiae decanum et gymnasii procancellarium laudat [d], qui nullam eius lectionem omisit: ad audientes quoque senatorii ordinis in curia prouinciali patres prouocat. Cum autem et inusitatum philosophiae genus profiteretur, et suspectissima esset Cabbalisticae doctrinae denominatio, quae qualis esset, clerus non intelligebat, eos vero acrius nonnunquam, quam ferre poterant, Agrippa morderet, grauem sibi conflauit inuidiam, durasque monachorum criminationes passus

x) loc. cit. pag. 562.
y) De Phil. occult. L. I. c. 14. p. m. 23.
z) L. IV. ep. 56. p. 840.
a) pag. 499. b) pag. 594.
c) Ita contradictio tollitur, quam se deprehendisse P. BAYLE l. c. not. F. putauit, et nos quoque olim obseruauisse credidimus.
d) loc. cit.

sus est, facem praeferente, Ioanne Catilineto, fratrum Franciscanorum per Burgundiam prouinciali ministro, qui ob explicationem libri Reuchliniani *de Verbo mirifico* in publica concione Gandauii coram principe Margarita, heterodoxiae suspectum reddiderat, et si vera sunt, quae in *Expostulatione contra eum* [e] Agrippa conqueritur, congestis multis mendaciis non erat veritus, immo maxime conatus erat, in eum odium concitare, et indignissima sermonis acerbitate calumniari, ita vero et principis et aulicorum animum ab eo velut Iudaica somnia Christianis veritatibus praeferente abalienare. Cui cum apologiam anno sequente oppossuerit Londini in Anglia scriptam, in qua *se*, testatur *et Christianum esse, et Christianos doctores omnibus praeferre, tamen Iudaeorum Rabbinos non contemnere, nec iudaisare intendere, damnatas prohibitasque artes, non docere, et ne discere quidem velle, sacras scripturas non detorquere, artes haereticas Iudaeorumque errores non docere, &c.* non tantum accusationis capita ex ea intelliguntur, sed recte quoque infertur, tantas hanc calumniam radices in animis plerorumque egisse, vt abeundum ex Burgundia Agrippo haereseos suspecto fuerit. Londinum itaque concessit. Parentibus autem, qui adhuc eo tempore viuebant, flagitantibus [f] et amicis rogantibus Coloniam concessit, et theologiam docuit, ab amicis vero ad prosequendam artem mutandorum metallorum vehementer excitatus est [g]. Quibus tamen vtrum morem gesserit, dicere non possumus, de gestis Agrippae enim hoc biennio tacent eius scripta et epistolae. Illud ex epistola ad Landulphum suum, huius furfuris hominem, magnas spes ex ista arte deuorantem scripta [h] liquet, diffidere illi arti Agrippam cepisse, monet enim eum, *caueret, ne incertum pro certo sequatur*, promittit tamen, *venturum se Mediolanum, et verum ad gloriam iter monstraturum* [i]. In Italiam itaque anno MDXI abiit, et Veronam ad Georgium Tridentinum episcopum, tum Ticinum, concessit, vbi mirabilem eum de se opinionem ob singularem virtutem et ingenii acrimoniam reliquisse, amicus quidam eius testatur [k]. Tum Mediolanum concessit, vbi munus aliquod sed frustra ambiit. In castris quoque Maximiliani militasse, donec a cardinale de S. Cruce, vt secum ad concilium Pisanum abiret, inuitaretur, P. Bayle [l], non adducto, quo fidem faceret, testimonio, asserit. Disseminasse Agrippam eo tempore philosophiam suam Cabbalisticam, ex epistola ad Chrysostomum quendam monachum, quem Chrysostomum Iauellum esse suspicamur, patet [m], cui philosophiam istam *artemque hanc, totam sanctam atque diuinam, atque sine dubio efficacem*, miris modis commendat, at impostorum more, tantum mysterium intra secreta religiosi pectoris penetralia silentio tegere, et constanti taciturnitate silere iubet. Ex epistolis amicorum autem an. MDXII ad

e) pag. 494.
f) L. I. ep. 22. p. 620.
g) pag. 624.
h) L. I. ep. 29. p. 626.
i) L. I. ep. 26. p. 625.
k) L. I. ep. 30. p. 627.
l) loc. cit.
m) L. I. ep. 31. p. 627.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad Agrippam scriptis colligitur, eum ab Heluetiis captum, et rursus sine magno incommodo liberum dimissum fuisse. Videtur autem eo tempore aliud in fronte prae se tulisse, aliud gestasse in pectore: qui enim suspectum philosophiae et theologiae genus amicis, quorum tutam fidem esse nouerat, tradidit, is anno MDXIII a Leone X singulari epistola [n], commendatione Ennii episcopi Verulani adiutus meruit, ob deuotionem in sedem apostolicam et libertatis atque incolumitatis tuendae studium et diligentiam maximopere laudari, quod non factum esset, si istud studium summus pontifex intellexisset. Quamuis autem militiam sequeretur, eruditi tamen personam non deposuit: sed Papiae *Natione barbarus* (ita Italorum auribus se accommodando humili adulatione patriam Germaniam calumniatur) *Exercitio hactenus miles, habitu exotico* cathedram conscendit, et Hermetem Trismegistum *de Potestate et sapientia* praelegit, more suo iactabundus in oratione, qua eam lectionem auspicatus est [o], gloriatus, *ab ineunte aetate multiiugis literis eruditus coelestium influxu, diuinoque genio ab ingenio naturali corroboratum, rerum secretissimarum naturam, ipsiusque naturae ordinem spectaculum omnium amoenissimum contemplatum esse, nihilque magis ad se pertinere arbitrari, quam vt sacrosanctam hanc amplexus philosophiam, ducem se praestet illis, qui ea maxime eruditione sunt digni, vt in Ticinensi gymnasio optimi quique adolescentes suo munere atque opera depromtis ex suis thesauris nouis atque veteribus sacrae illius philosophiae fructus intellectuque consequentur.* Ex quibus eius verbis clarissime constat, quem ipse eo in loco philosophum effingere cupiuerit. Valde tamen res eius Papiae calamitate affectae sunt. Scribit enim [p]: *Relicta Papiae domo ac supellectili, rebusque omnibus, paucis saluis, vna cum vxore filiaque ac familia quo confugissem? - - Recogitaui perditam familiam, expensam pecuniam, amissum stipendium, onus familiae, aes alienum, reditus nullos caristiam omnium rerum.* Ad amicos itaque recurrit et literas, ac Casalis delitescens, anno MDXVI libellum *de Triplici ratione cognoscendi Dei* Guilelmo Palaeologo, Marchioni Montis ferrati dedicauit [q], sicque penuriam, vt poterat, lenire contendit, implorata amicorum commendatione et opera. Qui cum maximam de eo opinionem fouerent, Hannibali cardinali eum ita tradiderunt, vt eum in familiam, cum ducentorum ducatorum, quos vocant stipendio reciperet, quam conditionem quoque eum accepisse, ex *Epistola quinquagesima sexta libri primi* colligitur. Sed mutasse celeriter animum oportet Agrippam, Vertumni instar in horas mutabilem; quamuis enim amicus de habitatione commoda et conuenienti illi prospexisset; nam initio anni M D XVII adhuc Casalis haesit, et eo tempore amicorum diligentia in eo fuit, vt ipsi in Gallia locum aliquem deligerent; scribit etiam amicus Lugduno ad eum,

n) L. I. ep. 38. p. 631.
o) pag. 1091.
p) L. I. ep. 49. p. 618.
q) p. 452 seqq. conf. L. I. ep. 50. 51. 52. p. 639 sqq.

eum [r], inuitari eum ad seruitium legati Auenionensis cum stipendiis bonis. Sed et Metensis syndici munus ei oblatum est, quod licet amici illi postponendum esse iudicarent, ipse tamen hanc prouinciam suscepit, et eam ingressus, ipse se more solito [s] *ob progeniem non ignobilem, familiam non pudendam, domum non sordidam, mores inculpatos, vitam sine crimine, famam apud probatissimos viros sine maculis, fidem inuentam apud imperatorem et ecclesiasticos viros ipsumque pontificem, et praeclara gratiae et amicitiae specimina*, laudauit. Ne vero in tanto aularum fauore ipsi obiiceretur, suspectum esse, quod vrbanum munus aliquod suscipiat, *se*, ait, *postquam vxorem duxisset* [t], *a publicis negotiis principumque vltra sortem suam familiaritate, vt quae longe plus ambitionis habeat atque periculi, quam tranquillitatis, abstinere proposuisse, et propria deinceps industria vixisse, suisque se angustiis continuisse sorte sua contentum, variasque fortunae ambages infracto animo pertulisse, nemini oneroſum, expetitum tamen ad oratoris Metensis munus, preces has noluisse reiicere, sed spretis omnibus aliis commoditatibus ac magnificis titulis, quorum plures tunc apud Allobroges sibi proponerentur, se illis firma deliberatione dedicauisse.* Vixisset sine dubio et maiori tranquillitate et laetiori animo ea in vrbe Agrippa, quam in aulis, si fortuna sua vti et prudenter scenae inseruire sciuisset. Ast cum cleri praeiudiciis esset infensissimus, libertate autem vteretur oris atque calami maiori quam ferre poterat genus irritabile vatum, crabrones in se ita concitauit, vt male eum punirent, et grauissima odia atque persecutiones in eum molirentur. Cum enim haereticorum inquisitor, conuentus praedicatorum sodalis mulierem quandam contra ius et fas, contra Christianam conscientiam et fraternam charitatem, contra formam legum et canonum, in suam carnificinam traxisset dolo malo cruciandam, et enormibus tormentis exposuisset [u]: ipse mulierculae innocenti patrocinio adfuit, eamque faucibus leonis eripuit, quam historiam totam ipse *Epistola XL libri secundi* narrat: id quod acrem ei apud sanguinolentos homines hos concitauit inuidiam. Maioris autem indignationis materiam subministrauit, cum Iacobi Fabri Stapulensis, tres D. Annae maritos fuisse negantis causam tueretur, et monachos ex suggestu vehementer eum calumniantes mire depexos daret [x]. Ita enim eorum furor contra Agrippam exarsit, vt eum haereseos accusarent, et quibuscunque possent machinis fortunam eius euertere conarentur. Quod valde afflixit Agrippam, cuius animum taedium quoque ob neglectas contemtasque apud Metenses literas ab hac vrbe ita alienauit, vt ad amicum scriberet [y]: *Nunquam alicubi locorum se fuisse, vnde abiret*

r) L. II. ep. 9. p. 651.
s) pag. IIII.
t) De coniugio Agrippae vid. BAYLE l. c. not. H. et L. II. ep. 19. Tres vero vxores duxit.
u) L. II. ep. 39. 40. p. 687.
x) Lib. II. ep. 25. p. 673. ep. 35. 36. p. 682. f. ep. 38. p. 685.
y) L. II. epist. 33. ep. 681.

iret libentius, quam ab hac omnium bonarum literarum virtutumque nouerca ciuitate Metensi. Licet autem se nescio quo clauo defixum haerere, dicat, vt neque quomodo maneat, quomodoue abeat, cogitare valeat; relinquendam tamen inuisam vrbem anno MDXX statuit, et Coloniam rediit, execratus inuidiam et persecutiones fratrum cucullatorum. Quorum tamen furorem in patria quoque euitare non potuit, sine dubio, quod horum hominum anilem superstitionem et hypocrisin acerbe rodere pergeret, sic vt, quam initio felicem Coloniam [z] appellasset, amaram postea et ingratam expertus sit [a]. „Inde nouae calumniae et contumeliae, „quas tamen Ioannis Campani, insigni doctrina et virtute viri, ex scholis „secluſi, Petri item Rauennatis, celeberrimi iuris doctoris vrbe eiecti, „Hermanni comitis Nuenarii, eruditissimi viri, nequissimis calumniis in „tergo prosciſſi, Erasmi Roterodami, viri et vita et doctrina omnium ex„ceptione maioris; Iacobi Fabri Stapulensis, vnici Peripateticae philoso„phiae reparatoris, insuper mathematicarum humanarumque quarumcun„que et diuinarum literarum eruditissimi, istis sordibus asperſi: et Ioannis „Capnionis, iuris consulti clarissimi, et arcanarum literarum variarum„que linguarum peritissimi, pertinaciter a Colonienſibus oppugnati, ex„emplis leuauit, cogitans, omnem eorum doctrinam, fidem, famam, „auctoritatem simul perpetuum naufragium feciſſe, cum vulgatissima per „vniuersum orbem eorum inscitiae, ignominiae, perfidiae, falsitatisque „infamia facta esset, et honori reputans sibi a Colonienſibus magistris no„stris persecutionem pati". Anno itaque sequenti, ad Geneuenses discessit *sedemque inter Allobroges, post multos mari terraque emensos labores fessus elegit, et aerumnis superioris studii habitum tranquillioris vitae meditatione mutare decreuit, ratus, ibi se vitam ab externis negotiis procul transactae eruditionis vsu omnium securissimam ducere posse, si arti salutari vacaret* [b]. Sperabat etiam a Sabaudiae principe stipendium, sed fruſtra; conqueritur enim [c], *ad biennium promissis confisum hanc rem se non sine magno suo incommodo magnoque dispendio, ac aeris alieni onere pecuniarumque iactura expectare, hactenus praeter mollia verba nihil assecutum.* Anno MDXXIII itaque Geneuam reliquit, et Friburgum Heluetiorum (quam cum Brisgouiae Friburgo confundit ADAMVS [d]) abiit, medicinam facturus. Mature tamen loci ruditate offensus est, sic, vt circa auspicia anni MDXXIV eum *omnium scientiarum cultu desertum ac destitutum* vocaret [e]. Sedem ergo iterum mutauit, et amicorum, quos Lugduni apud Gallos habebat, opera, domicilium sibi parauit, regis liberalitate intercedente. Ipse vero in epistola ad Mariam principem ait, *se victum aliquot principum virorum multis admodum literis et precibus, in Lugdunensem Galliam concessisse, vbi inter*

z) Ep. 43. p. 693. Commoratus autem est apud parentes, ep. 53. p. 709.
a) Lib. II. ep. 60. p. 717.
b) L. III. ep. 12. p. 728. coll. ep. 7. p. 724.
c) L. III. ep. 24. p. 736.
d) loc. cit.
e) L. III. ep. 37. p. 761.

inter cetera munera regiae matris physicus [f] *aliquot annis extiterit.* Non diu tamen, vt ipsa fortuna Agrippae moribus eius mutationibus crebris obnoxiis respondebat, durare potuit haec felicitas. Nam et stipendium a rege decretum ipsi solutum haud est, et regiae matris gratia prorsus excidit. Quod *Epistola sexagesima secunda libri quarti* [g] ipse prolixe narrat, conquestus *mite et tractabile principis ingenium subita indignatione ita correptum fuisse, vt subita indignatione, tanquam furore percita, nullo animo suo deliberandi dato spatio, se, qui ad calamitatem vsque eius secutus sit fidem, tam repente abdicaret stipendio; culpam vero hanc partim esse, quod admonuerit, vt diuinae prouidentiae patiens astrologicas pernicioſas nugas relinqueret, nec suum ingenium honestarum artium disciplinis praeditum hac superstitiosa professione pateretur corrumpi; partim, quod retulerit, comperisse se in Borbonii natalitiis reuolutionibus illum frustratis regiis exercitibus etiam in istum annum victorem fore.* Coniicimus autem ex ea epistola astrologum eum conductum fuisse, *dolet* enim, *sibi, quod ars illa dictat, monendi dicendique ius relictum haud esse.* Ab eo tempore plane desperatae conclamataeque res Agrippae fuerunt, cuius desperabundi animi signa plurima in epistolis ad amicos passim ab eo tempore dedit [h]. Nam et cum inopia colluctari cogebatur, et literas publicae fidei testes accipere non poterat: vt posset discedere, quam rem aegerrime tulit indignatus principi suae [i], *quod abusa quondam opera sua in astrologicis nugis, supra ingens damnum his ipsum titulis decorauerit.* Tandem accepta publicae securitatis tessera, in Belgium euasit, et anno MDXXVIII Antuerpiae pedem fixit, relicta vxore grauida Lutetiae, quam Antuerpiam anno sequente delatam, enixamque filium acerbo sibi fato ereptam amaris questibus deplorauit [k]. Iterum tamen melior fortuna Agrippae affulsit inter medios luctus, quos ei familiae calamitas, epidemicae luis infectione excitauerat. Eo enim anno a rege Angliae magnis conditionibus vocatus et in aula imperatoris magnum ei fastigium promissum est. Marchio quidam in Italia, summis eum pollicitationibus ad se cum tota familia reuocauit; et in aula Margaritae principis honesta ei conditio oblata est. Quamuis autem mallet in libertate viuere, quam se seruituti ingerere, quia tamen filiorum vtilitati prospiciendum esse videbat, vltimam conditionem, cum titulo historiographi Caesarei accepit. Verum in ea quoque aula aduersantem sibi fortunam et iratam Iunonem inuenit. Cum enim more suo Cynicam libertatem contra monachos exercuisset, adeo inuisus aulae factus est, vt stipendium illi non numeraretur, *cogereturque*, vt ipse acerbe conqueritur [l], *egregie esurire; apud principem enim muliebriter religiosam cuculliones praeualuerant, eumque monachalis maiestatis sacraeque cucullae reum,*

f) Rectius Astrologus, vt ex dicendis constabit.
g) pag. 843.
h) Conf. BAYLE not. K. L.
i) L. V. ep. 30. p. 894.
k) L. V. epist. 51. p. 909 seq.
l) L. VI. ep. 15. p. 955.

tanquam in religionem Christianam impium traduxerant. Quas persecutiones cum aegerrime ferret, totus vindicta ardens, famosam illam declamationem, siue satyram Cynicam *de Vanitate scientiarum* edidit, non tam artibus et scientiis ignominiam inusturus, quam bilem et indignationem in aduersarios effusurus. Factum id anno MDXXX, quo prima libelli doctissimi editio prodiit [m]. Quod autem in praefatione praedixit: *Videre se probe, quam cruenta pugna hic ipsi cominus ineunda sit, atque plenum periculo bellum, cum sit tam potentissimorum hostium vallatus exercitu*, quodque sibi satyrico dicendi genere vaticinatus est certamen, supra expectationem celerius expertus est, suoque sibi malum iumento accersiuit. Quamuis enim ipse moneret [n], *scripsisse se Cynicam illam dissertationem, vt segniora ingenia ad defendenda bonarum literarum studia excitaret, et monachis concionatoribus arguendorum in omni exercitii genere vitiorum non frigida argumenta conferret*, vidit tamen, *omnes communem*, vt queritur, *hostilitatem ipsi indixisse*, *iamque* audiebat, *passim a suggestis, a pulpitis in publicis concionibus apud promiscuam plebem magnis vociferationibus, aduersus illum clamari, omne impietatis, haereseos, contumeliae probrum in ipsum transferri.* In patria quoque Agrippae, haereticae prauitatis inquisitor edicto caueri curauerat, ne liber venderetur, et atro quoque lapillo liber publice iugulatus, et postea ab indice librorum prohibitorum obelo confossus est. Adeo vero infandae impietatis suspicionem hoc libro Agrippa fouit auxitque, vt ipsum imperatoris Caroli V. animum a se auerteret. „Ipse enim „alio loco conqueritur [o], sibi aduentantem Caesarem integrum annum „maximo suo incommodo et alieni aeris dispendio secuto, quum virtute „venerationem, et praestito obsequio laborum mercedem meruisset, il„lum improborum impulsu pro veneratione persecutionem, pro praemio „poenam prope irrogauisse: iamque tanquam in Cyclopis antro illud pul„cherrimum literaturae donum in praemium benignitatis exitio proprio „sibi fuisse compensandum, nisi apostolicae sedis legatus Laurentius Cam„pegius, et Leodiensium antistes Erhardus a Marca, maiestatem illius „ad meliorem sensum reuocassent". Immo tantae illi calamitates enatae sunt, vt scribat", „si inflictas sibi apud Caesarem calumnias numeret, si „laceratae famae atrocitatem referat, et quomodo Caesareus indiciarius ad „insolentis stipatoris plenum ignominiae ludibrium redactus fuerit, si „captiuitatis iniustae ignominiam, et permixtam ludibrio aulicorum inso„lentiam, atque inter tot acerbissimos casus etiam metuendi Caesaris odium „et negatam sibi a Caesareis iustitiariis iustitiam recensere velit, vix ingenti „volumine complecti posse". Ita miseria vbique pressus, cum graue aes alienum contraxisset, summum a creditoribus suis passus est periculum, et non obstante imperatoris epistola, qua ab eorum persecutione securus esse iubeba-

m) L. VI. epist. 8. p. 946.
n) L. VII. epist. 35. p. 1060.
o) L. VII. epist. 21. p. 1023.

iubebatur, Bruxellis in carcerem anno MDXXXI coniectus [p], magnaque inopia preſſus eſt. Paulo tamen meliorem illi vultum aduertit fortuna, cum ex his laqueis pedem ſubducere licuiſſet. Scripſerat enim librum *de Occulta Philoſophia* ante captiuitatem [q], et Hermanno archiepiſcopo Colonienſi dedicauerat: qui cum eum in Colonienſi patria oriundum tantopere literis eruditum intellexiſſet, fauorem et gratiam ei obtulit [r], et eum ad aulam ſuam inuitauit. Quam commodam elabendi rimam eſſe conſpiciens Agrippa, perſecutorum irae ſe ſubduxit, et eius anni menſe Martio [s] iam Coloniae adfuit [t]. Inuitis enim, qui eum detinebant, creditoribus cum familia et bibliotheca ſe furripuiſſe, Agrippa ipſe profeſſus eſt [u]. Ibi beneuole ab electore exceptus ſatis commode vixiſſet, niſi monachorum et theologorum acerbitatem noua editione librorum *de Occulta Philoſophia* in ſe armauiſſet. Nempe ipſum illud opus praemiſſo examine a nonnullis eximiae dignitatis et eruditionis viris eccleſiaſticis iuſſu imperatoris ſuſcepto priuilegio Caeſaris munitum Antuerpiae prodierat [x], et vt ipſe Agrippa ſcribit; *apud Pariſios quoque ſine contradictione impreſſum et publice venditum ac diſtractum erat.* Huic vero editioni libri aliquot deerant, quos ſe ſuppleturum eſſe, ſi annuerit archiepiſcopus, ad eum perſcripſit [y]. Illo vero non renuente, quo minus ederetur, librum integrum Ioanni Soteri typographo excudendum tradidit. Quod cum comperiſſet prauitatis haereticae inquiſitor, ad ſenatum detulit, libros hos de occulta philoſophia vehementer eſſe de haereſi ſuſpectos, proinde haud quaquam ferendum vt in hac ciuitate typis excudantur. Quo ita ſenatum exacerbauit, vt vocatus Soter iuſſus ſit afferre, quod excuſum erat, idque traditum inquiſitori, vt cenſuram ſuam adhibeat, num editio libri permitti debeat? ipſi quoque archiepiſcopi officiales et fiſcalis maxima cenſura prohibuerunt, ne quid ederet typographus, niſi examinato prius ab illis exemplari. Quod cum ex literis typographi comperiſſet Agrippa, apologiam ſcripſit ad Colonienſem ſenatum indignationis irarumque pleniſſimam [z], quod libri Caeſarea cenſura et priuilegio probati munitique, alii eruditionis ſuae penitus ignaris, velut Mineruae ſues ſuſtineant, et accuſatores eſſe et iudices. Qua quoque epiſtola grauem dicam ſcripſit monacho illi ſycophantae, et in ipſum monachorum ordinem grauem ſatyram effudit, quae omnino ab iis legi meretur, qui hiſtoriam literariam ſeculi XVI intelligere, et arcanas circumſtantias noſſe cupiunt, nobis enim in his eſſe prolixis ob inſtituti rationem non licet. Id modo, ſcopi noſtri memores, monemus, Agrippam in hac apologia non modo infenſiſſimum in Peripateticos demonſtrare animum, et Ariſtotelem peſtilentem vocare, ſed et graui querela deplorare, quod ſacroſanctam Cab-

p) L. VI. ep. 23. 24. 25. p. 970. 971. Auctor captiuitatis erat Alexius Falco ib. ep. 26. p. 973.
q) L. VII. epiſt. 27. p. 1052.
r) L. VII. epiſt. 1. p. 996.
s) L. VII. epiſt. 5. p. 999.
t) L. VII. epiſt. 15. p. 1014.
u) Ibid.
x) L. VII. epiſt. 26. p. 1037.
y) ib. epiſt. 4. p. 998. conf. NAVDAEVS l. c. c. 15. p. 296.
z) p. 1037 ſeqq.

balam pro Iudaismo traducant, astrologiam et ceteras mathematicas disciplinas sortilegiorum probris allatrent, ac abrogatis et mutatis legibus damnent. Tuetur se quoque exemplo summorum virorum, et quos auctores in hac philosophia secutus sit exponit, scribens: „Cum me accusa„re et damnare praetendunt, Ioannem Picum Mirandulanum, Marsilium „Ficinum Florentinum, Ioannem Capnionem Phorcensem, Petrum Ga„latinum Romanum, Paulum Ricium Papiensem, Franciscum de Geor„giis Venetum et Minoritarum nostra aetate commendatissimae doctrinae „virum, tum suum Thomam et Albertum, et Baconem, et Guilelmum „Parisiensem, et Petrum de Alliaco, et Arnoldum de Villanoua, et ex „remotiore antiquitate Psellum, Chalcidium, Prudentium, et alios innu„meros Christianos doctores, qui in ethnica philosophia desudantes Aristo„telem, Platonem, Lucretium, Plinium, Iamblichum, Porphyrium, „Proclum, Synesium, Ammonium, Hermetem, Hipparchum, Alchin„dum et alios plures commentati sunt, damnant", &c. Sed ad ipsum quoque archiepiscopum literas dedit supplices [a], et vt imperii princeps et elector Caesareum priuilegium tueatur, enixe rogauit. Qui cum literas istas ad officiales misisset [b], illique non responderent, rem vehementer vrsit, caussatus, ista tergiuersatione et mora se nundinis Francofurtanis fraudari et in irreparabile damnum adduci; ex quo suspicamur, ipsum Agrippam editionis sumtus suppeditasse. Tandem cum censuram archiepiscopo censores submisissent, ad eam iterum Agrippa respondit [c], multisque laboribus et non sine magna indignatione eo rem tandem perduxit, vt liber Coloniae anno MDXXXIII prodiret [d]. Cum autem vehementer Agrippae animum sauciassent monachi „apertas cum illis inimicitias ge„rendas esse ratus, cum vniuersa hac improborum sophistarum et cucul„lionum colluuie aeternum bellum suscipere, et quicquid hactenus cum illis „nebulonibus sibi negotium fuisset, postliminio resuscitare, illosque suis „coloribus depictos sub diuo palam omnium oculis exponere" decreuit [e], eumque in finem Apologiam pro D. Annae monogamia amaro sale respersam recudi fecit. Ita vero dum hos homines pungit, eorum aculeos expertus, multas sibi et iras et miserias concitat, quas diutius Coloniae perferre detrectans, locum iterum mutare, et Lugdunum magno suo malo iterum abire statuit. Cum enim indignissima illi verba contra regis Galliarum matrem excidissent, aula iniuriarum memor eum captiuum detineri iussit, rationem redditurum de acerbitate verborum. Amicorum tamen interceſſione aegre liberatus Gratianopolin ad amicum abiit [f], vxore enim Mechlinienſi, quam tertiis votis duxerat, eo, quo Coloniae discessit anno MDXXXV repudiata [g], familiam non alebat. Ibi post paucos menses placide, teste IOANNE WIERO [h], qui frequens cum eo fuit, et

a) L. VII. ep. 27. p. 1052. b) pag. 1054.
c) Ep. 34. p. 1059.
d) Praemissum est priuilegium Caesareum.
e) L. VII. epist. 35. p. 1061.
f) WIERVS de Praestig. Daemon. L. II. c. 5. p. 111. NAVDAEVS l. c. BAYLE l. c.
g) WIERVS l. c. et ex eo ADAM l. c. p. 18.
h) loc. c.

et ſtudiorum communium familiaritatem aluit, obdormiuit, quem tamen vitae finem eius PAVLVS IOVIVS [i] more ſuo inſulſa fabula commaculauit, ita de obitu Agrippae ſcribens: „Exceſſit e vita nondum ſenex „apud Lugdunum, ignobili et tenebroſo in diuerſorio, multis eum tan„quam necromantiae ſuſpicione infamem execrantibus, quod cacodaemo„nem nigri canis ſpecie circumduceret, ita vt cum propinqua morte ad poe„nitentiam vrgeretur, cani collare loreum magicis per clauorum emble„mata inſcriptum notis exſoluerit, in haec ſuprema verba irate erum„pens: abi perdita beſtia, quae me totum perdidiſti. Nec vnquam fa„miliaris ille canis ac aſſiduus itinerum omnium comes, et tum morientis „domini deſertor, poſtea conſpectus eſt, cum praecipiti fugae ſaltu in „Ararim ſe immerſiſſe, nec enataſſe ab his, qui vidiſſe aſſerebant, exiſti„metur". Cuius fabellae inſulſitatem poſtea, vbi de ſuſpicione magiae, in quam Agrippa incurrit, dicemus, Wierii explodemus teſtimonio. Obiit Agrippa anno MDXXXV, quo Bonna diſceſſerat, vt ex WIERO [k] conſtat, vnde falſus eſt ADAMVS [l], qui licet ipſe Wieri verba adduxiſſet, tamen anno MDXXXIV fatis conceſſiſſe tradit. Manſit autem in eccleſiae Romanae communione, nec publice ex eius gremio diſceſſit, quamuis multa in ea minus probaret, et reuera eclecticam religionem ſequeretur. Et verum quidem eſt, valde illi placuiſſe Lutherum, qui iſto tempore monachorum auctoritatem indulgentiarum nundinatione proſtitutam magno animo conculcabat. Paſſim quoque magnis eum elogiis extollit *, et in epiſtola ad Melanchthonem anno MDXXXII ſcripta [m], *ſalutari* iubet *inuictum illum haereticum Martinum Lutherum, qui, vt in Actibus ait Paulus, ſeruit Deo ſecundum ſectam, quam haereſin vocant.* Verum, licet iucundiſſimae eſſent Agrippae Lutheri digladiationes contra monachos, aduerſus quos irreconciliabile bellum gerebat, ita tamen ex aularum obſequio ſuam ſibi fortunam fingere poſſe ſperabat, vt Romanam eccleſiam relinquere, ſicque commoda ſua deſerere non auderet [n]: ratus ſufficere, ſi more Iacobi Fabri, Deſiderii Eraſmi Roterodami aliorumque ſuperſtitionem rideret, inſulſa reiiceret, meliora ſeligeret, et crederet, quae ſacris literis probari poſſe noſſet, diuortio tamen publice ab eccleſia, in qua natus erat, et viuebat, non facto. Hos enim duumuiros Agrippam prae ceteris amplecti et ſequi conſtituiſſe, ex epiſtola quadam [o] clarum eſt. Nec magnopere hoc in Agrippa mirandum eſt, cuius ingenio valde iſte mos conuenit. Vidit vir acer et praeiudiciorum contemtor innumera in iſtius coetus doctrina [p], quae tum omnium oculis demonſtrata erectioribus animis plane ſordebant; et a cucullatis fratribus fortuna eius multoties euerſa in rabiem fere con-

i) Elog. c. 101. p. 237.
k) loc. cit. l) loc. cit.
*) Apolog. c. 19.
m) L. VII. ep. 13. p. 1012.
n) Scripſit ad Eraſmum anno 1535. „Sed et „illud te admonitum volo, me de his quae ad „religionem attinent, nequaquam ſecus ſentire, „quam ſentit eccleſia catholica L. VI. ep. 36. p. 991.
o) L. II. epiſt. 24. p. 672.
p) L. IV. epiſt. 44. p. 821.

contra illos actus est, et quamcunque posset vindictae occasionem est meditatus. At obstabat, quo minus eos sequeretur, qui puriorem doctrinam restituere coeperant, et eclectica credendi statuendique consuetudo, et timor, ne quos iam acerrimos expertus erat theologos, in suum caput irritaret, et silentii melius tutiusque praemium esse statuit. Id quod haud obscure prodidit, ad amicum scribens: „Reliquum vero, quod admones, transferendum aliqui de Christianismo „ad Christianissimum regem, res haec non modicam considerationem re„quirit, maturaque deliberatione pensitanda est: vtrum conueniat magis, „vel aliena traducere, vel propria meditata proferre, adhuc haesito: ho„nestum est propriis armis decertare, at tutius forte sub alieno clypeo de„litescere: tutissimum autem, tacere. Nam hodie, vt vides, Christiana „veritas nullo securiori modo colitur, quam stupore et silentio, ne forte „corripiamur a Praedicatorum haereticorum inquisitoribus, ac Sorboni„cis illis in lege, non quidem Mosaica, nec itidem Christiana, sed Ari„stotelica, doctissimis scribis et pharisaeis, qui nos fasciculorum metu „cogant ad palinodias". Obstabant praeterea Agrippae amici quos summos in istius ecclesiae communione habebat, inter quos Campegius, et episcopus Leodiensis, cardinales, itemque elector Colonienſis erant, quorum beneuolentia et auxilio res suas saepenumero ad desperationem inclinantes erigi posse sperabat. Sententia vero inter Romam et Vitebergam medius, nihil decernebat, et irarum tantum et indignationis frena animo in monachos laxabat. Vt autem mutabile Agrippae obtigit ingenium, quod in extrema haud raro, desperatione duce, currebat, ita tantum non conclamatis rebus suis, cum Colonienſis archiepiscopi tutela desinere videretur, et furor hostium vndique eum cingeret, ab aula vero Caroli V nec stipendia illi debita soluerentur, nec vllo ex loco auxilium subnasceretur, transitum eum ad Lutheri partes molitum fuisse, modo respirandi resque suas emendandi spes vel commodi muneris conditio adfuisset, nobis ex epistola Agrippae ad Melanchthonem scripta verisimile est [q], in qua hoc eius consilium his verbis haud obscure prodidit: „Te scire conuenit, „aeternum bellum mihi susceptum esse, cum Louanienſibus theologistis, „in quod certamen me protraxit audens veritas. Sed eo sub iudice dimi„care hactenus compellor, qui est hostis omnis veritatis, peritque mihi et „virtus, et gloria, et res, et fides irato tyranno, cuius pertinacem indi„gnationem et ingratitudinem erga magnitudinem seruitiorum meorum „inauditam in biennium pertuli, et magna patientiae constantia propemo„dum vici, nisi noua veritas continuo nouum mihi adderet odium. Vtinam „hic Nabuchodonosor aliquando ex bestia rediret in hominem, aut ego „relinquere possem istud Vr Chaldaeorum". Quibus verbis asperrimis, Carolum V, eius declamationi Cynicae *de Vanitate scientiarum* vehementer indignantem eum pungere, nemo non videt. Quae acerbitas cum Melan-

q) loco supra cit.

Melanchthonis ingenio, mitissimo et consilia vehementia improbanti displiceret, non respondisse, nec consilium elabendi suppeditasse videtur, et ita quidem mansit in pristina ecclesiae Romanae communione intercedente Colonienſis archiepiscopi gratia Agrippa. Perperam itaque agunt, qui inuidiae causſa Agrippam Lutheri affeclis adiiciunt, vel suspensi haerent, cui professioni fidei publicae addictus fuerit.

§. VIII. Ex hac vitae, quam magnam partem ipsis Agrippae et amicorum eius verbis descripsimus, historia de celeberrimo hoc philosopho iudicandum, et quo vsus fuerit ingenio, qua eruditione, quibus virtutibus vitiisque memorabilis sit, quale philosophiae genus sectatus fuerit, definiendum est. Ipsum si audimus, nihil ei defuit, quod in viro πολυίστορι laude celebri mirari solemus; non ingenium praecox,[q] acutum, non ingenium elegans, non lectionis copia supra modum vasta, non linguarum plurimarum notitia, non philosophiae arcanae et doctrinae pauciſſimis cognitae thesauri. Passim haec iactat non ad amicos, modo, sed ad consilium quoque Caesareum [r], et ad Mariam Hungariae et Bohemiae reginam [s], in qua epistola se vocat *octo linguarum mediocriter doctum, sed illarum sex adeo peritum, vt in singulis non loqui modo et intelligere, sed et eleganter orare, dictare et transferre nouerit;* gloriatur quoque *praeter multimodam abstrusarum rerum cognitionem, peritiam et cyclicam eruditionem, vtriusque iuris et medicinarum doctorem euasisse.* Similia cum iam supra adduxerimus, et quae ingenii virtutisque facinora edidisset, buccinantem audiuerimus hoc loco, vbi domestica testimonia suspecta sunt, et propriis oculis iudicandum est, alia non coaceruamus. Et viro quidem quem et vita et fortuna et philosophia singularem plane atque celeberrimum fecere, ingenii supra modum felicis gloriam omnino concedimus; quam cum praecoci eruditione ornasset, et in tanta fortunae mutabilitate et iactatione insolitam sibi lectionis copiam acquisiuisset, mirum non est, eum inter tot itinera, militiae incommoda, munerum vicissitudines, rei familiaris incrementa et decrementa; et quod magis insolens videri potest, in tanto affectuum tumultu, inter tot inimicos et lites, depressum etiam, captiuum, fame tantum non enecatum, et desperatione plenum, tot scripta potuisse elucubrare, lucernam olentia, et difficillimum argumentum explicantia, tamque frequenti literarum commercio cum literatissimis viris suffeciſſe. His intellectus virtutibus accessit inexhausta diligentia [t], improbique laboris patientia, et animus magnus, excelsus, praeiudiciorum contemtor, audax et ad relinquendam tritam viam valde pronus, perosus quoque superstitio-

Iudicium de Agrippa.

r) L. IV. ep. 44 p. 966.
s) p. 1061.
t) „Inter chartas eum continuo delituisse, nec „toto octiduo vix semel prodiisse, atque in museo „inter supellectilem chartaceam, certe insignem „perpetuum fuisse", WIERVS αὐτόπτης testatur L. II. c. 5. p. 111.

ſtitionem, hypocriſin, paedantiſmum et barbariem. Quem vbique deprehendent, qui ſcripta eius vno faſce Lugduni a Beringis fratribus edita u), maxime vero epiſtolas eius legerit. Quae quoque cauſſa eſt, cur ſummis laudibus eius eruditionem viri docti paſſim extulerint, hoc loco ne nimii ſimus, non adducendis x). Aſt has ſummas ingenii animique virtutes diſpar prorſus voluntatis male affectae conditio corrupit, eumque ita in transuerſum egit, vt vitiis, quam virtutibus illuſtriorem recte dixeris. Cum enim ſatis acute iudicaret, et magno quoque animo praeiudicia contemneret, inepto tamen ſingularis et arcanae diſciplinae amore, ex gloriae, quam inde ſperabat, cupiditate enato ad fanaticum doctrinae genus delapſus eſt, eamque philoſophiam elegit, quam nemo recti virilisque iudicii probauerit. Et quamuis huius quoque diſciplinae ineptias perſentiſceret, et eam quoque animo vera ſitienti non ſatisfacere intelligeret, vt in declamatione *de Vanitate ſcientiarum* y) ipſe monuit, infelicitate tamen animi in horas mutabilis ad certam metam curſum ſcientiae dirigere, euitareque ſyrtes, quas praeuidit, non potuit, ſic vt Vertumni inſtar eum non mutaſſe quidem mentem, fluctuaſſe tamen, et nihil accurate et certo fundamento tenuiſſe ſit manifeſtiſſimum. His acceſſit animi conditio atque indoles a verae philoſophiae praeceptis prorſus deflectens. Totus enim affectuum imperio occupatus, et tumultu atque rabie paſſionis plerumque ita exagitatus eſt, vt ad infeliciſſima eum fata traxerit cupiditatum, quas inſanas alebat, ferocia. Inter eas ſummam animi inconſtantiam, partim ex immoderato gloriae ſtudio, nulla re contento et menſuram implenti, partim ex impatienti deſiderio vota ſua explendi exortam primo loco recte ponimus. Hanc enim ab ineunte aetate ad mortem vsque prodidit; haec optimis quoque et feliciſſimis fatis eum vti prohibuit; haec ab ampliſſima eum fortuna deiecit, haec in carcerem detruſit, et in exilium eiecit, totamque vitae eius ſcenam miſerabilem inſtruxit. Qua forte labe caruiſſet, niſi ambitio animum eius occupaſſet immodica, quam tantam expertus eſt, vt poſitis pudoris et modeſtiae repagulis vbique, maiorum nobilitatem, generis claritatem, ingenii excellentiam, facinorum gloriam, principum fauores, et ſimilia iactaret, et buccinator propriae laudis ad viros ſummos ad inuidiam et nauſeam vsque ſe omnibus praeferret, ipſi quoque imperatori infelicia quaeque vaticinatus, quod tantae doctrinae et tot modis vtiliſſimum virum neglexiſſet. Ex hoc porro fonte irarum vehementia et vindictae profluxit cupiditas. Laeſus enim vel vulneratus fama fortunaue, dici non poteſt, quam acerbum ſe aduerſariis praeſtiterit, quam vehe-

u) Duas praeſentes habemus Lugdunenſes editiones, vnam priorem, luculentis typis formaque editam, alteram, vt in titulo eſt recuſam, et arctius expreſſam. Illam recenſet Io. FABRICIVS Hiſt. Bibl. ſuae T. VI. p. 270. Dolemus autem, in his Lugdunenſibus nonnulla malo conſilio eſſe reſciſſa. De ἀνεκδότοις Agrippae autem conſulendus doctiſſimus SCHELHORNIVS l. c. Neutri editioni Lugdunenſi annus editionis praefixus eſt.

x) Collegerunt eas THOM. POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. auctor p. 550. TEISSIER l. c. p. 437. WOLF. ad Caſauboniana p. 201. Io. FABR. l. c. quibus multa aliorum loca addi poſſent, ſi id ageremus. Multos notauimus in Germanico H. P. Opere T. VI. p. 620. nota (zz) qui conſulendi.

y) cap. 48.

vehementem conuitiorum torrentem in eos effuderit, et in desperatis quoque rerum suarum circumstantiis, vbi deprecationibus, et mollibus verbis opus erat, virus omne non in priuatae tantum conditionis homines, sed in summos quoque imperantes, ipsumque Carolum V imperatorem et Franciscum I, eiusque matrem eructauerit. Cuius specimina qui cupit, eum vel solas eius literas supplices legere oportet, indignationis et contumeliarum plenas, et viro, cui philosophia pectus muniuit, prorsus indignas. His vero insignibus vitiis malitiosam quoque leuitatem animi iunxit, qua viri boni characterem prorsus perdidit. Cuius luculentum prorsus et memorabile exemplum est, quod in iuuentute societatis nugiuendulorum impostorum qui χρυσοποιήσεως laudem et aucupia quaerebant, caput esse, et licet ipse parum illi arti tribueret, reges tamen principesque viros decipere magno suo malo ausus; adulta vero aetate se reginae astrologum conduci passus sit, vt supra iam narratum. Ex hac vero scaturigine magicae, Cabbalisticaeque philosophiae amor nulli dubitamus, quin profluxerit. Cum enim vidisset vir callidus et ad mores hominum valde attentus, Pici, Georgii Veneti, Rici, Reuchlinique scripta summam illis admirationem peperisse, cum ignota et latentia plerumque humanis maiora et praestantiora credantur esse, non eidem modo doctrinae generi adhaesit, et omnis aetatis libros arcanos curiose rimatus est, sed magnos quoque fumos vendidit, et abstrusos rerum supra vires humanas se extollentium thesauros promisit, arcana naturae, et ignota mysteria coruis hiantibus promittens. Id quod libros de occulta philosophia per transennam inspicienti erit longe manifestissimum. Vnde nostro quidem iudicio inter impostores philosophicos locum omnino meretur; in quem numerum referendos esse, quotquot vel arcanas artes promittunt, vel ignotas et latentes disciplinas prae se ferunt, intelligunt omnes, qui quid eruditio sit, quid sapientia, norunt. Neque hoc nostrum modo de Agrippa iudicium est, sed vidit quoque varium et diuersum a semet ipso hunc animi characterem, qui hanc in eum ludit epigraphen, editioni operum Lugdunensi iam praefixam:

Inter diuos nullos non carpit Momus,
Inter heroas monstra quaeque insectatur Hercules,
Inter daemonas rex Herebi Pluton irascitur omnibus vmbris
Inter philosophos ridet omnia Democritus,
Contra deflet cuncta Heraclitus.
Nescit quaeque Pyrrhias, (Pyrrho)
Et scire se putat omnia Aristoteles,
Contemnit cuncta Diogenes.
Nullis hic parcit Agrippa
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet,
Irascitur, insectatur, carpit omnia,
Ipse philosophus, daemon, heros, Deus et omnia.

Haec cum ita se habeant, mirandum non est, propriae calamitatis architectum sibi Agrippam fuisse meliori fortuna dignum, si ingenii praeclari opibus vti, et ad modestiam et philosophiae praecepta animum componere nouisset. Cum enim superstitionem, hypocrisin, fraudesque cleri et intelligeret, et Vatiniano prosequeretur odio, artesque multorum nefarias perspexisset, satyra vsus amarissimo eos sale perfricuit, et acerbitate mira ineptias, barbariem, stultitiam et malitiam horum hominum traduxit. Eius exemplum vel sola *Supplicatio ad senatum Colonienſem* exhibet valde memorabile, cuius lectione mirum non est, totam eum in se sophistarum et cucullionum cohortem irritasse, vt in eius perniciem coniurarent. Et tamen acerbiora meditatus est, pollicitus eo in loco, *enumeraturum se in libro de fratrum Praedicatorum sceleribus et haeresibus infecta saepius veneno sacramenta, ementita saepissime miracula, interemtos veneno reges et principes, proditas vrbes et respublicas, seductos populos, assertasque haereses.* Et haec quidem non ad solos istos ardeliones, non ad Hogstratum vel Conradum quendam inquisitores, sed praecipitato quoque consilio in declamatione *de Vanitate scientiarum* ad ipsas artes et disciplinas retulit [z], et omnis generis homines virosque doctos canina dicacitate momordit, vnde Cynicae declamationis satyraeue nomine libellum insigniuit. Ia vero telum, quo peti euertique posset, hostibus tanta acerbitate totque contumeliis in rabiem actis, ipse porrexit. Hi enim in aulis regum principumque Senatu Agrippam, velut omnis pietatis, honestatis et eruditionis hostem atque euersorem depingebant, et quantum possent calumniabantur: cumque non sufficeret libellus de vanitate scientiarum, librum quoque de philosophia occulta suspecto magiae nomine famosum in subsidium vocatum, malarum artium et vetiti cum cacodaemone commercii reum egerunt. Quam calumniam licet acerbissimis contestationibus Agrippa refelleret, et sibi vim fieri clamaret, valde tamen ea locum apud principes inuenit. Qui cum Agrippae infensiores ita facti essent, tantum abest, vt eorum indignationem lenire verbis mollioribus tentauerit, vt potius acerbis apologiis eam mirum in modum exasperauerit. Vbi enim semel laesus esset, iniuriam concoquere non poterat, et cum factis non posset, verbis amaris vlciscebatur. Inde tam inuisus factus est, in aula Gallica, cui astrologicis praedictionibus fumos vendiderat, vt cum literas fidei publicae testes peteret, diu negatas et tandem obtinendas diſruperit totas princeps Vandemiensis, inquiens, se nequaquam signaturum in fauorem diuinatoris [a]. Qua re meruit bonus ille princeps inter stultos, praepostere religiosos, et ingenio inertes, qui nihil sapiunt, nisi in patinis et calicibus, et qui stultitiae venia digni sunt, ab Agrippa numerari. Similem rationem in aula Caroli V tenuit, neque dubitandum, quin in aula Colonienſis electoris pari cynismo praesulis supra modum ei fauentis gratiam, exasperatus censura Colonienſi, conculcauerit; alias

z) Exemplum esse potest prologus galeatus illius declamationis. a) L. V. epist. 30. p. 894.

alias Bonna non abiiſſet, et Lugdunum cum praeſenti libertatis vitaeque periculo confugiſſet. Cum autem per totam fere vitam ſtipendiis principum nutriretur, vel ex munerum collatorum reditibus viueret, praxeos medicae vero emolumenta, vti veriſimile, exigua eſſent, priuatus iſtis commodis et vita honeſte tranſigendae ſubſidiis eo quod patronos mire dicacitate ſuae offendiſſet, ad aes alienum confugere neceſſe habuit, quod cum exſoluere non poſſet, Lerna malorum inde illi exorta eſt, qua periiſſet, niſi amicorum beneuolentia ſuſtentatus ſenectutem ne attingeret, diuina prouidentia definiuiſſet. Diligenter matureque eum monuere ea de re amici, parcendum eſſe viris principibus, et non irritandos apud clerum crabrones: et candide amicus Heluetius perſcripſit [b]: *Quod tum tibi ſuaſi, rurſus ſuadeo, vt ſi commode poſſis, extrices te ab iſta contentione; ſit tibi exemplo Ludouicus Barguinus, quem nihil aliud perdidit, quam in monachos et theologos ſimplex libertas. &c.* Aſt ſurdo haec canebatur fabula, animo Agrippae iſtis vulneribus ita ſaucio, vt totus vindicta arderet, et ad ſua ipſe fata rueret.

§. IX. Inter grauiſſima, quae Agrippae obiecta fuere crimina, magia eſt, et impurum cum ſpiritibus malignis commercium. Quam cum viuo obieciſſent aduerſarii, poſt mortem ita vulgata eſt, vt haud pauci de veritate rei perſuaſi inter impiarum artium cultores eum referrent, cuius teſtimonia qui cupit, illi PAVLVS IOVIVS [c], THEVETIVS [d], DELRIO [e], NATALIS COMES [f], et poſt hos alii adeundi ſunt, qui fabulam recoxerunt. Quam ex inſtituto quidem excutere loci anguſtia non patitur, non indicta tamen cauſſa in Agrippae hiſtoria nobis dimittenda, ſed ab opprobrio hoc philoſophia liberanda eſt. Occaſionem autem iſtius criminationis cudendae ipſe ſubminiſtrauit Agrippa. Is enim cum in adoleſcentia in libros Cabbaliſticos, magicos, et huius furfuris alios incidiſſet, et arcanum hoc philoſophiae, quam illi promittebant, genus miram apud imperitos opinionem excitare poſſe intelligeret, reipſa quidem illud doctrinae aedificium ſibi ſtruxit, quod in ſequentibus delineabimus, quodque, Picus, Ricius, Reuchlinus, Galatinus aliique mire commendauerant, cum autem Cabbalae nomine, literalis quoque illa doctrinae Iudaicae pars, quam ſuo loco exegeticam vocabimus, deſignaretur, videretque callidus homo, eiusmodi aenigmata in admirationem lectorem ignorantem rapere, tales characteres ſuo quod ſibi condere coepit rerum naturalium ſyſtemati adplicuit; et ita ad ſimilitudinem Cabbaliſticae doctrinae valde iuuenis librum *de occulta Philoſophia, ſiue de Magia*, compoſuit; coniicimusque non ſine veriſimilitudine, eum, vt erat thraſonicae iactantiae mirus cultor, inſolita et ſupernaturalia apud imperitos haud raro crepuiſſe [g]. Cum enim metalla ſe mutare, et ex ſiderum poſitu diui-

Agrippa an magus fuerit?

b) L. VII. epiſt. 40. p. 1066.
c) loc. cit.
d) Elog. des hommes illuſtres T. VII. p. 221.
e) Diſquiſ. magic. L. II. q. 12. n. 10.
f) Mytholog. L. III. c. 17. p. 257.
g) Exempla luculenta habet L. II. de O. P.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nationes conſtruere poſſe, dicere auderet, dubium non eſt, quin in reliquis artibus arcanis ſimiles fumos vendiderit. Maxime vero ſuſpicionem hanc auxit, quod paſſim amicos monuerit [h], ſe clauem iſtius libri totiusque negotii ſibi et amicis reſeruaſſe. Quo abuſus nebulo quidam lucifuga, poſt Agrippae fata, eam clauem, edidit, *librumque quartum de O. P. cum Elementis magicis* PETRI DE ABANO vulgauit [i] *anno MDLXV*, qui cum magiam practicam exponat, et ſpirituum adiurationes doceat, veterem accuſationem confirmauit. Sed et apologia pro muliere veneficii accuſata, iſtam calumniam meruit, quam cum ex inquiſitorum faucibus liberaſſet, eiusdem criminis ſuſpicio illi obiecta eſt. Tandem et acceſſit fabula illa de cane nigro aſſiduo eius comite, quam ſupra ex Iouio narrauimus. Quibus fulcris cum ſatis firmiter niti videretur magiae crimen Agrippae obiectum, fabulis fabulae poſtea auctae ſunt, vt in magicis fieri ſolet. Verum enimuero quam ſiculnea haec omnia ſint, et inepta paulo altius rem rimantibus ignotum eſſe non poteſt. Quod cum ſatis luculenter demonſtrauerit GABRIEL NAVDAEVS [k], qui doctam pro Agrippa apologiam ſcripſit, moram in his longam non nectimus, ſed paucis ea tangimus, quae ad abſoluendum ab hac ſuſpicione Agrippam ſufficere putamus. Et fatemur quidem, Agrippam nobis non ſatis a ſuſpicione purgari, quod arcanas et ſupernaturales vel diuiniores artes apud nonnullos imperitiores iactauerit. Sane in philoſophiae occultae opere talia occurrunt, quorum ipſe excuſationem petit [l], venia a iuuentutis curioſitate petita. Scribit enim in praefatione: *Qua propter iterum nunc quaeſo te, candide lector, ne de praeſenti tempore editionis iſta libres; ſed veniam des curioſae iuuentuti, ſi quid forte ſecus, quam placeat, in iſtis deprehendes.* Aſt haec ſolius curioſi ludibria ingenii fuiſſe, et magnas tantum Agrippam ad decipiendos naſoque ducendos incautos bullas proieciſſe, ac in ſinu eorum infantiam riſiſſe, in epiſtolis paſſim prodidit. Ipſi vero de philoſophia occulta libri, non ſunt inſtitutiones magicae, ſed hiſtoria potius philoſophica de arte magiae, in quam non ſine multa lectionis copia et varia eruditione Agrippa congeſſit, quicquid de magia apud barbaros, Graecos, Iudaeosque philoſophos legerat: non itaque artem experientia edoctam profeſſus eſt, ſed aliorum de ea opiniones enarrauit. Id quod ipſe prouidus in praefatione monuit, lectores ita allocutus: *Quod ſi quae repereritis, quae vobis non placeant, mittite illa, nec vtemini. Nam et ego vobis illa non probo, ſed narro. Fateor praeterea, magiam ipſam multa ſuperuacanea, et ad oſtentationem curioſa docere prodigia, ſimul haec vt vana, relinquite.* Itaque iniquum eſt, ob hunc librum Agrippam magiae inſimulare. Libellum autem quarti libri nomen gerentem Agrippae impoſtorem ſuppoſuiſſe, WIERVS diſcipulus, et arcanorum

h) L. III. epiſt. 56. p. 759.
i) Locum editionis lucifuga non adſcripſit.
k) Apolog. magiae accuſator. l. c. p. 285. add. BAYLE l. c. WEBSTER de Magia c. 4. §. 31. THOMASII Acta magica T. I. p. 565. 571.
l) In Praef. editionis Colon. 1533. fol.

norum Agrippae conscius, testis est [m], et ipse partus supposititius et insulsus prodit. Dictio enim ab Agrippae scribendi genere mire distat, et tota barbara est, atque adeo inuenusta, vt impossibile sit, ab Agrippa eum librum prodiisse. Sunt quoque nonnullae in eo hypotheses, quae systemati magico, quod Agrippa proposuit, e diametro repugnant, et falsitatem insulsae scriptiunculae luculenter produnt. Cuius generis est, quod suprema intelligentia anima mundi dicitur [n], cum Agrippa eam animam mediam ponat inter intelligentias et res sublunares. Nec clauis illa occulta valde ad tuendam hanc suspicionem vrgeri potest: quamuis enim incertum sit, quid per eam intellexerit, ipseque ad Aurelium ab Aquapendente scribens, haud obscure prodat, internam quandam illuminationem et lucis supernae illapsum in animam ad ea intelligenda requiri, *nec*, vt ipse ait [o], *haec committi literis nec scribi calamo, sed spiritu spiritui paucis sacrisque verbis infundi;* certum tamen est, non aliam quam Platonicam eum illuminationem clauemque, a Goëtia valde diuersam requisiuisse. Quod satis clarum ex his verbis eius [p] ad eundem Augustinianum monachum est: *Quod ad postulatam philosophiam, te scire volo, quod omnium rerum cognoscere opificem ipsum Deum, et in illum tota similitudinis imagine ceu essentiali quodam contactu siue vinculo transire, quo ipse transformeris, efficiareque Deus, ea demum vera solidaque philosophia sit, quemadmodum de Moyse ait Dominus: ecce ego constitui te Deum Pharaonis. Haec est illa vera et summa mirabilium operum occultissima philosophia. Clauis eius intellectus est, quanto enim altiora intelligimus, tanto sublimiores induimus virtutes, tantoque maiora et facilius et efficacius operamur. Verum intellectus noster carni inclusus corruptibili, nisi viam carnis superauerit, fueritque propriam naturam fortitus, diuinis illis virtutibus non poterit vniri, ac peruidendis illis occultissimis DEI et naturae secretis omnino inefficax est.* Ex quo loco satis patet, longe aliam clauem, quam quae ab illo nugatore exponitur, quaeque tota adiurationibus, literarum elementis, nominum diuinorum et angelicorum combinatione et similibus ex Cabbala Iudaeorum practica desumtis absoluitur, Agrippam intellexisse, et nihil aliud innuisse, quam quod Platonici sequiores, quorum vestigia legerat, postularunt. Quod cum solius imaginationis suaue aliquod somnium sit, non a verisimilitudine discedit NAVDAEI coniectura, Agrippam mera ostentatione hanc clauem iactasse, vt admirationem et desiderium eius amicis iniiceret, eosque naso duceret, nec aliam eum habuisse, quae haec adyta reserauerit. Reliqua, quae pro magiae suspicione contra Agrippam vrgentur, leuia sunt, et facile refutari possunt. Nam cur mulieris veneficii accusatae patrocinium susceperit, ipse luculenter prodidit, nempe quod aduocatus ciuitatis Metensis constitutus pati non potuerit, quod contra ius fasque inquisitor in-

m) De Praestig. daemon. L. V. c. 4.
n) pag. 5.
o) L. V. epist. 14. p. 873 seq.
p) pag. 879.

tor innocentem mulierculam sola instigatione nebulonum rusticorum cum violatione iuris ciuitatis ad tribunal suum traxerit: ipsa quoque acta in sublimiori tribunali recognita et mulierculam et Agrippam liberos pronunciarunt, mulctaque irrogata persecutoribus est. Licet autem vbique locorum magiae insimulatus sit Agrippa, a monachis, virisque ecclesiasticis, in tanta tamen irarum et indignationum, quae inter eos et Agrippam interceßere, magnitudine nemo non videt, rem omnem ad calumniam redire. Quod vlcus tam fortiter in epistola ad senatum Colonienßem tetigit, vt mirum non sint, dolores illos tantos eis clamores excitauisse. Ridicula autem est fabula de cane nigro, quem canem naturalem fuisse, puerilitter ab Agrippo amatum, adeo vt et in mensa et in lectulo ei adesset, WIERVS [q] testatur, qui vbi Agrippam sectaretur, non raro loro eum duxit. Et opportune is quoque monet, cum Agrippa, licet inter chartas librosque suos totus delitescerет, nec toto octiduo vix semel prodiret, quicquid tamen in diuersis regionibus ageretur, fere nosset, ex epistolis amicorum quamplurimorum, quos vbique habebat, imprudentiores huic cani, vt daemoni acceptum tulisse. Tacemus, si istas artes magicas sciuisset, et effeciset Agrippa, eum in tantam inopiam se redigi non passurum fuisse, vt carceri manciparetur, et fame tantum non enecaretur. Quibus omnibus inter se comparatis, ne vmbra quidem verisimilitudinis in hac accusatione magiae comparet, rectеque haec fabula eliminatur ex historia philosophica.

Philosophia occulta Agrippae.

§. X. Ex dictis intelligitur, cuius generis philosophiam Agrippa excoluerit, nempe Pythagorico-Platonico Cabbalisticam. Cum enim ob causas supra adductas philosophiam magicam, id est occultam sibi excolendam sumsit, qua prae aliis philosophiae generibus admirationem mereri se posse autumabat, hoc potissimum doctrinae genus eligere debuit, quod omnium optime ad illam disciplinam quadrat: quamuis Peripatetica quoque philosophiae magicae elementa suppeditare, Petri Pomponatii et Ioannis Baptistae Portae Philosophi Neapolitani [r] exemplis constat. Eam vero Platonicam philosophiam intelligimus, quae reformata, mutata et in peregrinos habitus transformata atque ex Ammonii Plotinique schola totum Orientem late peruagata in Italia tandem consedit, et praecipue Pici studio Cabbalisticae philosophiae sociata est. Non negat id Agrippa, candide in *Praefatione librorum de Occulta philosophia* fassus, *multa se Platonicorum ceterorumque philosophorum gentilium placita secutum esse.* Et su-

q) De Praestig. Daem. L. V. c. 5.

r) Natus is est anno 1545. et Cardanum praeceptorem habuit; rerum naturalium studiis deditissimus, quod ei occasionem dedit academiam secretorum domi suae excitandi, quae in occulta naturae opera inquireret. Plurimum etiam ad academiam otiosorum contulit, magnaque eruditionis, praesertim physicae, astrologicae, physiognomicae laude illustris, anno 1615. Obiit, relictis libris IV. Magiae naturalis, siue de rerum naturalium miraculis. Quos Aristotelis principiis de formis substantialibus inaedificauit, ita tamen, vt Platonica haud raro in concordiam vocaret. Prodiit libellus eruditus Antuerpiae apud Plantinum 1585. 12. et tum saepius videndi de Porta GHILINI, CRASSO IMPERIALIS, FREHERVS libris notissimis.

Et ſupra quoque verba eius iam adduximus, quibus ait, Platonem, Iamblichum, Porphyrium, Proclum, Syneſium, Ammonium, Hermetem, Hipparchum, Plinium ſibi in philoſophia auctores fuiſſe: prouocat etiam ad Picum, Reuchlinum, Ficinum, Galatinum, Ricium, Georgium Venetum [s], quos philoſophiae Platonico-Cabbaliſticae anteſignanos fuiſſe, ex ſupra dictis conſtat. Cui philoſophiae generi cum TRITHEMIVS quoque faueret, ab eo in hac diſciplina valde confirmatus eſt, vt ex eius epiſtolis ad Agrippam conſtat, vnde a nonnemine, qui Trithemii iam defuncti manes contra accuſationem artis magicae defendi ab Agrippa cupiebat, eius auditor et diſcipulus vocatur [t], qui eo vſus ſit familiariter, et illius philoſophandi modum attigerit. Fuiſſe autem theologiam Platonicorum Alexandrinorum magicam, certe hoc caput prae reliquis excoluiſſe, huic reliqua diligenter attexuiſſe, et ad id pleraque retuliſſe, ex iis, quae de ſecta et doctrina Alexandrina *Tomo ſecundo* diximus, notum eſt. Mire ſe haec diſciplina ingenio Agrippae, paradoxa et peregrina affectanti, atque ad oſtentationem curioſis prodigiis, vt ipſe in praefatione ſcribit, propenſo commendauit, vel quod theſauros exhibere crederet, vel quod acquirendae mirabilis eruditionis famae inſeruire poſſe ſperaret. Quo pacto non potuere non plurima luxuriantis ingenii et ineptientis antiquitatis ſomnia ab Agrippa adhiberi, nugae interdum venales obtrudi, principia fanatica commendari, et chaos opinionum ex diuerſis ſectis collectarum conſtrui, ex quo difficulter ſanum aliquod et cohaerens ſyſtema eruas. Hanc vero doctrinae partem ad amicos velut diuinam iactabat, huius ſe diuinam clauem, contactu diuino adeptum eſſe mentiebatur, hanc reliquis non ſine inſigni aliorum contemtu praeferebat, et tamen, vbi eſſent, qui paulo acutius eum probare cuperent, faſſus eſt [u], *diuina ſe paſſum haud eſſe, ſed humanis et carnalibus vinculis alligatum, totumque a carne, a mundo, a domeſticis curis tranſuerſum actum, tam ſublimia Deorum dona, non eſſe aſſecutum, ſed ſe accipi velle velut indicem, qui ipſe ſemper prae foribus manens, aliis, quod iter ingrediendum ſit, oſtendat.* Paulo vero vehementius iactatus cum ſentiret, quantum ipſi inſolitum philoſophiae genus odium conflauerit, publicam huius philoſophiae profeſſionem depoſuit, cumque libros de occulta philoſophia recognitos, emendatos et inſigniter auctos Coloniae edidiſſet, multus in *Praefatione* in eo fuit, vt moneret, *ſe non omnia probare, multa velut ſuperuacanea reiicere, et vt vana relinquenda, dixiſſe, cumque in libro de vanitate ac incertitudine artium hunc librum magna ex parte retractauerit, curioſae iuuentuti veniam dandam eſſe, ſi quid deprehendatur, minus forte placiturum.* Quae conue-

s) p. 1043. L. VII. epiſt. 23. p. 1030.
t) L. III. epiſt. 33. p. 743.
u) L. V. epiſt. 19. p. 881.

conuenienter illis dicta sunt, quae *de Vanitate scientiarum* tractans professus est x: *de Magicis scripsisse se iuuenem adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de occulta philosophia nuncupauerit, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum sit, nunc se cautiorem hac palinodia recantatum velle, permultum enim temporis et rerum his vanitatibus olim se contriuisse: tandem hoc profecisse, quod sciat, quem iis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.* Inde factum, vt cum pleniorem eum librum ederet, eum tantum instar historiae doctrinae magicae considerari iuberet. Quod vtrum seria eius mens et vera opinio fuerit, an dicis tantum caussa, et ad declinandam inuidiam caussatus sit, dicere non habemus, cum epistolarum series, post annum vltimae editionis librorum de P. O. deficiat, eo captiuitate et morte rebus literariis erepto; ex quo tamen fonte vno de vera eius sententia iudicium fieri posse arbitramur. Illud ex Wieri discipuli et amici relatione constat, a plerisque eum circa vitae finem, pro mago fuisse habitum: ex quo tamen vulgi iudicio inferri non potest, eum hanc philosophiam vsque ad cineres excoluisse: vnde nihil de ea re definimus. Qualis autem illa philosophia magica, siue theologia naturalis et diuina arcanior fuerit, operae pretium esset, ex libro rarius occurrente paulo plenius exponere, et curiosum ματαιολογίας humanae caput illustrare, nisi argumenti prolixitas, et limitum nostrorum angustia obstaret. Sufficient igitur: paucae quaedam assertiones, vt ex vngue leo cognosci et sententia haud incerta de Agrippae philosophia fieri possit. His vero dogmatibus totum fere artis istius aedificium nititur.

I. Triplex est mundus, elementaris, coelestis et intellectualis y.

II. Quisque mundus inferior a superiori regitur, ac suarum virium susscipit influxum, ita vt ipse archetypus et summus opifex per angelos, coelos, stellas, elementa, animalia, plantas, metalla, lapides suae omnipotentiae virtutes exinde in nos transfundat, in quorum ministerium haec omnia condidit, atque creauit.

III. Non irrationabile itaque est, per magiam nos per eosdem gradus, per singulos mundos ad eundem ipsum archetypum mundum, omnium opificem, et primam caussam, a qua sunt omnia, et per quam sunt omnia, posse conscendere, et non solum his viribus, quae in rebus nobilioribus praeexistunt, frui posse, sed alias praeterea nouas desuper posse attrahere.

IV. Magia profundissimam rerum secretissimarum contemplationem naturam, potentiam, qualitatem, subsstantiam et virtutem, totiusque naturae cognitionem complectitur, et quomodo res inter se differunt, et quomodo conueniunt, nos instruit: hinc mirabiles effectus suos producens, vniendo virtutes rerum per applicationem earum ad inuicem, et ad sua passa congruentia inferiora, superiorum dotibus ac virtutibus passim copu-

x) cap. 48. y) L. I. cap. 1.

copulans atque maritans. Hanc artem excoluerunt Zoroaſter, Zamolxis, Abaris, Charmondas, Damigeron, Eudoxus, Hermippus, Trismegiſtus Mercurius, Porphyrius, Iamblichus, Plotinus, Proclus, Dardanus, Orpheus, Apollonius Tyaneus, Oſthanes, Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato et plures nobiliſſimorum philoſophorum [z].

V. Quatuor ſunt elementa, et primaria fundamenta rerum omnium corporalium, ignis, aër, aqua, terra: ex quibus omnia elementata componuntur, non per modum coaceruationis, ſed ſecundum transmutationem et vnionem [a].

VI. Singula, ſunt triplicia, vt ſic quaternarius compleat duodenarium, et per ſeptenarium in denarium progrediens, ad ſupremam vnitatem, vnde omnis virtus et mirabilis operatio dependet, fiat progreſſus [b].

VII. Ad omnium mirabilium operationem ſufficiunt ignis et terra, haec eſt patiens, ille agens.

VIII. Ignis, quando per ſe ipſum eſt, non accedente materia, in qua propriam manifeſtet actionem, immenſus eſt, et inuiſibilis, per ſe ipſum potens ad actionem propriam, mobilis, tradens ſe ipſum omnibus quodammodo proximantibus, renouatiuus, naturae cuſtodia illuminatiuus &c. Ideo mali daemones fugiunt lucem, boni, ſiue angeli lucis incrementa ab eo ſuſcipiunt, non ſolum a diuina, ſolari et coeleſti, ſed etiam eius, qui apud nos eſt ignis. Hinc vſus ignis et lucis in ſacris ceremoniis [c].

IX. Omnium elementorum baſis et fundamentum terra eſt, ipſa enim eſt obiectum, ſubiectum et receptaculum omnium radiorum influxuumque coeleſtium, ipſa in ſe continet omnium rerum ſemina ſeminalesque virtutes; et coeleſtibus ideo viribus foecundatur.

X. In aqua ſeminaria omnium rerum virtus animalium eſt. Hinc tot ex aquis miracula.

XI. Aër ſpiritus eſt vitalis, cuncta permeans entia, omnibus vitam et conſiſtentiam praebens, ligans, mouens et implens omnia. Ipſe proxime coeleſtium omnium influxus in ſe recipit, et aliis cum elementis communicat.

XII. Idola quaedam non modo ſpiritualia, ſed etiam naturalia a rebus effluunt, vt puta per influxum quendam corporum a corporibus, atque ſi in aëre conualeſcant, tum per lumen, tum per motum, tum ad viſum, tum ad alios quoque ſenſus ſeſe nobis offerunt, et oſtendunt, et in nos mirabilia quandoque agunt.

XIII. Hoc pacto ſi pictis certo artificio imaginibus ſcriptisque literis quis nocte ſerena plenae lunae radiis opponat, earum ſimulacris in aëre multiplicatis ſurſumque raptis, et vna cum lunae radiis reflexis, alius quispiam rei conſcius, per longam diſtantiam videt, legit, et agnoſcit in ipſo diſco lunae.

z) cap. 2. a) c. 3. b) c. 4. c) c. 5.

XIV. Vt in archetypo mundo omnia sunt in omnibus, ita etiam in hoc corporeo mundo, modis tamen diuersis; pro natura videlicet recipientium [d].

XV. In inferioribus elementa sunt crassae quaedam formae, immensaeque materiae, in coelo autem sunt per eorum naturas et vires modo coelesti, et excellentiori quam infra lunam. Ita quoque in intelligentiis sunt virtutes distributae, et in archetypo ideae producendorum.

XVI. Sunt rebus vltra elementales qualitates, quas cognoscimus, innatae quaedam aliae virtutes, et ita a natura concreatae, quas admiramur, ac saepe stupescimus, nobis ignotas, vel nusquam vel raro conspectas. Hae virtutes rerum occultae [e].

XVII. Virtutes occultae infunduntur rerum speciebus ab ideis, quae Deo insunt vna forma, in anima mundi vero, vt multae, et ponuntur in sequentibus mentibus siue corpori coniunctis, siue a corpore separatis, participatione quadam et gradatim iam magis magisque distincta [f].

XVIII. Ideae sunt non modo caussae essendi alicuius speciei, sed etiam sunt caussae cuiuscunque virtutis, quae tamen infunditur, secundum merita materiae.

XIX. Deus omnium virtutum finis et origo sigillum idearum ministris suis praestat intelligentiis: qui tanquam fideles executores, res quasque sibi creditas ideali virtute consignant, coelis atque stellis, tanquam instrumenta, materiam interim disponentibus ad suscipiendum formas istas, quae in maiestate diuina per astra deducenda resident, easque dator formarum distribuit per ministerium intelligentiarum, quas super opera sua constituit rectrices et custodes, quibus ea facultas in rebus sibi commissis credita est [g].

XX. Prouenit itaque forma et virtus primo ab ideis, deinde ab intelligentiis praesidentibus et regentibus: postea a coelorum aspectibus disponentibus, porro ab elementorum dispositis complexionibus correspondentibus coelorum influxibus, a quibus ipsa elementa disponuntur.

XXI. Nulla res est tam praestantibus viribus, quae viduata diuino auxilio sui natura contenta sit [h].

XXII. Vt virtutes superiores extendantur ad inferiora, opus est anima, scilicet spiritu mundi, quae est essentia quinta.

XXIII. Nihil reperitur in toto mundo, quod eius spiritus virtutis scintilla careat, magis tamen ac maxime infunditur his, qui huiusmodi spiritus plurimum hauserint.

XXIV. Omnes res habent inter se amicitiam et inimicitiam. Hinc innumerae inclinationes et auersiones occultae.

XXV. Res in quibus minus mergitur idea materiae, in his adhuc, postquam mortuae sunt, et defunctae fuerint, id quod immortale est, mirabilia operari non cessat [i].

XXVI.

d) c. 8. e) c. 10. f) c. 11. g) c. 13. h) c. 14. i) c. 21.

XXVI. Res inferiores subsunt corporibus coelestibus et humanum corpus ipsaque hominum exercitia et mores stellis atque signis distribuuntur [k].

XXVII. Totus sublunaris mundus, et quae in eo sunt, planetis distribuitur; similis ratio est signorum et stellarum fixarum [l].

XXVIII. Omnes stellae suas proprias habent naturas, proprietates, conditiones, quorum signacula et characteres per suos radios etiam inferioribus producunt [m].

XXIX. Dantur virtutum et influxuum commixtiones, quarum quaedam partibus suis insitae sunt, quaedam per artificiosam multarum rerum inter se secundum certas proportiones confusionem efficiuntur, quando sequentes virtutes antecedentibus gradatim correspondent [n].

XXX. Ea est colligantia et continuitas materiae ad animam mundi, quae quotidie influit super naturalia et super omnia, quae natura praeparauit, vt impossibile sit praeparata materia non influi vitam aut nobiliorem quandam formam [o].

XXXI. Ab inferioribus ad sidera, ab illis ad eorum intelligentias, et inde archetypum vnaquaeque res apte reduci potest, e quarum serie tota magia et omnis occultior philosophia emanat: omnis enim virtus superior per singula inferiora longa et continua serie radios suos dispertiendo vsque ad vltima fluit, et inferiora per singula sua superiora ad suprema peruenerunt: vt chorda tensa extremo vno tacta tota subito tremit, et tactus ad alterum vsque extremum resonat [p].

XXXII. Daemones mali malis artibus, angeli boni pura mente, mysticis orationibus, deuotis suppliciis et similibus nobis conciliantur; adeoque certis quibusdam mundi materiis mundana quoque numina allici possunt [q].

XXXIII. Suffumigationes quaedam ad stellas accommodatae plurimum possunt, quatenus aërem spiritumque vehementer afficiunt ad dotes coelestes opportune sub stellarum radiis capessendas. Spiritus enim noster ab huiusmodi vaporibus plurimum transmutatur, siquidem vterque sit vapor quidam alterius similis [r]. Similis ratio est collyriorum, vnctionum, philtrorum, alligationum, suspensionum, annulorum et similium [s].

XXXIV. Lumen qualitas multum formalis et simplex actus intelligentiae est, et imago primo a diuina mente in omnia diffusa; sed in ipso Deo patre prima lux est, deinde in filio illius illustrans splendor, in spiritu sancto ardens fulgor, in angelis diffusa splendens intelligentia; deinde descendit in coelestia, vbi fit copia vitae et efficax propagatio, etiam visibilis splendor: in igne vero naturalis quidam vigor a coelestibus insitus: in hominibus denique lucidus rationis discursus, et rerum diuinarum cognitio, totaque rationalis. Transit inde ad phantasiam, et ad

k) c. 22. l) c. 30 31. m) c. 33. n) c. 35. o) c. 37.
p) c. 37. q) c. 38. r) c. 43. s) c. 44. 45.

ſenſum maxime oculorum, in eo fit viſibilis claritas, porrigiturque alternis perſpicuis corporibus, in quibus fit color et pulchritudo renitens, in opacis autem virtus quaedam benefica, et generans, penetratque vsque ad centrum, vbi radiis eius in anguſtum collectis fit caliginoſus calor crucians et exaeſtuans *t*.

XXXV. Paſſiones animae, quae phantaſiam ſequuntur, quando vehementiſſimae ſunt, non ſolum poſſunt immutare corpus proprium, verum etiam poſſunt transſcendere ad operandum in corpus alienum, ita vt admirabiles quaedam impreſſiones inde producantur in elementis, et rebus extrinſecis, atque morbos etiam quosdam animi ſiue corporis ſic poſſint auferre vel inferre. Potentiſſimae autem fiunt, ſi cum coelo conſentiunt vel naturali pacto vel libero arbitrio *u*.

XXXVI. Animus humanus, quando per ſuas paſſiones et effectus ad opus aliquod attentiſſimus fuerit; coniungitur ipſe cum ſtellarum animis, etiam cum intelligentiis, et ita quoque coniuncta cauſſa eſt, vt mirabilis quaedam virtus operibus ac rebus noſtris infundatur *x*.

XXXVII. Ineſt hominum animis virtus quaedam immutandi, attrahendi, impediendi et ligandi res et homines ad id quod deſiderat, et omnes res obediunt illi, quando fertur in magnum exceſſum, alicuius paſſionis vel virtutis, in tantum, vt ſuperet eos quos ligat *y*.

XXXVIII. Non minor ineſt verbis rerumque nominibus virtus maxima praeterea in ſermonibus *z*. Propria autem nomina magicis operationibus plurimum neceſſaria ſunt; ſunt enim quidam rerum radii vbique praeſentes ſemper rerumque vim ſeruantes, quatenus eſſentia rei ſignatae in ipſis dominatur et diſcernitur. Eadem ratio eſt inuocationum, adiurationum &c. *a*

XXXIX. Omnia, quaecunque a primaeua rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Loquimur autem de numero formali, non materiali *b*.

XL. In numeris miranda latet efficacia et virtus tam ad bonum, quam ad malum.

XLI. Vnum omnium rerum principium eſt et finis, neque ipſum principium aut finem habens.

XLII. Binarius numerus malus eſt, dualitas daemon, malus in quo materialis eſt multitudo.

XLIII. Ternarius idealibus formis deputatus magis eſt Oromaſis, Mitris, Araminis, id eſt, Deus, mens, et ſpiritus.

XLIV. Quaternio fundamentum et radix eſt omnium aliorum numerorum.

XLV. Quinarius vim magnam habet in expiationibus ſacris, pellit malos daemones, et venena. Eſt nexus omnia ligans.

XLVI.

t) c. 49. Eleganter hoc loco emanatio lucis Cabbaliſtica exponitur.
u) c. 65. 66.
x) c. 67.
y) c. 68.
z) c. 69.
a) c. 70.
b) L. II. c. 1.

XLVI. Septenarius et in bono et in malo omnium est potentissimus [c].

XLVII. Deus ipsa prima monas priusquam sese inferioribus communicet, primo se in primum numerorum, ternarium videlicet diffundit: dehinc in denarium, tanquam in decem ideas et mensuras omnium numerorum, et rerum omnium faciendarum [d].

XLVIII. Ipsa literarum elementa certos quosdam diuinosque possident numeros, per quos ex propriis rerum nominibus in summam collectos de rebus occultis futurisque elicimus sententiam [e].

XLIX. Musicalis harmonia cum corpora coelestia opportune insequitur, coelestem influxum mire prouocat [f].

L. Homo omnes numeros, mensuras, pondera, motus et elementa ceteraque omnia illum componentia in se continet et sustinet.

LI. Sortis caussa quaedam sublimis et latens et occulta est, non per accidens, estque in substantiis immaterialibus et incorporeis, quae reuera sortem administrant, et ad veritatis indicium dispensant [g].

LII. Habet mundus, habent coeli, habent stellae, habent elementa animam, cum qua caussant animam in istis inferioribus atque mistis. Habent etiam spiritum, qui mediante anima sua adest corpori. Viuit itaque mundus, habetque animam et sensum [h].

LIII. Anima mundi ac coelestes animae sunt rationales ac mentem participantes diuinam [i].

LIV. Humanae imprecationes naturaliter imprimunt suas vires in res exteriores [k].

LV. Quia partes mundi naturaliter se trahunt, inuicem, et in se mutuo agunt, idcirco magus inuocans per verba operatur per vires naturae aptas.

LVI. Sacra haec dogmata intra secreta religiosi pectoris condenda sunt [l].

LVII. Facultas magica requirit intellectum, qui cum fuerit nimio carnis demersus commercio, et circa sensibilem corporis animam occupatus, nullum meretur diuinarum substantiarum imperium. Deserendi itaque affectus carnales et sensuum passiones materiales: confici hoc potest religiosis ceremoniis, expiationibus, consecrationibus et similibus [m].

LVIII. Sunt tamen tres religionis primi duces, amor, spes, fides, quibus animus veritatem attrahit, omnesque rerum tam naturalium quam immortalium status, caussas, rationes, et scientias in ipsa veritate diuina, tanquam in quodam aeternitatis speculo intuetur, subitoque comprehendit [n].

LIX. Deus ipse licet in trinitate personarum vnitissimae essentiae sit, sunt tamen in eo multa quaedam numina, veluti radii ex eo emanantes, quos gentium philosophi Deos, Hebraeorum magistri numerationes (Sephiroth) nos attributa vocamus [o].

LX.

c) c. 3. ad 10. d) c. 13. e) c. 20. f) c. 24. g) c. 54. h) c. 56. i) c. 57.
k) c. 60. l) L. III. c. 2. m) c. 3. n) c. 5. 6. o) c. 10.

LX. Nomina Dei diuersa non diuersas eius essentias exponunt, sed quasdam proprietates ab eo emanantes, per quae nomina in nos, et ea quae creata sunt, multa beneficia et diuersa munera velut per canales quosdam distillant p.

LXI. Summus creator et prima caussa etsi omnia regit et disponit, curam tamen exequendi variis ministris distribuit, beneficis et maleficis. Idem etiam facit per coelos et stellas, tanquam per instrumenta q.

LXII. Vestimenta et ornatus Dei sunt tanquam viae quaedam seu relationes siue emanationes vel canales, per quas se diffundit r.

LXIII. Intelligentia est subsstantia intelligibilis libera ab omni crassi putrescibilisque corporis mole immortalis, insensibilis, cunctis assistens, cunctis influens s.

LXIV. Daemonum tria genera sunt, supercoelestes atque mentes a corpore penitus seiunctae et quasi intellectuales sphaerae Deum ipsum tanquam ipsorum firmissimam stabilissimamque vnitatem, siue centrum colentes; qui propter participationem dii vocantur. Hi nec mundi corporibus praesunt, nec inferiorum administrationi adaptantur, sed susceptum a Deo lumen inferioribus ordinibus influunt, singulisque singula officia distribuunt.

LXV. His secundo ordine proximi sunt coelestes intelligentiae, quos vocant daemonas mundanos, scilicet vltra diuinum cultum mundi sphaeris accommodatos, vnicuique coelorum et stellarum praesidentes.

LXVI. Tertio sunt quasi ministri, ad ea quae sunt inferioribus disponenda, qui quoque negotia nostra dirigunt. Hi vel aquei, vel ignei, vel aërii, vel terrei sunt: habent enim corpus, subiectum passioni, et sensibile, licet spiritale t.

LXVII. Natura genii tutelaris cuiusque ex sideribus et influxu eorum, eorundemque aspectibus, qui in genesi cuiusque versantur, cognosci debet u.

LXVIII. Triplex vnicuique homini daemon bonus est proprius custos, vnus quidem sacer, alter geniturae, tertius professionis. Primus a Deo descendenti animae rationali assignatur, secundus a mundi dispositione siderumque circuitibus, qui in generatione versantur descendit; tertius datur a sideribus, quibus ea professio vel secta subiicitur x.

LXIX. Characteres ac sigilla spirituum sunt ignorabiles quaedam literae aut scripturae sacrae deorum et spirituum nomina a prophanorum vsu lectioneque custodientes y.

LXX. Vincula quibus alligantur spiritus obtestanturque vel exterminantur, sumuntur vel ex mundo elementali, vel ex coelesti, vel ex intellectuali et diuino z.

LXXI. Sequitur beatorum spirituum choros ordo animasticus, siue heroum et semideorum, tum deorum mortalium, et terrenorum a.

LXXII.

p) c. 11. q) c. 12. r) c. 13. Satis commode in his assertis Cabbalistarum mentem assecutus est Agrippa. s) c. 16. t) c. 19. u) c. 21. x) c. 22. y) c. 29. z) c. 33. a) c. 34. 35.

LXXII. Spiritus rationalis hominis quodammodo corporeus est, sed corpore subtilissimo et facile vnibili cum mente, nempe illo diuino, quod est in nobis [b].

LXXIII. Mala omnia, et quicquid in inferioribus discors et dissonum reperitur, non ex influentiae malitia, sed ex mala dispositione recipientis prouenit [c].

LXXIV. Anima hominis immunda, quae in hac vita nimium habitum contraxerit ad corpora, intimo quodam elementalis corporis affectu aliud sibi post fata corpus ex elementorum vaporibus contexit, ex materia facili, cui tanquam carceri mancipata in illo dolores patitur [d].

LXXV. Nonnunquam animae illae non haec figuralia tantum corpora inhabitant, sed nimio corporis sanguinisque affectu etiam in animalia se praecipitant, et reptilium brutorumque corpora, cuiuscunque speciei ingressa, daemonum instar illa obsidentes corripiunt.

LXXVI. Oberrant hae animae circa cadauera relictorum corporum, tanquam circa cognatum, possuntque cognatis iis, quibus olim corporibus iungebantur, mediis per consimiles vapores, liquores, nidores, facile euocari et allici. Hinc necromantia [e].

LXXVII. Anima humana constat mente, ratione et idolo; mens illuminat rationem, ratio fluit in idolum, omnia vna est anima. Ratio nisi a mente illuminetur, ab errore non est immunis [f].

LXXVIII. Mens quia a Deo est, siue a mundo intelligibili, idcirco immortalis est et aeterna, ratio autem coelestis a coelo suae originis beneficio longaeua est, idolum vero, quia ex materiae gremio ac sublunari natura dependet, interitui atque corruptioni subiicitur [g].

LXXIX. Oracula petiturum oportet vacare munditiae, abstinentiae, ieiuniis, castitati, solitudini, animi tranquillitati atque ascensui. Potior autem purgationis pars est poenitentia et eleemosyna [h].

Haec ex innumeris fere, quae ex immensa veterum scriptorum lectione congessit Agrippa elegimus, vt quibus fundamentis constet, quibus dogmatibus primariis se efferat philosophia magica, pateat. Non denegamus Agrippae multiugam eruditionem, et praesertim Platonico-Alexandrinae et Cabbalisticae disciplinae notitiam haud vulgarem, fatemurque, passim ostendisse Agrippam, se magis historiae caussa, quam institutionis gratia haec scripsisse. Licet verisimile quoque sit, quod in praefatione fatetur, iuuenilem curiositatem multa ei persuasisse, quae aetate et iudicio paulo maturior ipse improbabat. Suspicamur autem, emanationis systema, quod haec philosophia supponit, Agrippam ad mortem vsque non dimisisse. De ipso vero hoc nugatoriae philosophiae genere nihil iudicamus, cum facile Lectori sit arbitrium interponere. Nobis datae delineationis

b) c. 36. c) c. 39. d) c. 41. e) c. 42. f) c. 43. g) c. 44. h) c. 45.

tionis vsus haud contemnendus visus est, si, quod ipse Agrippa dixit, hoc inde proficiamus, vt sciamus, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.

Agrippa Lullista.

§. XI. Ne vero vllam mirabilem artem omisisse videatur Agrippa vanitati scientiarum, quam postea disertissima satyra tam fortiter iugulauit, in iuuentute deditissimus, rationalem quoque philosophiam attigit, et partem eam, quae de inuentione agit, illustrare sategit. Quod cum ad miraculum vsque feliciter fieri posse artis Lullianae beneficio crederet, in eam commentarium scripsit[i], si non alio, certe hoc nomine laudandum, quod obscurissimam artem magna perspicuitate docuerit. Didicit eam ab Andrea Canterio Trisone, quem cum fratribus Petro et Iacobo huius artis beneficio, licet pueros decennes in omni disciplinarum genere egregie disseruisse, et non modo Germaniae et Galliae, sed totius pene Italiae ipsiusque Romae admirationem meruisse in *Praefatione* ait. Quae tota laudibus artis istius scatet, eique tantam dignitatem ac praecellentiam tribuit, eam generalitatem ac certitudinem ineſſe ait, „vt se sola sufficiente, „nulla alia scientia praesupposita, non vllo indigens forinseco iuuamine, „infallibiliter cum omni securitate ac certitudine, errore omni semoto, „de omni re scibili veritatem ac scientiam sine difficultate et labore inue„nire nos faciat". In quibus verbis multum ostentationis, parum autem vel nihil veritatis esse, ex iis, quae *libro Primo* huius tomi diximus, liquet: et ingenium Agrippae fumis vendendis aptissimum luculenter prodit. Retractauit tamen haec omnia AGRIPPA et solide atque accurate de arte Lulliana iudicauit in declamatione *de Vanitate scientiarum*[k], quod eius iudicium eo minus piget hic adducere, quo minus dubitandum, quin omnium optime de ea arte iudicare potuerit. Ita vero vir acerrimi sensus et liberrimi oris: „Inuenit Raymundus Lullus recentioribus tempori„bus dialecticae haud absimilem prodigiosam artem, per quam, tanquam „olim Gorgias Leontinus (qui primus in conuentu literatorum hominum „poscere ausus est, qua de re quisque audire vellet) de quouis subiecto „sermone abunde quis valeat differere, atque inuenire quadam artificiosa „nominum ac verborum perturbatione, atque in vtramque partem de „omni sermone curioso hoc plusquam eleganti artificio garrula loquacita„tis ostentatione disputare, neque vllum vincendi locum aliis relinquere, „et res minutissimas et pusillas in immensum dilatare. Sed haec altius re„petere non est necesse, nos ampla satis commentaria in hanc artem dedi„mus alibi: verum nolo haec alicui fucum faciant, in artificio admodum „leui: quod etsi eisdem extollere visi sumus, tamen res ipsa palam se fa„cit, vt opus non sit, circa hanc magnopere depugnare. Hoc autem ad„monere vos oportet, hanc artem ad pompam ingenii et doctrinae osten„tationem potius, quam ad comparandam eruditionem valere, ac longe „plus

i) Extat T. II. Opp. p. 315 seqq. k) cap. 9. pag. 39.

„plus habere audaciae quam efficaciae. Esse praeterea totam ineruditam „et barbaram, nisi elegantiore quadam literatura adornetur". Quo nihil dici potuit verius, nihil accuratius pulchriusque.

§. XII. Huiusmodi autem censuris, quas vt in omnem eruditionem exercuit, ita in proprias quoque disciplinas seueriſſime fecit, cum et iudicio esset maturior, et innumeris aduersitatibus animus magis esset subactus, atque pseudo-doctorum persecutionibus in omne doctrinae genus armaretur, meruit, vt ob librum *de Vanitate scientiarum* inter scepticismi fautores referretur, credereturque artis nihil sciendi institutiones in ea declamatione dedisse. Haec ratio permouit celeberrimum REIMMANNVM [l], de patriae nostrae historia literata meritissimum, vt Agrippam inter Scepticismi cultores Germanos referret. Neque vero hodie demum illa opinio enata est, sed vbi vix liber prodiisset, Agrippae haec inuidiae conflandae causſa obiecta sunt, vt supra ipsis eius verbis relatum, cum historiam nascentis libelli exponeremus. Viderunt tamen passim viri docti, qui de eius pretio iudicarunt, et eruditionis elegantiam ingenii copiam, vimque quandam doctrinae iure quodam in eo extulerunt laudibus [m], seriam mentem non fuisse Agrippae, vt quod pagina prae se fert omnes scientias contemneret. Nobis illi omnium tutissime iudicare videntur, qui ad historiam nascentis declamationis, causſasque attendunt, quae Agrippam impulerunt, vt mordacissimam satyram ederet. Nempe, vt supra ex Agrippae supplicationibus et epistolis clarissime demonstratum, calamitatibus vndique tum oppressus et tantum non enecatus est. Spe enim sua frustratus, cum in aula imperatoris munere indiciarii id est historiographi et archiuarii esset auctus, stipendium autem promissum non numeraretur, priuilegioque Caesareo auctoritas et effectus esset nullus, ipsi autem Caesaris ministri naso eum ducerent, speque inani lactarent, vehementibus anguſtiis, aerisque alieni, inopiae, famisque aerumnis pressus est. Quas cum ex contemtu literarum literatorumque exortas crederet, vt suam libertatem, et, quae insigniter extollebat, merita, neglecta et contemta vlcisceretur, hanc commentationem vulgandam statuit. Eam iam in Gallia similem ob causſam conceperat, totus eius tractationis admiratione captus, vt ex epistola ad amicum [n] constat. Ast suppressam, ne crabrones irritaret, extorsit illi indignatio et miseria, ratus, ita et hostes posse in ruborem dari, et cum omnem eruditionis ampliſſimae apparatum in eam transtuliſſet, posse ex ea Caesarem intelligere, in quot et quantis illi vsui esse posset [o]. Hunc scopum fuisse Agrippae in eo libro edendo, ipse ad amicum quem habebat optimum Cantiunculam scripsit [p]: „Tandem cum nuper edidissem declamationem illam de Vanitate scientia„rum atque excellentia verbi Dei, quam in hoc ipsum scripsi, partim vt „segnio-

Agrippa an scepticus?

1) Hist. liter. Germ. P. III. p. 168 seqq.
m) Vid. praeter supra laudatos SORELLIVS de Perfect. hominis p. m. 342 seq.
n) L. IV. epist. 44. p. 821.
o) L. VII. epist. 21. p. 1024.
p) L. VII. epist. 35. p. 1060.

„segniora ingenia ad defendenda bonarum literarum studia excitarem, „partim vt monachis concionatoribus arguendorum in omni exercitii ge„nere vitiorum non frigida argumenta conferrem, illi beneficium hoc „meum ingrato pensantes animo, pariter omnes hostilitatem mihi indixe„runt". Palpauerunt quoque mox amici, quibus editum libellum transmiserat, scriptum eum esse, non ad contemnendas disciplinas ipsas, sed ad exagitandam castigandamque barbariem, quae tum late in Flandria regnabat, vt ex quadam amici epistola ad Agrippam [q], hac occasione scripta discimus. Ideo autem, cum acerbissimam esse medicinam viderent, monuerunt eum, vt caute ageret, ne eam, quam in praefatione aculeata, quam prologi galeati instar praemisit, sibi praedixerat inuidiam incurreret. Vnde nonnemo ad eum scripsit [r]: „Placuit in libro de V. S. δείνωσις et co„pia, nec video cur tantopere indignentur monachi. Vituperas malos, „ita laudas bonos, sed illi tantum amant laudari. Quod tum tibi suasi, „rursus suadeo, vtsi commode possis, extrices te ab ista contentione". Rectum itaque iudicium est, quod de hoc libello tulere doctissimi viri PETRVS DE VILLEMANDY [s], et Io. FR. BVDDEVS [t], esse eum satyram, qua superbiam pseudo-eruditorum tumoremque sophistarum dogmaticorum deprimere voluerit. Ipsique ERASMO [u], quamuis maiori copia, quam delectu ac dictione tumultuosa verius quam composita elaboratus liber visus sit, iudicatum tamen, in omni genere rerum eum vituperare mala, laudare bona. Ex his vero nullo negotio intelligi potest, satyram hanc Cynicam, (ita enim ipse appellauit) non ita iniuriam in philosophiam esse, vt Agrippa inter eius hostes referendus sit, licet non magnopere repugnare velimus CLAVDIO MINOI [x], iudicanti: *Agrippam cum in literas declamauerit, videre voluisse egregie literatum, quanquam tamen non minus apud sanos videatur aucupio vanitatis delectatus, quam otiose solers in vanitate artium infectanda.* Hoc enim non praeter rem Agrippae vitio verti, ex ipso eius de libello iudicio [y] constare potest. Ast quaecunque eius animi conditio eo, cum haec scriberet, tempore fuerit, certum tamen est, eum non philosophiam ipsam sed modo sectariam seruitutem; abususque ex philosophantium prauitate obortos iugulasse, et praecipue aduersariorum suorum inanes artes, strepitusque vacuos, ipsamque barbariem depexa dedisse, licet eum in finem argumentis Scepticorum vsus sit, et religionis obtentu atque verbi diuini extollendi praetextu in ipsas artes et scientias inuectus sit. Quam dicendi licentiam apud Erasmum ita excusauit, vt eum moneret, esse declamationem [z]. Quod iudicium ipsius libelli lectio abunde Lectori confirmabit, et innumeris eum docebit exemplis. Nam, vt vnum alterumque adiiciamus, ita

q) L. VI. epist. 9. p. 946.
r) L. VII. epist. 40. p. 1066.
s) Scepticism. debell. c. 4. p. 28.
t) Obseru. ad Hist. phil. c. 1. §. 10. p. 27.
u) Apud POPE-BLOVNT l. c. p. 530.
x) In Obseru. ad ALCIATI Emblemata p. 63.
y) L. IV. epist. 44. p. 821.
z) L. VI. epist. 36. p. 994.

ita dialecticam culpat [a], vt improbet, Peripateticos, *opinantes nihil ſtare aut ſciri poſſe, niſi quod ſyllogizando probetur per demonſtrationem, eam videlicet, quam depingit Ariſtoteles, qui tamen nunquam eam in dogmatibus ſuis obſeruauit, cum omnes ſuas argumentationes ex praeſuppoſitis ab eo deducantur, quem ſecuti omnes iſti ſcientiarum pollicitatores, hactenus nullas aut pauciſſimas veras demonſtrationes dederint, nedum in naturalibus, ſed omnes deduxerint eas ex praeacceptis aut ab ſuo Ariſtotele, aut abs alio, qui illa prior dixerit, quorum auctoritatem ſeruent ſibi pro principio demonſtrationis.* Capite vero ſequente ſophiſticam reprehenſurus, totum Scholaſticarum nugarum vultum viuis depingit coloribus, ſic vt manibus palpes, eum aculeum in monachorum ventris et capitibus infixiſſe. Sanam quoque de Cabbala [b] tractationem inſtituit, ſatisque manifeſtum facit, accuratius ſe illius rationes pernouiſſe quam Picum, Reuchlinum, Georgium, Ricium ſimilesque. Diſtinctione enim facta inter Cabbalam philoſophicam ſiue coſmologicam et inter practicam, illam concedit, et a magia naturali nihil differre monet: hanc ſymbolicam theologiam eſſe notans, totam reiicit, faſſus, ſe hanc artem multo labore aliquando ſcrutatum eſſe, at non niſi meram ſuperſtitionis rhapſodiam ac theurgicam quandam magiam agnouiſſe. Et ſimili ratione in aliis quoque philoſophiae generibus et partibus verſatur, et vbique ſectas aggreditur. Vti autem eum argumentis Scepticorum ex comparatione *Capitis quinquageſimi de Principiis rerum naturalium* cum SEXTI EMPIRICI *libro tertio, Pyrrh. hyp.* [c] et *libro nono aduerſus Mathematicos* [d] conſtare poteſt. Maxime vero nullibi Ariſtoteli parcit, quoniam non modo eius philoſophiam minime probabat, ſed et norat, ita altiſſimum vulnus in aduerſariorum pectora poſſe adigi. Cuius ſi quis luculentum exemplum cupiat, illi *caput quinquageſimum quartum*, quod *de philoſophia morali* agit, legendum eſt: vbi poſtquam vitia Ariſtoteli obiici ſolita recenſuiſſet, addit: *Digniſſimus profecto hodie Latinorum gymnaſiorum doctor, et quem Colonienſes mei theologi etiam diuis adnumerarent, librumque ſub praelo euulgatum ederent, cui titulum facerent de ſalute Ariſtotelis, ſed et alium verſu et metro de vita et morte Ariſtotelis, quem theologica inſuper gloſſa illuſtrarent, in cuius calce concedunt, Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti praecurſorem in naturalibus, quemadmodum Ioannes Baptiſta in gratuitis* [e]. Plura in re clara cumulanda non ſunt, ex his enim dicta ampliſſimam lucem capiunt, et, quae mens fuerit Agrippae in eo libro ſcribendo diſpaleſcit. Vnde optamus, vt qui nouam libelli editionem meditantur [f], non modo integram exhibeant (malo enim conſilio editores [ff] Lugdunenſes nonnulla acerbiora expunxerunt, quos ſecutae ſunt editiones aliae) ſed et obſeruationibus adiectis lucem nouam affundant, ſicque librum reddant vtiliſſimum. Verum de Agrippa ſatis ſuperque. Iam ad alios properandum eſt.

a) cap. 7. b) c. 47. c) S. 30. p. 135. f) Prodiit, niſi fallimur, vltima Stettini 1714.
d) S 359. p. 619. e) Vid. quae diximus Tomo I. ff) Vid. SCHELHORN. l. c.

Franciſcus Patricius.

§. XIII. Adeo ſuſpectum et inuiſum ab eo tempore fuit Cabbalae nomen, quod Platoniſmo reſtituto aſſutum fuerat, vt vix cultorem ea philoſophia inueniret. Aliter itaque rem aggreſſus FRANCISCVS PATRICIVS, ineptas nugas Iudaeis reliquit, et Platonicam philoſophiam ex Graecis ſcriptoribus renouare conſtituit, cuius viri tanta fuit eruditionis claritas, vt eius memoria in hac noſtra tractatione merito renouanda ſit. Natus eſt Cliſſae, Illyrici vrbe, teſte THVANO [g], vnde Venetus audit IANO NICIO ERYTHRAEO [h], qui eum elogio decorauit. Editum eſſe in lucem anno MDXXIX, ex ſubſcriptione imagini eius adiecta colligimus, in qua anno ſalutis MDLXXX. aetatis quinquageſimum primum attigiſſe dicitur [i]. Puer adhuc ita optimarum artium diſciplinarumque elementis imbutus eſt, vt iudicio paulo maturior in Graecae Latinaeque literaturae ſtudio inque philoſophicis diſciplinis ſupra modum proficeret. Sufflaminaſſet autem eius curſum aduerſi fati iniquitas, niſi impedimenta omnia ingenii excellentiſſimi felicitas ſuperauiſſet. Ipſo enim auctore [k] conſtat, *fati vim quandam eum nouem annorum puerum ad virilem vsque aetatem peregrinationibus continuis terra marique exercuiſſe, atque per Dalmatiam*, quae ipſi patria fuit, *per Graeciam, per Aſiam, ac demum per Hiſpaniam atque Galliam iactaſſe.* Nec cum integram aetatem attigiſſet, tranquillius Muſis vacare illi licuit: qua de re acerbe conqueritur, „ſe Cypri optimam aetatis „ſuae partem philoſophiaeque ſtudiis aptiſſimam alienis commodis inſu„dando, ſuis abutendo plusquam ſeptennio miſere contriuiſſe: aſſidue „enim fatigatum fuiſſe, vt opibus alienis fabrefaciendis incumberet, res „ſuas omnes praetermitteret, philoſophiae ſtudia, delicias ſuas penitus „omitteret, non ſemel vitae periculum ſubiret". Quam fortunarum ſuarum euerſionem et fati iniquitatem alibi quoque [l] deplorat, teſtatus „ſe peſſum Cyprico bello datum, peſſimorumque hominum ingratitu„dine, fraudibus, inſidiisque agitatum, perque multos annos fortunae „aduerſiſſimae fluctibus actum, pauperie quoque preſſum, et dum aliena „commoda curaret, ſua non curaret, continuis itineribus terra marique „exercitum Cyprica clade oppreſſum, atque ingratiſſimorum peſſimo„rumque hominum fraudibus inſidiisque circumuentum fuiſſe". Et ſuccubuiſſet forte fortunae aduerſae perſecutionibus, niſi errantem et luctantem reuocaſſet, et Venetias velut in portum reduxiſſet Philippus Mocenigus, Cypriorum archiepiſcopus, vir omni doctrinarum virtutumque genere ornatiſſimus [m]. Ex eo enim tempore paulo tranquillius Muſis vacare, et ingenii diuitias explicare potuit. Cum eodem vero Mocenigo Patauium profectus eſt, exoptatiſſimo conſilio et laetiſſimo euentu. Narrat enim ipſe, „Ibi ſe ad vetera ſua ſtudia ſe reuocauiſſe, illis totum „ſe reddidiſſe, veteres cogitationes reſumſiſſe: cum Zacharia Mocenigo „ſtudia

g) Hiſtor. L. CXIX. p. 817.
h) Pinacothec. I. p. 203.
i) Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Patrice p. 621.
k) Dedic. Tom. I et IV. Diſcuſſ. Peripatet.
l) Dedic. T. II. D. P.
m) loc. cit. Tom. I.

„ſtudia philoſophiae in gymnaſio Patauino proſequenti de iis multoties „contuliſſe, eaque adiuuiſſe, quaeque is a Federico Pendaſio et Octauio „Amaltheo audiuiſſet, ex ſuo penu auxiſſe, et Ariſtotelicae philoſophiae „culturam exarata in Ariſtotelicae philoſophiae hiſtoriam introductione „promouiſſe; abreptum autem in Hiſpanias, conſumto ſemeſtri. Ve- „netias reuerſum coeptam operam continuiſſe, telamque, quam exorſus „erat, reſumſiſſe". Ex quibus eius verbis manifeſtum eſt, errare ERYTHRAEVM [n] et CRASSVM [o], qui in Patauino gymnaſio publica auctoritate Patricium docuiſſe contendunt, negante id P. BAYLE [p], priuata enim docendi licentia tantum fuiſſe gauiſum ex dictis conſtat. Neque vero ſic quoque fati aduerſitatem effugere, et fortunae iram emollire potuit, vbique enim ſe calamitatibus vexatum fuiſſe conqueritur. Tandem ad amicos veteres Mutinenſes confugit, et in eorum aedibus aſylum aliquod inuenit [q]. Laudat inter eos Alexandrum Baranzonum, ac Tarquiniam Molziam, ſingularem totius ſeculi foeminam, apud quos primum reſederat, poſtquam ex marinis et fortunae fluctibus in hunc portum eſſet deuectus. Eo in loco ſtudiis ſuis ſe reddidit, et ſcripta a ſe iam olim quaedam in manus reſumſit, quantumque potuit poliuit. Maxime vero in exornando philoſophia animo laudatae foeminae tempus terendo, iucundiſſimam otia fallendi rectеque collocandi occaſionem nactus eſt. Valde hanc mulierem extollit Patricius [r], eo quod non modo Hetruſcam linguam, ſed Latinam et Graecam optime calleat, et tum hiſtoricos atque oratores, tum philoſophos, Platonemque ipſum, quin et Pindarum et poëtas quoslibet, ſine haeſitatione vlla et legat, et intelligat, idque ipſo praelegente tribus menſibus didicerit. Teſtatur quoque eam logicas ſpinas omnes demetiſſe, moralem philoſophiam Plutarchicam, Ariſtotelicam, Platonicam ebibiſſe, magnos profectus in phyſiologia feciſſe, theologiam catholicam toto pectore hauſiſſe; muſicam omnis generis ad ſtuporem artificum quoque tenere &c. Eo itaque loco fortuna, quae tergum hactenus verterat, vultum oſtendere fauentiorem coepit: ob eruditionem enim, quam elegantiſſimam demonſtrabat, ab Antonio Montecatino, celeberrimi nominis philoſopho duci Ateſtino Alphonſo II. commendatus eſt, eo euentu, vt in gymnaſio Ferrarienſi Platonicam philoſophiam publice profiteri iuberetur [s]. Quod Peripateticum philoſophum ſua commendatione promouiſſe effeciſſeque, magnopere mirandum non eſt. Eo enim tempore ſyncretiſmum, interque Platonem et Ariſtotelem concordiam meditabantur multi philoſophi in Italia viuentes, quam cum ſe promouere poſſe prae ſe ferret Patricius, vt ex *Dedicatione tomi ſecundi Diſcuſſionum Peripateticarum* diſcimus, non potuit non Montecatino gratiſſima eſſe Patricii eruditio. Ab eo tempore vbique inclaruit eius doctrina, ipſeque viris ſummis maximopere com-

n) loc. cit. p. 205.
o) Elog. viror. doct. T. I. p. 62. p) loc. cit.
q) Vid. Dedic. T. III. et IV. Diſc. Perip.
r) loc. cit.
s) Docuit autem Patricius philoſophiam in gymnaſio Ferrarienſi annos ſeptendecim.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

commendatus est. Inter quos cum Clemens VIII, P. M. eius opera, antequam sedi Romanae esset admotus, vsus esset, tiara pontificali redimitus eum ob singularem eruditionem Romam vocauit, et insigni stipendio auctum publice philosophiam docere iussit *f*. Neque defuit opinioni atque expectationi summi pontificis Patricii diligentia atque studiorum excellentia; vix enim Romae pedem fixerat, cum editis *Parallelis militaribus* ostenderet, quantis doctrinae opibus polleret, quaeque ab eo expectanda essent. Quae postea quoque editis immortalis famae operibus luculenter confirmauit. In qua statione laborantem et commoda orbis literarii promouentem mors oppressit anno MDXCVII, VIII id. Febr. aetatis LXVII. Statura corporis breuis neque ita venusta cum ei a natura contigisset *ff*, animi magis et virtutis doctrinaeque mole, quam corporis illustris et honoratus extitit. Maxima enim illi inerat vis ingenii, et insolita iudicandi acies, incredibilis lectionis copia suffulta, dicendique ornatu commendata, ita vt meruerit inter summos Italiae viros, doctrina illustres numerari; vt ex locis eruditissimorum virorum constat, quae collegerunt THOM. POPE-BLOVNT *t*, ANTONIVS TEISSIERIVS *u*, et IO. FABRICIVS *v*, quibus L. CRASSVS *w*, HYAC. GIMMA *x*, et RICH. SIMONIVS *y*, addi possunt, quorum verba breuitatis caussa praetermittimus. Vnus ERYTHRAEVS sufficiet, qui, licet haud patienter ferre potuerit, quod Aristotelem Patricius dictis lacerauerit, eiusque philosophiam contemserit, quanta tamen eius eruditio et ingenii acumen fuerint, magnificis verbis depraedicauit. Testis tamen omnium optimus et fide dignissimus erit, scriptorum Patricii lectio, in quibus dubium est, vtrum magis extollenda sit iudicandi acies, in detegendis innumeris aliorum, veterum pariter et recentiorum, erroribus demonstrata, an ingenii foecunditas, quae tot nouis cogitationibus fouendis, poliendis, apteque et eleganter vniendis, vt in veterum locum surrogari possent, suffecit, an lectio infinita per omnis aetatis scriptores, maxime Graecos diffusa; an laboris patientia, in difficillimo argumento nullis difficultatibus exhausta, an animus fortis erectus, magnusque praeiudicii auctoritatis contemtor? quae omnia in eius scriptis, non ex turbidis lacunis, sed ex ipsis veterum fontibus deriuata, diligens lector deprehendet. At haec omnia nostro quidem iudicio superat, et admirationem merito meretur, quod in tam vario et depresso vitae genere, quo diu iactatus est, inter tot itinera, et negotia a studiis aliena, inter tot calamitates, aerumnas, paupertatem, et persecutiones totus quotidie distractus, disiectus, et quassatus, ad eum tamen doctrinae apicem pertingere, et tot veritatibus detegendis, tot nouis excogitandis, poli-

f) THVANVS l. c. male Clemens II. vocatur in IO. FABRICII Hist. Bibl. suae T. V. p. 497.
ff) ERYTHRAEVS l. c.
t) Censur. celebr. auctor. p. 797.
u) Elog. T. IV. p. 218.
v) loc. cit.
w) loc. cit.
x) Idea della Storia letterata d'Italia T. II. c. 39. art. 4. §. 7.
y) Bibliotheque choisie p. 166.

poliendis, ornandis, tot veteribus magna eruditionis copia configendis suffecerit. Dolendum autem ingenio excellentissimo doctrinaeque elegantia illustri parem animi rectitudinem, voluntatisque bonitatem non respondisse. Cum enim sua bona nosset, et intelligeret, multos se doctrina superare atque ingenio, exorta inde ambitio, quae acerbum contradicendi et ab omnium opinionibus, interdum praeter rem discedendi studium peperit. Quae cum in eius animo altas radices egissent, inuidia et aemulatio virum doctissimum in aduersum egere, patique is aliorum, quam ex eruditionis meritis capiebant, gloriam non potuit; vnde tot contradicentis lites, tot cum viris doctis reciprocatae controuersiae exortae, tot illi inimici atque aduersarii excitati sunt. Perpetuas enim teste ERYTHRAEO [z] habuit cum Theodoro Angelutio, philosopho ac medico Patauino, de naturali philosophia, et cum Iacobo Mazzano, de ea, quae est de moribus, controuersias, vt ex libris apparet, quibus tanquam armis inter se decertarunt. Tantum autem propriarum hypothesium assertione odium incurrit, vt coactus fuerit paulo ante mortem nonnullas retractare. Quibus tamen non obstantibus fatendum est, habitasse in breuis staturae corpore ingentem spiritum, et ingenii alacritatem summam cum eruditione insolita coniunctam, inter praestantissimos suae aetatis scriptores locum illi fuisse. Licet autem a philosophis Peripateticis fortunae fluctibus ereptus et in tuto collocatus esset, et initio quoque syncretismum Platonico-Aristotelicum finxisset, totus tamen postea alius et diuersus Vatiniano profecutus est Aristotelem odio, quaeque ad simulandam inter Platonem et Aristotelem concordiam congesserat, et scripserat, ad eum euertendum conuertit. Nihil nos Patricio tribuere, et falsitatem hanc animi non ex mera suspicione reprehendere, *Discussionum Peripateticarum* opus egregium, doctum, varium, luculentum, sed inuidia odioque in Aristotelem plenum satis superque probat. Eius initia susceperat ad iuuandum philosophiae Aristotelicae studium, in gratiam Zachariae Mocenigi, et in hunc finem *Tomo primo* ea omnia congesserat, quae ad historiam Aristotelicae philosophiae pertinebant, et Stagiritae vitam, mores, libros, auditores, sectatores, expositores, interpretes, sectas, philosophandi rationem illustrare poterant. *Tomo* autem *secundo*, tum edito, cum Antonii Montecatini commendatione gymnasio Ferrariensi doctor esset datus, et se ab eo Aristotelica dogmata viua voce docente veluti ab oraculo profecta et suscipere et suspicere profiteretur, Aristotelis et veterum philosophorum concordiam demonstrare magno molimine satagebat. Id studium serium sibi esse in *Dedicatione ad Montecatinum* asseuerauit, iactans, *post Concordiam inter Platonem et Aristotelem a Porphyrio, Simplicio, Boëthio, et nuper a Pico et Francisco Vi-*

z) l. c. Displicuit quoque multis censura acrior in Tarquinii Tassonis Hierosolymas, vid. TEISSIER. l. c. p. 320. MENAGE Obseru. sur l'Amintas p. 189.

Vicomercato fruſtra vel promiſſam vel tentatam ſuſceptamque, ſe ad hanc rem incubuiſſe, et Ariſtotelem non ſolum cum Platone, ſed etiam cum vetuſtiorum multis, quantum fieri potuerit, concordem eſſe oſtendiſſe. Aſt fefelliſſe Patricium hac larua Peripateticos, et reapſe nihil aliud ſimulata iſta concordiae demonſtratione agere voluiſſe, quam vt Ariſtotelem plagiarium et inſanum veterum exſcriptorem atque conſarcinatorem ſiſteret, et ipſa huius *Tomi ſecundi* lectio, et *tertii* argumentum clariſſime prodit. In eo enim totus eſt, vt demonſtret, quaecunque bene recteque, immo nonnunquam perperam ab Ariſtotele dicta ſint, ea illum a veteribus accepiſſe, e. g. praedicamentorum denarium debere Archytae &c. In hoc autem, cum fortuna eius altiores radices egiſſet, totus eius vultus mutatus eſt, prolixa tractatione enim Ariſtotelis et veterum philoſophorum diſcordiam demonſtrare conniſus, oſtendit, Stagiritam a quatuor theologis Xenophane, Parmenide, Zenone et Meliſſo receſſiſſe, idem diuortium feciſſe ab Empedocle, Anaxagora, Democrito, et imprimis Pythagoreis Platonique ſe oppoſuiſſe, magnamque eſſe inter Platonicam et Ariſtotelicam dialecticam diſcordiam, quod ex dogmate illo decantatiſſimo in ſchola Platonis, de ideis erudita commentatione demonſtrat. Quae omnia ita excutit, vt non modo diſſenſum luculenter oſtendat, ſed et partes philoſophorum contra Ariſtotelem magna doctrina et callido conſilio tueatur. Et ne vllo pacto Ariſtoteli peperciſſe, vel ſimulato iſto ſyncretismo eius partes adiuuiſſe videretur, *Tomo quarto* acerrimam cenſuram adhibuit, in philoſophiam naturalem Ariſtotelis, eamque miris modis depexam dedit. In qua tractatione, quae, cum ſeorſim ſinguli tomi prodiiſſent, a Baſileenſibus laudabili conſilio iunctim edita eſt†, fatemur egregiam enitere Patricii doctrinam, ingenii elegantiam prorſus admirabilem, et, quod primo loco ponendum eſt, inſolitam veteris philoſophiae cognitionem, cuius ope nos Peripateticae diſciplinae hiſtoriae multoties lucem attuliſſe, grati ſuis locis profeſſi ſumus. Aſt diſplicuiſſe eam non modo Ariſtotelis cultoribus et ſectatoribus, et grauem inuidiam ſuo auctori concitaſſe, id quod indignatio ERYTHRAEI*, IONSII[a] aliorumque ex hoc genere ſcriptorum teſtatur, ſed ſcriptoris quoque boni et accurati et a partium ſtudio alieni officium, eum non impleuiſſe, fides aſſertionum et teſtimonia veterum ſaepe numero aut deprauata aut falſo adducta, et ſcopum non ferientia demonſtrant, id quod tot exemplis in hiſtoria Ariſtotelis planum fecimus, vt nouis hoc loco opus haud ſit. Incaute itaque egerunt et praecipitanter, qui, vt quoduis contumeliae genus in Ariſtotelem coaceruarent, Patricium ſine examine exſcripſerunt. Et haec quoque cauſſa eſt, cur HERM. CONRINGIVS[b], Patricio multae quidem lectionis et doctrinae variae laudem conceſſerit, at exquiſitam tamen iudicii acrimoniam dene-

†) 1581. fol. *) loc. cit.
a) De Script. Hiſt. phil. L. III. c. 20. p. 311. add. MORHOF. Polyhiſt. T. II. L. II. P. I. c. 14. §. 1. p. 839 ſeq. L. I. c. 8. §. 3. p. 45. cuius verba Ionſio ſubſtituit nouus eius editor DORNIVS.
b) De Hermetica medicina c. 14. p. m. 155.

denegauerit: quod tamen minus videtur in culpa fuisse, quam contradicendi studium, quod eum coëgit, Aristotelicam philosophiam tam indignis modis proscribere. Iudicio enim valuisse, scripta eius satis produnt, at praeiudiciis occupatus, rectum vbique verumque videre non potuit. Vnde attentione in eius lectione vtendum, qua si quis accesserit, vtilissimi esse possunt Patricii labores in philosophiae historia. Neque tamen impedire se passus est odium, quod in Peripateticam philosophiam fouebat, quo minus *Commentarium Graecum* Philoponi *in Metaphysicam Aristotelis* e tenebris erueret, et *in Latinum a se conuersum* emitteret [c]; forte, quod Philoponum, vt tota eclectica schola Aristotelicam theologiam habitu Platonico comsisse crederet. Ipsam enim, quae in Lyceo personuit, disciplinam adeo perosus detestabatur, vt, cum nouam suam de vniuersis philosophiam Gregorio XIV, P. M. nuncuparet, summum ecclesiae Romanae praesulem cohortaretur, vt proscripta ex omnibus ditionis suae et Romae praesertim ac reliquis Christiani orbis gymnasiis coenobiisque Aristotelica philosophia velut impia et profana, Platonicam praelegi iuberet. Cuius rei specimen ipsum, valde memorabile exhibet Io. Lavnoivs [d], qui videndus. Quantum autem Aristotelicam philosophiam depressit, tantum Platonicam extulit, cuius vtriusque rationem dedit in libello, cui titulum fecit: *Aristoteles exotericus*, in quo latissime demonstrare sategit, quam aduersa sit Christianae pietati et doctrinae Aristotelis philosophia exoterica, amica vero et conueniens mystica, quam ex ore Platonis hausit, quoniam haud multum a fide Catholica discrepet. Quod vt probet, XLIII capita adducit, in quibus Platonem amice cum sacris reuelationis doctrinis conspirare, Aristotelem dissonare, et impie dissentire contendit. Merentur ea integra legi, quoniam ex iis satis luculenter discitur, qualem sibi philosophiam Platonicam praepoſuerit excolendam: at hic adduci ob instituti rationem non possunt. Integra adduxit Io. Lavnoivs [e], qui legendus. Elegisse autem sibi non philosophiam Platonicam veterem Patricium, sed eam, quae Alexandriae recocta, mutata et adulterata est, ex *Decimo capite* patet, quo Platoni tribuit: Deum mundum fecisse ex nihilo, quia ex nulla materia praecedente, quam et ipse creauerit; Etsi enim ad Timaeum prouocat, notum tamen ex iis, quae suo loco diximus, nihil tale, sed contrarium in Timaeo Platonis asseri, hancque demum mentem Alexandrinos Platonicos magistro affinxisse, vt propius ad religionis Christianae placita accederet. Immo eo vsque progreditur vir doctus, et qui ea, qua pollebat, eruditione et iudicio instructus, rectiora videre potuisset, nisi Platonicorum auctoritas eum in transuersum rapuisset, vt credat, a Platone Christum praedictum, et resurrectionem mortuorum assertam esse &c. Quae luculenter testantur, quantum Patricius Platonicam Alexandrinae scholae philosophiam deperierit. Valde vero inepta, quae virum eruditissimum fascinauit, opinio Platonem cum sacris

c) Erythraevs l. c. d) De Fortuna Aristotelis c. XIV. p. 281. e) loc. cit. pag. 283.

valde concordare, in perquirenda vera Platonis mente illi obfuit. Ea enim occupatus perſuaderi ſibi paſſus eſt, foetus adulterinos, quos Hermeti Trismegiſto, Orpheo, Zoroaſtri, ipſique Ariſtoteli ſuppoſuit audax impoſtorum Alexandrinae Scholae cohors, eſſe genuina vetuſtatis monumenta; vnde magno labore λείψανα oraculorum Zoroaſtris ex ſcriptis Platonicorum recentiorum collegit, vnoque faſce edidit, et, quae Hermeti Triſmegiſto tribuuntur, *Poemandrum*, *ſermonem ſacrum*, *clauem*, *ſermonem ad filium*, *ſermonem ad Aſclepium*, *Mineruam mundi* et alia huius generis vulgauit [f], de quibus cum *Tomo primo*, quantum ſatis eſt, dixerimus, ad eum locum Lectorem breuitatis cauſſa remittimus [g]. Sed et Ariſtotelis *Philoſophiam myſticam* ſiue *Aegyptiacam*, eiusdem furfuris ſcriptum ideo publicauit, vt oſtenderet, arcanam Ariſtotelis philoſophiam cum iſta philoſophia Platonica ipſaque Chriſtiana concordare. Neque tamen iſtas veterum lacinias ex tenebris protraxiſſe contentus, nouam ipſe philoſophiam Platonicis inſtructam principiis meditatus eſt, eamque auctam iſtis, quos recenſuimus libellis Platonicis edidit Ferrariae [h]. Dabimus integrum libri ſatis magni titulum, cum adeo rarus ſit et carus, vt SORELLVS [i] ſcribat, eius pretio bibliothecam quandam paruam poſſe coëmi. Eſt vero hic: „Noua de vniuerſis philoſophia, libris L. compre„henſa, in qua Ariſtotelica methodo non per motum ſed per lucem et lu„mina ad primam cauſſam aſcenditur; deinde noua quadam ac peculiari „methodo Platonica rerum vniuerſitas a Deo deducitur. Auctore Fran„ciſco Patricio, philoſopho eminentiſſimo, et in celeberrimo Romano „gymnaſio ſumma cum laude eandem philoſophiam publice interpretante. „Quibus poſtremo ſunt adiecta Zoroaſtris oracula CCCXX, ex Platonicis „collecta, Hermetis Triſmegiſti libelli et fragmenta, quotcunque repe„riuntur, ordine ſcientifico diſpoſita; Aſclepii diſcipuli tres libelli, my„ſtica Aegyptiorum a Platone dictata, ab Ariſtotele excepta et perſcripta „philoſophia. Platonicorum dialogorum nouus penitus a Franciſco Patri„cio inuentus ordo ſcientificus: capita demum multa, in quibus Plato „concors, Ariſtoteles vero catholicae fidei aduerſarius oſtenditur". Noua in hoc opere nonnulla attulit Patricius, ſed mutuum ſumta a Bernardino Teleſio. Is enim cum eodem tempore Parmenidea principia reuocaſſet, nouumque illis de rebus naturalibus doctrinae ſyſtema inaedificaſſet, adeo eius philoſophia Patricio placuit, vt nullus cunctaretur, eam veterum doctrinae praeferre. Multa tamen cum monenda haberet, ea parario amico quodam communi cum Teleſio communicauit, qui ea occaſione ſuam philoſophiam emendauit, illuſtrauit et auxit [k]. Patricius autem luminibus Teleſianis vſus nouum ſyſtema ſuum ita inſtruxit, vt poſitis

f) Subiuncta ſunt haec ſcripta Philoſophiae de vniuerſis, quae cum 1591. prodierat, falſum eſt, quod in editione Hamburgi 1593. 12. a Ranzouio edita dicitur, primo ea tunc comparuiſſe.

g) Conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. I. p. 48. Vol. II. p. 168.

h) 1591. repetita editio Venet. 1593.

i) De Perfect. hominis p. m. 517.

k) Vid. B. Io. G. LOTTERI vita Teleſii p. 56. 57. 61.

positis cum illo calore et frigore rerum omnium materialium principiis, tria illis alia adderet, lucem, spatium et fluorem, velut principia oberrantia, Platonica vero Parmenideis miscendo, nouaque veteribus assuendo multa confunderet, et verius obscuraret, quam illustraret. Multa ibi oppositа Aristoteli, negata coeli rotunditas et orbes, eorumque densitas et tenuitas, explosus ignis sublunaris et quatuor corporum qualitates. Dum autem audacius in vetera inuehitur, et tamen ad eorum consensum prouocat, sua magis, recte iudicante MORHOFIO l), intricauit dogmata, quam ipse Telesius, et nebulas aliquas Platonicas potius captauit, quam rei veritatem sectatus est. Prolixe itaque eius philosophiae summam describere, haud opus est, cum ex dictis satis constet, parum, quod eruditione sua dignum nouumque sit, praeter Telesiana, quae in sequenti capite delineabimus, et Platonica eum attulisse. Elegantem vero naturalis disciplinae secundum Patricium delineationem desideranti faciet satis SORELLI diligentia m). Pauciſſima nos, ne plane ἀσύμβολοι abeamus, hic exhibemus, eo redeuntia; nihil esse ante vnum, et ex vno omnia progredi habereque ortum: illud esse vnicum et perfecte bonum, nempe Deum, rerum omnium principium ipsumque bonum. Porro a primis monadibus reliquas oriri, a monadibus essentias, ab essentiis vitas, a vitis intellectus, ab intellectibus spiritus, a spiritibus diuersas naturas, a naturis proprietates, a proprietatibus species, a speciebus corpora. Quam rerum oriundarum seriem a Pythagoreis et Platonicis desumsit, et ita principiis Parmenideo-Telesianis attemperauit, vt diceret, res omnes esse in spatio, calore et luce. Sed et reliqua quoque, quae passim occurrunt, a Platonicis et Telesio transsumta sunt: esse ascensum et reditum ad Deum finem philosophiae, initia cognitionis sumenda esse a sensibus, imprimis a luce, mediante luce coelesti, quae DEI imago sit, ascendere nos ad lucem primigeniam; lucem omnibus misceri, omnia viuificare et formare; hincque lucidis corporibus suam esse claritatem, qua obscura careant, quia lux ad fundum penetrare nequeat. Esse praeter et ante solem aliam lucem incorpoream, solique et astris inesse calorem, non vero coelis, quae corpora sint simplicia, omnem ignem natura sua lucere, nec ignem sine luce esse, esse coelum aethereum fluorem, a quo reliqua dependeant. Recte de his omnibus pronunciauit SORELLVS, res vel vulgares, vel a Platonicis desumtas et Telesianis luminibus illustratas, nouis vero vocabulis vestitas pro nouis veritatibus Patricium vendere, et obscuris verbis mysteria sine causa crepare, miscere ea quae rebus tantum accidunt, non vero principia sunt; et obscuris nominibus, v.g. panarchia, pancosmia, panaugia, panpsychia, tractationi praefixis fumos vendere: Dignum tamen esse, qui legatur, eo quod multos errores veterum haud infeliciter refutauerit. Ex his vero, quae strictim paucisque de naturali philosophia Patricii diximus, iudicari potest, vtrum verum sit, quod nonnullis visum n), praecursorem Gassendi et Cartesii

l) l. c. T. II. L. I. c. 14. p. 239. m) loc. cit. p. m. 421. n) CRASSVS l. c. TEISSIER. l. c.

tefii Patricium fuiſſe? ab vtriusque enim ſyſtemate Patricii phyſica longe abeſt, nec praeſtare volumus, quod V. C. NIC. COMNENVS PAPADOPOLI [o] contendit, Gaſſendum tela in Ariſtotelicos ex pharetra Patricii vibraſſe; licet hoc plerique fuerint, qui poſt Patricium in Ariſtotelem, etiam noſtro tempore, inſurrexerunt. In reliquis, quas diligenter excoluit vir eruditiſſimus diſciplinis nouatorem egit [p], nouam enim geometriam, rhetoricam et poëticam condidit, viris doctis paſſim valde probatas [q]. Quemadmodum *Parallela militaria* eius ob eximiam veteris literaturae copiam tantopere placuerunt, vt a multis exſcriberentur [r], id quod dudum obſeruatum Scaligero, *alios, qui hoc ſtudium tractarunt, ad verbum eum ſequi, tamen eius nomen ne ſemel quidem memorare.* Quibus verbis pungere videtur Iuſtum Lipſium, in eodem ſtadio currentem [s]. Tacemus libellum eius *de ſcribenda Hiſtoria*, et *Commentarium in Polybium*, teſtes eruditionis eius. Non confundendus noſter cum Franciſco Patricio, epiſcopo Caietano, Senenſi, libris *de Regno et regis inſtitutione*, et *de optima Reipublicae gubernatione* claro [ſſ]. Is enim integro ſeculo vetuſtior anno MCCCCXLVII Senis capite plexus eſt [ſſ]. Veriſimile tamen noſtrum ex eadem familia progenitum fuiſſe, nam ad Senenſes origines ſuas retulit.

Platonici ſeculo XVII.

§. XIV. Non tam laeta Platonicae philoſophiae fortuna ſeculo XVII fuit: in eo enim coeperunt paſſim viri docti imaginaria principia, quibus naturalis philoſophia a plerisque ſectariis philoſophis hactenus repleta erat abiicere, et metaphyſicis ſpeculationibus phyſica experimenta deductasque ex naturali fonte regulas ſubſtituere. Celebritas Platonis tamen nonnullis perſuaſit, vt in eius caſtris militarent, ita tamen, vt eius ſyſtema integrum non reciperent, ſed vel cum Ariſtotele ſuisque placitis coniungerent, vel ad doctrinam eccleſiae effingerent. Vnus Henricus Morus Platonico-Pythagoream philoſophiam cum Cabbaliſtica copulauit et tradidit, cum huius facies paulo melius, quam ante id tempus, innotuiſſet. Verum dicemus de eo in ſequentibus ex inſtituto. Inter Germanos dogma de ideis, quod eſſe caput atque cardinem Platonicae philoſophiae *Tomo primo* demonſtrauimus, a Platone mutuatus eſt, illique comto, ornato et cum Ariſtotelicis formis in concordiam ire iuſſo nouum doctrinae naturalis ſyſtema inaedificauit IOANNES MARCVS MARCI a KRONLAND philoſophiae ac medicinae doctor, eiusdemque facultatis medicae in vniuerſitate Pragenſi profeſſor ſenior, ac phyſicus regni Bohemiae, vir doctus et ſubtilis, et praeter philoſophiae notitiam, linguas quoque Hebraicam, Syriacam, Graecam doctus, qui humanae natu-

Ioannes Marcus Marci.

o) Hiſt. gymnaſ. Patauini T. II. L. II. c. 35. n. 212. p. 258.
p) Vid. Obſ. Hal. T. VI. Obſ. 15.
q) TEISSIER l. c. MORHOF. l. c. T. I. L. VI. c. 1. §. 12. p. 947.
r) ERYTHRAEVS l. c. TEISSIER p. 323.
s) Conf. Lex. Hiſt. vniu. T. III. art. Patricius p. 817. edit. Baſil.
ſ) Vid. BAYLE l. c. not. A.
ſſ) Confuderunt vtrumque KOENIG. in Bibl. DORNIVS ad Ionſium L. III. c. 25. §. 1. p. 138. Io. FABRIC. Hiſt. Bibl. ſuae l. c.

naturae debitum persoluit anno salutis MDCLXVII, aetatis LXXII. Is cum naturalem philosophiam qualitatum occultarum principiis nec claris nec certis fluctuare magis et incertissimam reddi, quam ad legitimam metam deduci cerneret, clariora et paulo verisimiliora illis substituere, et quid per istas qualitates occultas intelligendum sit, quid de specificis et totius substantiae qualitatibus statuendum, declarare constituit. Totam tamen earum cateruam explicare cum prolixius opus esset, quam ipse sibi deliniuerat, eam tantum partem sibi illustrandam sumsit, quae in virtutem plasticam, seu seminalem, inquirit. Quam vt luce illustriori donaret, ad idearum hypothesin confugit, earumque ad formandas res naturales ad materiam concursum peculiari libro explicuit, hoc inscripto titulo: *Idearum operatricium idea, siue detectio et hypothesis illius occultae virtutis, quae semina foecunda et ex iisdem corpora organica producit* [t]. Hoc philosophiae nouae specimen, cum multos ideae nomine inusitato in scholis physicorum offenderet, et idearum Platonicarum hypothesis cum iis commisceretur, suas Iunones suosque angues sensit. Ipse sane auctor conqueritur [u], *multos cum legerent, obtrectationem pro fine habuisse, aut per saltum ea, quae carpere possent, more canum ex Nilo lambisse; alios quamuis bene affecti legerent, assequi non valuisse. Placuisse tamen viris summis illam hypothesin* ipse testimoniis nonnullis roborat. Nouo itaque commentario eam illustrare aggressus, dum de eo cogitat, prodiit Helmontius, miro euentu Aristotelica et Galenica physicorum dogmata proculcans. Cuius philosophiam cum nouam, crudam, et insolentem esse cerneret Marcus, eam, a principe quodam viro examinare iussus, vbi ideas quoque seminales et operatrices introductas vidit, necessarium tandem aliquando esse putauit, suam de his ideis, quam Hippocraticis et Aristotelicis placitis viciniorem iudicabat, opinionem latius explicare, et qua ratione mediantibus istis ideis seminalibus mundus ex chao euolui coeperit, quemque partes singulares in ea euolutione ordinem, nexum mutuumque consensum habeant, exponere. Edidit itaque *philosophiam veterem restitutam, in qua de mutationibus, quae in vniuerso sunt, de partium vniuersi constitutione, de statu hominis secundum naturam, et praeter naturam, et de curatione morborum libris quinque* agit [v]; qui liber post auctoris fata ob exemplaria distracta, denuo recusus est [w]. Non patiuntur limites tractationis nostrae, vt totum philosophiae huius naturalis typum hic sistamus, paucis tamen summam eius indicabimus, vt constet, quid a Platone acceperit, quid Aristoteli formas siue ideas materiae immersas statuenti concesserit, in quibus cum Helmontio senserit. Multa enim in eo libro sunt, quibus Aristotelicorum et Scholasticorum placita oppugnauit, et imprimis Arriagae systema refutauit. Nempe explosa materia prima Peripateticorum et Scholasticorum, vnum tantum principium cum Parmenide et Melisso assumit, nempe quoad essentiam, et en-

t) Pragae 1635. 4. u) In Praef. libri laudandi. v) Pragae 1662. 4. w) Francof. 1671. 4.

et entitatem, quod et cauſſa ſit accidentium, et ſubiectum quod recipiat, idque materiae primae ſurrogat. Quamuis autem hoc meram hypotheſin ſapiat, non reiiciendum tamen putat, eo quod doctrina ex hypotheſi non mereatur reprehenſionem, ſi ea quae huic nituntur, ſibi cohaereant. Formam vero ſubſtantialem eſſe faſſus, actum eam eſſe definit compoſiti phyſici ſeu corporis naturalis, prout per animam idem conſtituitur in eſſe corporis magis perfecti, hoc eſt, organici poteſtate vitam habentis: has formas ſubſtantiales eſſe, ait, vnam entitatem ſimplicem, differre tamen a ſe per eam ſpecies; nihil vero anima deſtitui, neque aliquid de nouo fieri, ſed omnia ab illa entitate, quae nihil eſt actu eorum, quae ſunt, poteſtate vero omnia, prouenire. His principiis generaliſſimis, quae, quo pacto in homine locum habeant acute contra Arriagam oſtendit atque tuetur, partium vniuerſi conſtitutionem inaedificat; et poſtquam monuerat, eſſe differentiam inter ideas ſeminales et ſpecies imaginatiuas, ita de rerum omnium ortu ſtatuit: Chaos prima euolutione idearum diſtingui coepiſſe in mundum coeleſtem et ſublunarem, potuiſſe tamen ex hoc ideas coeleſtes, ex illo terrenas euolui, eo quod cognatio inter vtrumque mundum ſit: euolutionem idearum per lucem coepiſſe, terram, animalia et reliqua ex idea propria ſuam figuram et conſtitutionem obtinere, omnes vero mundi partes ex chao ortum cepiſſe, neque alia vi, quam ſeminali ſuam perfectionem adeptas eſſe: poſſe autem ideas ſeminales ex vna ſerie excitare ideas in alia ſerie euolutas. Porro, coelum, contendit, influere in haec inferiora, fierique actiones ſtellarum per lucem aut non absque luce, et pro diuerſo ſitu et aſpectu vires earum et influxum variare. Non tamen coeleſtes influxus ad ſolum, lumen tanquam ſui vehiculum, neque ad magnetiſmum planetarum limitari, ſed eſſe mutationes ideales, ſtellasque per ſui generis ideas in ſe continere effectus ſublunares, euocari vero ideas in planetis latentes per lumen varie illapſum. Per has ideas ſubiecto materiali impreſſas, non poſſe fieri communionem inter ſtellas et res ſublunares. Quibus poſtea aſtrologorum praecepta hypothetice aſſumta applicat, vt oſtendat, quinam effectus proueniant a ſtellis. Tum ad res ſublunares progreſſus, principia actionum in brutis fieri per ideas ſeminalibus ideis connexas, ſtatuit, et ideas, ait imaginatiuas ideis ſeminalibus connexas ad haeredes quandoque tranſire, et alias impreſſiones cauſſare. Archeum autem eſſe ſyſtema idearum, et non ſolum ad fabricam corporis, ſed etiam illius vſum et actiones ſecundas determinare. Ita conſtitutione partium vniuerſi generali explicata, haec ad ſpecialem applicat, et quid coelum, quid aër, quid lumen faciat, exponit, quae vero huc apponere locus non patitur. Maxime vero parte tertia operoſus eſt, in illuſtrando ſtatu hominis ſecundum naturam, in qua tractatione ideae vtramque paginam faciunt. Fatendum, in his φιλοσοφεμένοις magnam eum oſtendiſſe ingenii ſubtilitatem; eam autem magna quoque obſcuritate laborare, et precariis niti ſuppoſitis fatebuntur, quicunque librum cum attentione legerint.

gerint. Quod si enim ideas has, ex Platonicis ideis, Aristotelicisque formis fabrefactas ab archeo Helmontiano simpliciter neges, tota corruit physiologia Marci; eaque omnia recte illi obiiciuntur, quae ideis Platonicis opponuntur, esse eas τερατίσματα, et imaginationis lusus, nec eas vllibi existere, nisi in cerebro Marci, cui tamen mirifice placuerunt: vnde exiguo, si quid iudicamus, philosophiae naturalis damno, parte libri speciali, de ideis operatricibus actura, caret orbis eruditus, auctore morte praeuento. Quamuis autem auctor ideas suas a Platonicis valde distinguat, fatendum tamen, ex eadem eas officina prodiisse: has enim formas substantiales non minus ac Plato a Deo deriuat, ita creatas, vt etiam extra materiam et subiectum suum existere possint, immo adeo tenaciter adhaereant subiecto, vt quanquam corpus organicum turbatum omnino sit, ipso tamen puluisculo vniantur, et iunctae impressaeque chao essentiam formamque largiantur. Pone vero, has ideas aeternas esse in Deo, quod vnum negauit Marcus, sed creatas dixit, et habebis ideas Platonicas, sed miro connubio cum rationibus seminalibus Stoicorum confusas. Quae an principia explicent, sensus implentia et pectus saturantia, merito cum MORHOFIO x), ambigimus.

Platonismus in Britannia florens.

§. XV. Posset quidem in hunc quoque censum referri illud philosophorum genus, quod contemta humanae sapientiae dignitate diuiniorem doctrinam iactauit, et theosophicam eruditionem crepare ausum est; illud enim nec Platonica ista, nec Cabbalistica contemsit, sed cum somniis suis mira audacia copulauit. Verum adeo singularis indolis est ista philosophia, et proprium characterem seruat, vt seorsim considerari mereatur, dicemus ergo de ea infra peculiari capite. Nulla tamen in gente Plato fauentiores sibi viros doctos expertus est, quam in Britannia. In ea quidem, vt ingeniorum acutissimorum ferax est, non defuere, qui Platonicam philosophiam valde deprimerent, et de naeuis quoque in ea conspicuis doctos viros monerent. Id quod praecipue in Oxoniensi academia factum esse, ex viri perspicacissimi SAMVELIS PARCKERI *Censura philosophiae Platonicae* y), libro pererudito et ingenioso, et ad intelligendum Angliae Platonismum, qui tum caput efferre coeperat, vtilissimo, discitur. Ast magnos tamen viros, et eruditione illustres, praecipue theologos Cantabrigienses in diuersum abiisse, et plerosque veterem philosophiam excoluisse, nulli autem sectae, excepta Platonicorum disciplina adhaesisse, testis est vir clarissimus GVIL. WOTTONVS z), GILB. BVRNETVS * autem haud obscure prodidit, Hobbesii philosophiam, quae

x) Polyhist. T. II. L. II. P. II. c. 1. §. 8. p. 276. conf. L. 1. c. 7. §. 18. p. 41.

y) Prodiit lingua Anglica Oxon. 1666. 4.

z) In elogio Thomae Burnetii, quod Actis philosoph. Vol. III. p. 435. inseruit praestantissimus HEVMANNVS.

*) Hist. temp. sui 1661. T. II. p. 187 seqq.

quae eo tempore magnum inter Britannos ſtrepitum excitauit, et ob impietatem, quam nutrire credebatur, imprimis theologis vehementer inuiſa fuit, viris doctis perſuaſiſſe, vt Platonicam philoſophiam ſectarentur: quae cum Hobbeſianis placitis in plerisque e diametro aduerſa ſit, exculta, emendata et ad primos Hebraeorum, ex quibus fluxiſſe credebant, fontes reuocata, plurimum reſiſtere poſſe impietati hominis ad aulae plauſum gentisque ſuae propenſionem philoſophiam attemperantis videbatur. Certe in Cantabrigienſium theologorum ſcriptis tela, quae innumera in Hobbeſium vibrabant, pleraque ex Platonica pharetra deſumta eſſe, rerum intelligens Lector ſine labore deprehendet. Inter hos maxime Platoni fauerunt Witchotus, Wilkinſius, Whortingthonus, Widdringthonus, Morus, quique ex horum diſciplina prodierat, Thomas Burnetius. Quamuis enim viri iſti doctiſſimi et iudicii acumine non deſtituti faterentur †, in naturali philoſophia parum claruiſſe Platonis ingenium; quem notionibus metaphyſicis circulos phyſicos turbauiſſe probe videbant: non tamen prorſus contemnenda eius ſcripta phyſiologica eſſe iudicabant, et inſignem ex illis vſum in refellendis impietatis patronis ſibi promittebant, eo quod Plato, vt non nemo eorum ſcribit *, *cum diu verſatus eſſet in Aegypto, retulerit archaeologias haud paucas, et hinc priſcae ſapientiae priſcique mundi veſtigia in Timaeo, Politico, Phaedone, aliisque diſſertationibus impreſſerit, deſumta ex ipſis Hermetis columnis.* Aſt in theologia et diſciplina morali merito diuinum nuncupandum eſſe ſtatuebant, vnde Witchotum philoſophiae ſtudioſis Platonem Plotinumque nocturna diurnaque verſandum manu commendauiſſe, teſtis eſt, Gilb. Burnetvs. Nemo tamen eorum tantum Platonem Platonicosque extulit, et ad omnem ſapientiam diuinam pariter et humanam explicandam aduocauit, quam Theophilus Galeus, Radulphus Cudworthus, et Henricus Morus, de quibus iam porro paulo curatius agendum, et qua ratione Platonem ſecuti ſint diſpiciendum eſt.

Theophilus Galeus.

§. XVI. THEOPHILVS GALEVS Deuonienſis fuit, eccleſiae, quae partes presbyterianorum ſequitur, miniſter, denatus anno MDCLXXVII. Vir doctus, et in ſcriptis veterum verſatiſſimus, quod copia lectionis in eius lucubrationibus obuia ſatis oſtendit. Vnde clarum inter ſuos nomen adeptus eſt, quod tamen melius adhuc illuſtrauit, qui parentem eruditione, praecipue Platonica, vicit, filius Thomas Galeus, cui elegantiſſimam Iamblichi *de Myſteriis Aegyptiorum* editionem et alia nonnulla [a], ad veteris literaturae et philoſophiae hiſtoriam apprime facientia debemus. Valde hunc virum eruditum, ſed meliorem theologum quam philoſophum offenderat [b] noua philoſophia, quae, duce Carteſioo, aput efferre coeperat, et inter Britannos nonnullis ſe commendauerat,

†) Burnet. Archaeol. c. 13. p. 438.
*) loc. cit.
a) Syllogen Scriptorum mythologicorum et ethicorum ſuo loco inter ſcripta de Pythagora recenſuimus. Edidit etiam Rhetores ſelectos, Hiſtoriae poëticae ſcriptores antiquos, Collectionem Hiſtoriae Britannicae.
b) Narrat haec ipſe in Praef. philoſ. generalis.

rat, magna autem ostentatione a transmarinis extollebatur, theologis reformatis inter Batauos e contrario omnia suspicionibus et querelis contra eam mouentibus. Displicebat viro docto, totam philosophiam moralem missam facere recentiores philosophos, mordebatque eius animum, quod sibi persuasisset, quosdam inter eos bellum toti indicere Euangelio; iudicabat enim, ex criterio: quicquid clare et distincte percipio, illud verum est, et ex primo principio: de omnibus dubitandum, innumera nouarum opinionum monstra eos comminisci, exindeque plurimis peregrinis monstrosisque erroribus in theologia animos eorum inolescere, eosque tandem omni diuinitatis sensu denudatos irridere mysteria fidei, et philosophico fastu temere insolentes, Dei spoliis suam ornare rationem, ac ne sine ratione desipere videantur, eam fidei regulam ac mensuram constituere. Quam pestem religionis cum ferri non posse iudicaret, indignareturque, obrui orbem turba philosophorum, qui nimis fidunt ratiociniis suis, ad reformandam philosophiam animum adiecit, hoc sibi, vt habent eius verba, proponens: *Philosophiam ad suum originarium exemplar, primaeuamque ideam reducere, vt genuina philosophia a simulata ementitaque ac verus philosophiae vsus ab abusu discriminetur.* Statuebat autem, primaeuam istam ideam philosophicam esse verbum Dei, variis modis variisque ecclesiae curriculis reuelatum. Ab hac prima philosophia, barbaricam et Graecanicam suam originem vitalemque spiritum traduxisse: hanc esse illam perantiquam philosophiam a Timaeo Locro et Platone commendatam. Quod cum semel certum atque fixum sibi posuisset, ita in gentilium philosophorum scriptis, caute versandum esse iudicabat, vt theologia non ad philosophiam exigatur, sed philosophia aequa theologiae siue primaeuae veritatis lance trutinetur, sicque ex ethnicorum philosophematis reportetur, quod nobis proprium est, et veritati affine, reliquis abiectis. Commendabat autem selectum, ex optimis quibuscunque factum, eademque ex caussa valde extollebat sectam eclecticam, a viris praestantissimis, nimirum a Potamone Plutarcho, Ammonio magno, Platino, et ceteris aureae successionis viris vsurpatam, et a Clemente Alexandrino summis laudibus elatam. Quem scopum sibi constitutum vt exsequeretur, ducemque se praeberet iuuenibus ad meliorem philosophiam, magno vt ipse ait, molimini manus admouit, et perdifficile opus atque spinosam rem aggressus est. Nempe congestis ex omni veteri literatura testimoniis *Philosophiam generalem* edidit c), in duas partes disterminatam, vnam de ortu et progressu philosophiae, eiusque traductione e sacris fontibus, quam cum ad Platonem recta serie peruenisse crederet, fusissime tractauit de philosophia Platonica; alteram, in qua historia est de minorum gentium philosophis praemissa disputauit de nouem habitibus intellectualibus, de philosophiae obiecto, subiecto, finibus, adiunctis, discrimine a theologia, praestantia, effectis, corruptione, recto vsu, partibus, nec

c) Londini 1676. 8.

non philosophorum characteribus et officiis. In hoc magnae molis libro eclecticum quidem philosophiae vultum fingit, et prae se fert, reuera autem id agit, vt demonstrata successione philosophiae Hebraeae ad Platonem vsque pertingente, hanc ante reliquas omnes velut optimam commendaret. Licet enim protestatione interposita, fateatur, „se Platonis „errorum, qui varii et magni sunt, nequaquam patronum esse velle, sed „in hominis ethnici tenebris quasdam veritatis primaeque philosophiae „scintillas inuestigare sibi proposuisse, non errorem, sed veritatem com„mendare, et verum a falso secernere moliri, omnes Platonis opiniones, „quae ab orthodoxa fidei et sacrae philosophiae amussi deflectunt, toto „pectore detestari": fatendum tamen, falsum praeiudicium, cui satis confidenter fidem habet, Platonem de rebus moralibus atque diuinis praeter ceteros omnes accuratius et sublimius philosophatum diuini nomen recte meruisse, virum doctum in transuersum egisse, vt et pro Platonicis haberet, quae ab ipso Platone profecta haud sunt, et ad sacros sensus Platonicorum sequiorum dicta, ipsiusque Platonis effata inepte obtorto collo raperet, et frigidis ratiunculis sine vlla veri specie, vbique Hebraeorum sapientiam creparet. Non recensebimus librum, maioris molis, quam vt locum in hac pagina eius summa inueniat; faciet desiderantibus eam satis praestantissimi HEVMANNI diligentia [d]: illud modo instituti nostri memores monemus, quod attento rerumque gnaro Lectori sponte in mentem venire credimus, Galeum virum pium et doctum, et vt mos erat theologorum eo tempore in Anglia viuentium, insanum immodicumque pretium antiquitati ecclesiasticae statuentem, seductum vetusto isto PP. ecclesiae praeiudicio, ab Hebraeis ad gentiles et imprimis ad Platonem priscae et primaeuae veritatis traditionem peruenisse, habereque hunc philosophum, multo plus, quam alios philosophos, quae diuinae veritati vindicanda et Christianis afferenda sint, quadrata miscuisse rotundis, sacra cum profanis confudisse, et nec fidei historicae regulis, consarcinatis, quaecunque poterat, sine examine testium satis, quod est, feciisse, nec veram Platonis mentem fuisse affecutum, et imprimis recentioris Platonismi Alexandriae formati larua, quam ab ἐκλέξει philosophica petiit, deceptum, ea sana putauisse, quae morbidum philosophiae corruptae corpus offerunt. Maxime vero origines historiae philosophicae inepta ista PP. hypothesi vehementer corrupit; quo factum est, vt librum istum, alias ob infinitam veteris literaturae copiam, quam vbique sparsit, saltem in philosophiae historia non contemnendum, in vsum adhibere nemo secure possit, qui non contra inepta praeiudicia ista rite armatus est, et iudicium vbique interponere nouit. Reliqua autem, quae de aliis philosophis habet, ex Laërtio desumta sunt omnia, et sine crisi accurata descripta, neque tamen ab hoc naeuo immunia. Cuius exemplum esse potest, quod Aristotelicam philosophiam, in puram et impuram diuidendo, istam

d) Act. philos. Vol. III. p. 793.

istam mediante Platonis canali Stagiritam a Mose accepisse, nescio ineptius, an falsius asserit. Eadem vero lyra cum in altero quoque opere [e], oberrauerit Galeus, cuius summam exhibet IAC. BASNAGIVS [f], quid de eo statuendum sit, nobis non monentibus quilibet intelligit.

Radulphus Cudworthus.

§. XVII. Accuratiori meditatione, maiorique iudicii vsu Platonicam philosophiam examinauit, et ad refutandos impietatis patronos in partes vocauit RADVLPHVS CVDWORTHVS. Cuius viri longe doctissimi immortale *Systematis intellectualis* opus toties in partes vocauimus, excussimus, emendauimus, vt vel solo hoc nomine non indictus nobis omittendus sit. Is quamuis, vt temporis illius, quo viuebat, circumstantiae postulabant, caute prudenterque in Platonismo in partes vocando versatus sit, quod, teste BVRNETO [ff], aduersariis eius occasionem subministrauit, versutiae et dissimulationis eum accusandi, non tamen ita occultare eum, quo in Platonicam disciplinam ferebatur, amorem potuit, vt non satis luculentis vestigiis se proderet. Vitam viri praestantissimi enarrauit, et praeclarissime non de Cudwortho tantum, eiusque excellenti opere, sed et de ipsa disciplina sacra et philosophica meruit, celeberrimus operis interpres magnus MOSHEMIVS, ex cuius narratione [g], strictim Cudworthi biographiam sistimus. Lucem aspexit Cudworthus Allerae in comitatu Somersettensi anno MDCXVII, patre genitus theologo elegantis doctrinae et celebris nominis. Quo mature orbatus a vitrico, tanta fide educatus est, vt scientiarum elementis artiumque initiis prudenter matureque initiaretur. Cumque puero inesset indoles excellentissima, ingeniique acumen magnum, et insolitus discendi ardor, inter praecocis eruditionis pueros referri meruit. Tredecim enim annos natus, in collegium S. Immanuelis apud Cantabrigienses receptus et biennio post ciuibus academiae adscriptus est. In quo stadio tanta alacritate et ingenii felicitate cucurrit, vt ob magnos, quos in philosophia fecerat, profectus magistri artium titulo iureque donaretur, et inter socios collegii S. Immanuelis anno MDCXXXIX reciperetur. Quo in loco positus tantum eruditionis rarae et insolitae fulgorem vbique sparsit, vt ante alios praestantissimi adolescentes eius curae et institutioni committerentur. Accessit pastoris primarii, siue rectoris munus, in vico vicino stipendio lautissimo pingue. Post haec praefectus aulae Clarensis apud Cantabrigienses constitutus est, creatus anno MDCXLV regius linguae Hebraeae professor, cum in ea lingua et antiquitatibus Hebraeorum plurimum valeret, qua propter munere sacro se abdicauit, totumque se academicae vitae et institutioni summa cum laude tradidit, eruditionemque probauit omnibus. Sumtis vero honoribus theologiae summis, tandem anno

e) Court of the gentiles 1672.

f) Hist. des Iuifs T. III. c. 4. p. 421.

ff) Hist. sui temporis T. II. 1661. p. 187.

g) Eam ex actis academiae Cantabrigiensis et chartis Cudworthianis aliisque fide dignissimis memoriis ex Britannia missis magna accuratione conscripsit illustris editor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MDCLIV collegio Christi praefectus datus et sacras literas docere iussus est. Cui muneri tanta fide et dexteritate, tanta doctrinae copia praefuit, vsque ad vitae finem, quem anno MDCLXXXVIII, aetatis LXXI, habuit, vt maxima omnium de eo esset opinio, isque inter summa scholae illius totiusque Angliae ornamenta, calculum adiicientibus bonis quibuscunque numeraretur. Quantus autem vir fuerit, quanta vsus sit iudicii acrimonia, qua ingenii felicitate, qua eruditionis vbertate, scripta eius testes sunt omni exceptione maiores. Cum enim profundis meditationibus metaphysicis iudicandi acies affatim sufficeret, lectio autem vastissima, ex abundantissimo veteris et recentioris literaturae penu innumera suppeditaret, et memoria ille gauderet plane insolita, mirum non est, φιλοσοφέμενα sua subtilitate difficillima et profundissima perspicue tamen et eleganter ornata literisque humanioribus commendata eum protulisse. His accessit animus pius, magnoque pro caussa Dei feruore accensus, cui immortale *intellectualis Systematis* opus debemus, atheismi fautoribus oppositum, de quo cum iam saepius mentionem fecerimus, plura non cumulamus, praecipue cum incomparabilis MOSHEMII versione Latina, emendationibus et illustrationibus auctum iam in omnium manibus sit, qui veteris philosophiae cognitionem solidam amant et sectantur. In eo autem opere satis prodidit, quas sibi in philosophia partes sequendas proposuerit. Nempe in doctrina naturali atomisticum systema sequitur, ita tamen, vt deserto Democrito et Epicuro, quos primarios impietatis patronos esse iudicabat, naturas iis medias, quas plasticas vocabat, adiungeret; quas cum hypothesis gratia P. Baylio, Manichaeorum systema κατ' ἄνθρωπον defendenti opponeret Ioannes Clericus, longa inde disputandi series et magna vtrique viro celeberrimo fabula enata est [h]. In metaphysicis autem et theologia naturali, sui temporis morem apud Cantabrigienses inualescentem secutus, Platonicam philosophiam Alexandrino habitu indutam magnopere adamauit, cumque Platonicorum recentiorum ex Ammonii schola libros magna diligentia legisset, multoties in eorum castra transiit, et imprimis Plotinum studiose secutus est. Quo factum, vt non modo horum hominum rationem philosophandi imitaretur, sed et nimis illi philosophiae tribueret, ratus vetustissimae Hebraeorum sapientiae vestigia in illa satis luculenta deprehendi: quae occasio illi fuit in quibusdam offendendi, eorumque errores, maxime de diuinis principiis excusandi palliandique [i]. Quos tamen viri cetera summi lapsus, ex nimio Platonismi amore enatos cum post eruditissimum interpretem nos in historia Platonicae doctrinae, et scholae eclecticae diligenter notauerimus, ea hoc loco, quae ibi dicta sunt, non repetimus.

§. XVIII.

h) Historiam controuersiae narrat MOSHEM. in Praef. libri laudati.

i) Patuit id in doctrina de Trinitate, putabat enim vir celeberrimus, veram de tribus in Deo naturis doctrinam ab Hebraeis ad Platonem, et ab hoc ad iuniores eius discipulos peruenisse, ideoque Platonicorum tres archicas hypostases a Christianorum trinitate non nisi vocabulo differre.

§. XVIII. Nemo vero seculo XVII philosophi Platonico-Cabbalistici nomen vel meliori iure meruit, vel maiori eruditione tueri sategit, quam HENRICVS MORVS, amicus et collega Cudworthi, in academia Cantabrigiensi. Is vitae historiam, quatenus ad hanc nostram tractationem pertinet, ipse descripsit [k]. Editus in lucem est anno MDCXIV, literisque ab ineunte pueritia a parentibus destinatus, cum ingenium illi acre contigisset, haud poenitendos profectus nactus est. Cui agro natura foecundo cum inspergerentur disciplinarum semina, iis artibus quibus ad praeclara quaeuis adolescentes eruditi solent, ita innutritus est, vt in Cantabrigiensem scholam transferri potuerit, ad absoluendam, quam texere feliciter coeperat, studiorum telam. Quam in palaestram delatus non modo optimorum, praecipue veterum scriptorum lectione animum satiandi, sed et rerum veritatem philosophia duce altius, quam vulgo fieri solet, inspiciendi desiderio totus flagrans in philosophicarum scientiarum cognitionem omnem suam diligentiam conuertit, idque in studium, vt ipse ait, totum se ingurgitauit. Vsus autem est Aristotele, Cardano, Iulio Caesare Scaligero, aliisque celeberrimi nominis philosophis, quorum scripta diligenter euoluebat. Multorum enim, qui sola Aristotelis lectione se exsatiari non patiebantur, eo tempore opinio fuit, satisfeciisse se desiderio suo, eclecticam quandam philosophiam excolendi, si ea legissent, de quibus aduersis inter se signis concurrerunt Cardanus et Scaliger. Nec negat Morus, in quaedam se subinde incidisse satis argute, et aliquando solide dicta, fatetur autem, pleraque aut tum falsa sibi visa esse, aut incerta, aut triuialia denique et obuia, vt plane operam se lusisse in istiusmodi scriptoribus legendis apud se reputaret. Nec a Scholasticis meliora haurire poterat, quorum speculationibus nimis subtilibus in periculosos aliquando errores incidit. Cum enim spinosam, quae inter Thomistas et Scotistas agitatur, quaestionem de principio indiuiduationis [l] abstrusiore aliquando meditatione esset rimatus, in eam opinionem incidit, se non vnum aliquod esse indiuiduum distinctum et completum, sed membrum ingentis cuiusdam vel immensi potius indiuidui intelligentis, vt pollex membrum est hominis, cui soli datum sit, quis ipse sit plane intelligere. Nec tacet, ambiguis Scholasticorum disputationibus factum esse, vt ex horum philosophorum lectione incertior semper discesserit, etiam in illis rebus, de quibus cognitionem certam apud eos quaerebat, sic vt in merum tandem scepticis-

Henricus Morus.

k) In Praef. Opp. philosoph. Londini 1676. fol. 2. Voll. editorum. Conf. Bvddevs Introd. in Hist. phil. Hebraeor. §. 35.

l) Doctam subtilisque meditationis plenam dissertationem de Principio Indiuiduationis dedit sub Iacobi Thomasii Praesidio illustris G. G. Leibnitivs, anno 1663. Qua occasione historiam famosae controuersiae enarrauit Thomasivs, inter Praefationes eius XLIII. p. 246. occurrentem. Non potuit non autem ista dubitatio Mori ex hac Scholasticorum controuersia oriri, cum plerique materiam pro principio indiuiduationis, ab Aristotele seducti haberent. Ex eo enim necessario sequitur, res omnes ipsis hominibus non exceptis, specie quidem non distinctas, sed numero, eandem habere essentiam, esseque particulas eius licet numero differentes. Et tamen Thomas Aquinas is fuit, qui materiam signatam indiuiduationis principium diceret, cui haecceitatem suam oppposuit Scotus, entitatem Occam.

ſcepticiſmum philoſophia abierit. Relicto itaque Lyceo, totaque diſciplina Peripatetica ad Platonicos conuerſus, Ficini commentationes, eoque duce ipſum Plotinum, Mercurium Trismegiſtum huiusque generis alios legere coepit, quibus theologiam Germanicam adiecit. In quibus licet nonnulla triſtioris temperamenti veſtigia et lapſus quosdam animaduerteret, vehementer tamen illi arriſit commendata κάθαρσις et lumen a Deo ſolo quaeſitum, eo quod ſatis clare videret, illam, quam hucusque ſectatus erat ſcientiam veri ſitientem animum non explere, nec ad eius felicitatem quicquam conferre poſſe; ſentiretque, nihil rationi ſuae intimaeque conſcientiae connatum magis et conſentaneum eſſe, quam vt voluntatem propriam penitus exuat, nec ſibi viuat, ſed Deo ſoli, eiusque inſtinctu peragat omnia. Quem conſcientiae ſtimulum ad arripiendam veram philoſophandi rationem cum ſequi conſtituiſſet, magnum inde, ait, conflictum luctamque exortam eſſe inter diuinum hoc principium, naturamque animalem, cum nulla iam tergiuerſandi relicta eſſet opportunitas, repugnaret autem voluntatis propriae pertinacia ſubinde recurrens. Frequentiori vero certamine victoria potitum id ſe conſecutum eſſe aſſerit, vt reliqua ſtudia prae numinis amore vileſcerent ſibi atque ſorderent, et temperata illa rerum ſciendarum cupiditas atque ſitis extingueretur. Quam philoſophandi viam ingreſſus, totusque deſiderio plenioris vnionis cum diuino coeleſtique hoc principio ardens, vbi inordinatum illud multa ſciendi deſiderium refrixiſſet, et ad ſolam ille hanc animi ſimplicitatem puritatemque anhelaret, maiorem, narrat, ſibi indies, quam expectare potuerit, etiam earum rerum, quarum ſciendi maxima eum olim cupiditas inceſſerat, certitudinem illuxiſſe, ita vt intra paucos annos in laetiſſimum lucidiſſimumque animi ſtatum emerſerit, et plane ineffabilem. Haec de ſtudio ſuo philoſophico ipſe Morus. Quam narrationem ſine fuco eſſe facile viro acutiſſimo pietatisque ſtudioſo largimur, vtrum autem eo philoſophiae genere, quod poſtea ſectatus eſt; quodque Pythagorico-Platonico-Cabbaliſtica dogmata ſuppeditat, illum diuinae lucis illapſum acceperit, et annon inter optime cogitata nonnunquam imaginationis, quam foecundiſſimam alebat, luſu deceptus ſit, Lectori ad philoſophiam eius, praecipue metaphyſicam attendenti, cogitandum relinquimus. Illud certum, virum longe eruditiſſimum ab eo tempore a philoſophia ad ſacras literas transgreſſum, eam ſanctioris diſciplinae notitiam ſibi acquiſiuiſſe, vt inter praeſtantiſſimos Angliae theologos numeraretur [m]. Summis itaque ſacrae theologiae honoribus auctus per varios gradus ad publici diuiniorum literarum profeſſoris munus in academia Cantabrigienſi aſcendit, in collegium Chriſti cooptatus. Quo loco poſitus cum ad amplificandos veritatis diuinae limites operam laboremque conferret omnem, mors eum oppreſſit anno MDCLXXXVII, relicta laude magni celeberrimique theologi. Maxime autem in laudabili conſilio cum collegis, praecipue Cudwortho conſpirauit, impietati inter ciues

m) BVRNET. Hiſt. ſui temp. loc. c.

ciues suos obtentu philosophiae grassanti fortes lacertos obuertendi, eneruandi rationum speciosarum insultus, licentiae nec modum nec colorem impudentiae ponenti metam figendi et obicem, hypocrisin fanaticorum denudandi, schismati doctorum virorum discordiisque in ecclesia natis occurrendi, et hoc pacto infelicitate sui temporis, sacrarum disciplinarum praesidio inculcata diuini numinis reuerentia et pietate ex parte medendi. Cui fini obtinendo nihil melius inseruire posse sperabat, quam si certas et demonstratas de Dei existentia naturaque rerum spiritualium notiones literarum studiosis ingeneraret. Vt autem ad hanc metam pertingeret, philosophiam Pythagoreo-Platonico-Cabbalisticam adhibuit. Nam et hunc occupauerat opinio late tunc in schola Cantabrigiensi regnans, vetustissimam Hebraeorum sapientiam ad Pythagoram et ab eo ad Platonem et sequaces peruenisse, et ex eorum scriptis, reiectis alienigenis primaeuae et arcanae veritatis rudera erui posse. Cum autem Cabbalistarum philosophiam ex eodem fonte promanasse crederet, sibique persuaderet, summa illa mysteria ab his magistris recludi, quibus ad verae diuinaeque sapientiae radios contuendos grassari licet, totum se isti philosophiae generi excolendo dedit, ita tamen, vt rationem liberam quoque in subsidium vocaret, vnde tria philosophiae suae fundamenta constituit, scripturam, Platonismum, et rationem liberam [n]. Quibus totum philosophiae suae aedificium superstruxit, eamque libris profundam meditationem prae se ferentibus explicuit, et contra aliorum obiectiones defendit. Id quod ita fecit, vt Cabbalisticam philosophiam esse veram illam et antiquam sapientiam ostendere, et quae inter Pythagorae et Cabbalistarum dogmata intercedat concordia, exponere, ac in quibus Cabbalistae recentiores a veteri sapientia defeciissent, explicare conaretur. Inde scripta eius philosophica enata sunt, quae hunc characterem prae se ferunt, nempe, *Coniectura Cabbalistica in tria prima capita Geneseos, s. Tentamen coniecturale interpretandi mentem Mosis in tribus illis Geneseos capitibus, secundum, triplicem Cabbalam, literalem, philosophicam et mysticam, siue diuino-moralem. Defensio Cabbalae triplicis*, quam quoque scripta *apologia contra SAM. ANDREAE Examen generale Cabbalae philosophicae* defendit. Tum *trium tabularum Cabbalisticarum decem Sephiroth siue numerationes exhibentium descriptio*, in qua consensum Pythagoricae et Cabbalisticae philosophiae demonstrare voluit. Porro, *Quaestiones et considerationes in tractatum primum libri Druschim, expositio Mercauae Ezechielis ex principiis philosophiae Pythagoricae praecipuisque theosophiae Iudaicae reliquiis concinnata. Catechismus Cabbalisticus siue Mercauaeus, fundamenta philosophiae siue Cabbalae Aetopaedomelisseae* [o], quibus inepta recentiorum Cabbalistarum philosophemata euertere fategit.

n) Conf. Cabbal. denudat. T. I. P. II. p. 14 seqq.

o) Plerâque haec scripta Mori Cabbalistica Tomo I. Cabbalae denudatae inseruit KNORRIVS.

git. Qualem autem Cabbaliſticae philoſophiae faciem Morus depinxerit, quibus eam fundamentis niti, in quibus capitibus cum Pythagorea diſciplina conſpirare crediderit, operae pretium eſſet, hoc loco paulo plenius exponere, niſi *Tomo ſecundo* eodem labore iam eſſemus defuncti, vbi Mori et Helmontii, principia Cabbaliſtica explicuimus. Quare Lectorem ad eum locum amandamus, nec ibi dicta otioſe repetimus. Cum autem praeiudicio iſto, Pythagoreo-Platonica cum ſacris Hebraeorum placitis conſpirare, totus eſſet occupatus, haud pauca ex ea diſciplina recepit, ita tamen, vt miro connubio cum Carteſianis nonnullis coniungeret: quo factum, vt a receptis opinionibus non fine inuidia et obtrectatione multoties abiret, et παραδοξοφιλίαν proderet. Cuius ſpecimen eſſe poteſt eius *Enchiridion metaphyſicum, in quo agitur de exiſtentia et natura rerum incorporearum, et quamplurima mundi phaenomena ad leges Carteſii mechanice obiter expenduntur, illiusque philoſophiae et aliorum omnino omnium, qui mundana phaenomena in cauſſas pure mechanicas ſolui poſſe ſupponunt, veritas falſitasque detegitur* [p]. In hoc enim libro, vt in tractatione *de Immortalitate animae*, inter alia his paradoxis ſubſcripſit: naturam ſpiritus habere extenſionem, quamuis corpore careat, Deum et ſpatium ſiue extenſionem coincidere, eſſe enim attributum eius, dari ſpiritum quendam naturae, ſiue principium hylarchicum, a Pythagora, Platone, Ariſtotele naturae nomine inſignitum, praeexiſtere animas et ſimilia, ex Platoniſmo deſumta; quibus acrem nonnullorum cenſuram meruit, vehementer improbantium, quod a ſimplicitate et puritate diuinae veritatis interdum receſſiſſet [q]. Mirandum autem, cum Morus Platonica et Cabbaliſtica tanto ſtudio ſecutus ſit, potuiſſe ei Carteſiana quaedam adeo placere, vt coſmogoniam Moſaicam ſecundum principia Pythagorica, Cabbaliſtica et Carteſiana explicare ſuſciperet. Id enim in *Cabbala triplici eiusque defenſione* fecit, ratus phyſiologiam Carteſianam clauem exhibere ad Coſmologiam Pythagorico-Cabbaliſticam et hanc ad Moſaicam, id quod recte, niſi fallimur, viris doctis improbatum eſt [r], et a tanti iudicii viro fieri potuiſſe, vt gryphes equis iungeret, mirandum eſſet, niſi innumeris exemplis conſtaret, ad quae abſurda perducat ſyncretiſmi ſtudium. Quamuis autem in natura rerum explicanda Carteſium prae aliis ſapuiſſe cenſeret, tantum tamen abeſt, vt omnem eius philoſophiam probauerit, vt potius candide moneret, quae in ea ſibi diſplicuiſſent. Id quod factum in *Epiſtola, quae apologiam complectitur pro Carteſio, quaeque introductionis loco eſſe poterit ad vniuerſam philoſophiam Carteſianam* [s], in qua Carteſium quidem laudat et aduerſus ineptos cenſores defendit, reprehendi tamen iure quodam poſſe

p) Prodiit Londini 1674. 4. et T. I. Opp. philoſoph. p. 133 ſeqq.

q) Conf. Bvddevs Iſagog. Hiſt. theol. L. I. p. 136. 269. 283. Morhof. Polyhiſt. T. II. p. 186. Mosheim ad Cudworth. p. 1007.

r) L. Odhelivs in Synag. bifronte p. 93. Bvddevs Introd. in phil. Hebr. l. c.

s) Opp. phil. T. I. p. 107. conf. Morhof. l. c. pag. 260.

dam posse contendit, et inaduertentiam quandam, et nimium prudentiae siue honestae astutiae studium, et enormem quandam mathematicae certitudinis ac necessitatis in singulis suis conclusionibus affectationem. Quae ita deducit, et speciosis argumentis instruit, vt quid magnopere cum veri specie reponendum sit, Cartesii asseclae vix habuerint, certe, quod nonnemini [t] opportune obseruatum, nihil illi ad has dubitationes Mori regesserint. Ex his vero, nobis non monentibus, intelligit Lector, singularem prorsus esse philosophiae Mori faciem, nec eam totam cum cultu Pythagoreo-Platonico, nec cum Cabbalistico concordare. Illustrauit vir doctissimus praeter naturalem, et pneumaticam philosophiae partem, moralem quoque, edito *Enchiridio ethico praecipua philosophiae moralis rudimenta complectente, illustrato vt plurimum veterum monumentis, et ad probitatem vitae, perpetuo accommodato*, quod in Germania [u] recusum est, multaque continet bonae frugis plena [v]. Ceterum teste GILB. BVRNETO [w] mentis sinceritas cum pietate in eo certauit, et laudabile illum occupauit studium, philosophiam ad eum finem adhibendi, vt animos contra atheismi pestem praemuniret. Vnde acerbius, quam merebatur, de eo iudicauit IACOBVS THOMASIVS [x], qui, cum ferre non posset, asseri a Moro animarum praeexistentiam, gentilismum ei obiecit, et naturalismum quendam ac latitudinariam religionem, atheismo frigidam suffundentem exprobrauit. Non negamus tamen, Morum inter eos esse, quos Latitudinarios rigidiores inter Anglos vocant, quique narrante BVRNETO [y], id ante omnia agebant, vt accuratius, quam fieri solet, in rerum naturam inquirerent, et ex vtraque parte superstitioni pariter atque enthusiasmo resisterent. Probata autem forma regiminis ecclesiastici legibus introducta, moderationem inter partes dissidentes maiorem desiderabant, et amicitiam eorum non detrectabant, qui ceteroquin de variis rebus diuersas partes sequebantur; suis autem libertatem satis magnam, cum in theologia, tum in philosophia concedebant, eo autem meditationes suas dirigebant, vt rerum causas accuratius explorarent. Has enim partes Morum esse secutum, idem testatur et scripta eius loquuntur. Ast immerito inter Libertinos eum retulit Antonius Collinus, recte vero laudauit ven. REIMMANNVS [z].

§. XIX. Satis luculenter, nisi nos omnia fallunt, characterem philosophiae Pythagorico-Platonico-Cabbalisticae descripsimus, causasque delineauimus, quae viros doctos impulerunt, vt has potissimum partes sequerentur. Relinqui itaque cetera Lectoris meditationi poterant, nisi tractationis methodo aliquid esset dandum, eaque vno fasce comprehendenda es- *Obseruationes criticae de hac secta.*

t) BAYLE Nouvelles de la rep. de lettr. 1684. p. 301. STOLLIVS Introd. in Hist. liter. P. II. c. 1. §. 97. p. 412.
u) Norimb. 1668. 8.
v) Conf. BVDDEVS Isagog. L. I. p. 301.
w) loc. cit.
x) In Epistola cuius fragmenta extant in STRVVII Actis literar. fasc. VII. p. 9.
y) loc. cit. p. 188.
z) In Catalog. crit. T. I. p. 980.

ſent, et ſimul exponenda, quae de hoc philoſophiae genere nobis ſtatuenda eſſe videntur. Ea, ſi quae in antecedentibus diximus, comparata cum hiſtoria Pythagoreiſmi, Platoniſmi et Cabbaliſmi ſuis locis tradita, attente explorentur, huc potiſſimum redeunt:

I. Decepiſſe ſe ipſos viros, quos in ſcenam produximus, doctiſſimos, dum Pythagoream philoſophiam aſſecuti eſſe ſibi videbantur, Lectori ignotum eſſe nequit ea recolenti, quae *Tomo primo* de Pythagora diximus. Eo enim loco indubitatis teſtimoniis euicimus, nihil, quod genuinum ſit, ex ſcriptis Pythagorae, aut extitiſſe vnquam, aut ad poſteros dimanaſſe, ſcripto nihil eum diſcipulos docuiſſe, cuncta arcana methodo celaſſe, et adeo ſacri ſilentii ſacramento ſuppreſſiſſe doctrinae ſuae notitiam, vt in vulgus emanari, praeter exoterica nonnulla et vulgaria, non potuerit. Mature quoque interiiſſe ſectam Pythagoricam, innumeraque, ex vago rumore illi eſſe, maxime a Platonicis, ſuppoſita. Pauca porro, quae ad nos peruenerunt, et a Platone, Ariſtotele, Xenocrate aliisque, quibus Pythagoreorum meletemata innotuerunt, ad poſteros transmiſſa ſunt, partim dubia, manca et imperfecta eſſe, partim adulterata et ad proprias ſententias reficta. Quibus circumſtantiis philoſophiae Pythagoreae probe conſideratis, certiſſimum apparebit, ſpe ſua deluſos philoſophos hos pro Iunone nebulam fuiſſe amplexos, proque Pythagorica philoſophia philoſophemata peregrina et adulterata habuiſſe, certe ad vera Pythagorae placita adſpirare nequiuiſſe. Quod vt omni dubitatione caret, ita demonſtrat quoque, defuiſſe illis clauem tantopere depraedicatam ad reſeranda veteris philoſophiae Hebraeorum adyta, etiamſi concedamus, Pythagoram ſua ab Hebraeis accepiſſe.

II. Verum id falſiſſimum eſſe, et tum veterum teſtimoniis fide dignis repugnare, tum cum dogmatibus Hebraeorum conuenire non poſſe, eodem loco luculenter demonſtrauimus, confecimusque incertiſſimum et inſuperabilibus difficultatibus expoſitum eſſe iactatum Pythagorae iter ad Orientales et imprimis Babylonios, certiſſimum autem eſſe, quod nunquam ad Iudaeos Pythagoras acceſſerit, multo magis, quod cum eorum doctoribus et prophetis conuerſatus ſit. Aſt hoc praecipue fundamento nititur ſecta, Pythagorico-Cabbaliſtica, quae recentiori aetate reſuſcitata eſt a Pico, Reuchlino, Riccio, Georgio, Agrippa, aliisque. Hoc canali ad Pythagoram, et ab eo ad Platonem, ab eius aſſeclis vero ad noſtra tempora dimanauiſſe ſapientiam veterem, omnes huius ſectae fautores, ne recentioribus quidem exceptis, ſibi perſuadebant, et de vetuſtiſſima ſibi veritate gratulabantur, licet purpurae huic humanarum nugarum panniculos aſſutos crederent, viderentque. Quos cum a veris et genuinis veteris ſapientiae Hebraeae placitis diſtinguere nec noſſent nec poſſent, neſcio quae myſteria ſibi inueniſſe viſi ſunt, vbi nihil praeter ſomnia imaginaria acceperunt, quae nec Hebraica nec Pythagorea dici poterant et debebant. Ita vero duplici ratione peccatum eſt. Nam non ſolum falſas ſibi de originibus

ginibus veteris veraeque philosophiae opiniones fingebant, sed et doctrinas malesanas et hoc nomine plane indignas, quales multas continet ista Pythagorica disciplina, pro sanctissimis habuerunt veritatibus. Quas cum hostibus Christianae religionis, velut σοφὸν φάρμακον contra impietatem opposuissent, mirum non est, nocuisse eos plus veritatis diuinae amplificationi, quam profuisse. Cuius exempla esse possunt satis luculenta quae Picus, Reuchlinus, Ricius, Georgius de sacris Christianae religionis placitis aduersus atheos et ἐμπαίκτας scripsere, ab his sannis magis et contemtu excepta, quam cum admiratione lecta et admissa.

III. Neque ex Cabbalistica philosophia medicina allata, sed electum philosophiae genus multo magis confusum est. Id quod historiam eius *Tomo secundo* accurate expositam intuenti et ad hanc sectam applicanti erit longe manifestissimum. Ex ea enim certissimis indiciis patet, omnem illam Cabbalisticam philosophiam nec ab Hebraeis, quod quidem prae se ferebat, ortam esse, nec puram Pythagorae disciplinam pro parente agnoscere, sed esse chaos quoddam ex placitis orientalibus, Platonicis et Aegyptiacis enatum, ad demonstrandas rerum omnium ex vno fonte emanationes, per varios gradus ad hunc vsque mundum sublunarem ipsosque infelices spiritus pertingentes, quod a veteris disciplinae Hebraicae praeceptis praeter nomen et ineptas quasdam dictorum sacrae scripturae accommodationes, prorsus nihil habet veritatis diuinae Hebraeis patefactae, et errores fouet longe periculosissimos sanctissimaeque reuelationi e diametro contrarios. Ast hanc tamen ex illa defendere, sicque arcana diuina recludere satagebant. Quod quam infeliciter fieri potuerit, rerum intelligens nobis non monentibus comprehendit. Exemplo esse possunt ea, quae Henricus Morus, ceteris multo doctior et acutior, hunc in modum est commentatus. Tacemus innumera huic Cabbalisticae doctrinae succesiua immutatione fuisse assuta, ita vt ne quidem de primis eius dogmatibus certi esse possimus, vt in eius historia demonstratum. Quo fieri debuit, vt velut in alto sine cynosura, sine clauo, sine rectore fluctuarent viri boni et docti, sed originum philosophicarum aut ignari, aut ad eas non satis attendentes easque ex P. P. ecclesiae somniis repetentes.

IV. Ipsa vero incertitudo Cabbalisticorum scriptorum hos philosophos multoties decepit. Cum enim longe rarissima essent, et innumeris modis aut suppositа aut adulterata, arripuerunt tamen, quodcunque in manum venerat, velut thesaurum latentem, et peregrinorum atque obscurorum admiratione capti illis, furtiuis et corruptis monumentis fidem habuerunt, immo pecunia quoque pro iis erogata, nimia credulitate se emungi passi sunt, quod Pico imprimis obtigisse suo loco narrauimus; et accidisse quoque Georgio Veneto, Agrippae et similibus, qui hos libros insano studio venabantur, valde est verisimile.

V. Quamuis autem nonnulla Cabbalistarum scripta nacti essent genuina, qualia vidisse eos, Reuchlini et Agrippae exempla docent, qui libros

quosdam Soharicos, librum Iezirah similesque inspexerunt, valde tamen iis obfuit, quod accuratum inter Cabbalam exegeticam siue literalem, philosophicam siue doctrinalem et metaphysicam, et inter practicam atque magicam discrimen vel ignorauerint, vel neglexerint. Inde enim euenit, vt exegeticos Iudaeorum lusus, quibus velut corticibus arcanus sensus subest, cum ipsis dogmatibus confuderint, et hoc argumentandi genere otioso et ludicro nimium quantum tribuentes, quodcunque vellent, inuitis etiam Cabbalistis exsculperent, ita vero se velitariis his armis religionem Christianam summopere defendisse somniarent. Id quod Pici et Reuchlini libros, vel Riccii quoque et Angeli Burgonouensis commentationes consulenti est clarissimum. Hac ratione vero Iudaica, Christiana, Platonica et propria cogitata facile erat in vnum confundere et pulchre miscere, quae ita attemperata sonos dabant mirificos, sensum fere nullum, sane minime genuinum, exhibebant. Paulo distinctius id discrimen obseruauit Agrippa, vir acer et attentus, ast cum magiam esse vetustissimam philosophiam miro sibi somnio persuasisset, ex Cabbala practica ea ad philosophiam retulit, quae naturam eius totam confundunt. Vnde nec Cabbalisticam philosophiam nec Pythagoricam ex eo discere licet. Morus autem φιλοσοφικώτερος dum sua tradit, non aliena, nobis multoties peregrino imposuit nomine.

VI. Vt vero error errorem gignit, ita quoque in hac secta accidit. Semel enim occupatis praeiudicio auctoritatis animis, quodcunque antiquitatis veneratione enitebat, ad hanc philosophiam obtorto tractum est collo. Cum enim eius sectatores firmissime sibi persuasissent, ad barbaras gentes ab Hebraeis sapientiam quandam arcanam atque mysticam descendisse, Zoroastrem, Hermetem, Orpheum aliosque veteris orbis philosophos principes in hunc censum retulerunt, eosque Pythagorae praeceptores si non voce, scriptis tamen fuisse crediderunt. Qua opinione semel radices agente, dici non potest, quam faciles fuerint in fide danda scriptionibus istis, quae venerandorum horum nominum titulis superbiebant, et quam diligentiam adhibuerint, vt has commentationes in apricum producerent, suisque lucubrationibus illustrarent, exque iis vetus illud sapientiae genus, quod sperabant, restituerent. Quem morem in Italiam ex Graecia transtulerunt Graeci exules, maxime Pletho et Bessario, fouerunt Ficinus et Picus, ad Cabbalistica adplicuerunt Georgius Venetus et Reuchlinus, magicis adhibuit Agrippa, editis autem collectisque vno fasce huius furfuris scriptiunculis, in iustum quoddam compendium coëgit Patricius, cuius eruditio quam plurimos minorum gentium philosophos seduxit, vt in eadem deuia delaberentur. Quam erronea enim haec opinio fuerit, et quam noxia ad corrumpendam tum philosophiam omnem, tum origines eius vitiandas, ex iis, quae *Tomo primo* de his scriptis ὑποβολιμαίοις late disseruimus, adeo notum est, vt ea repetere hoc loco non sit opus.

VII.

VII. Dimiserunt, quod fatemur, nonnulli Cabbalisticam philosophiam, et Platonicam pure sequendam esse statuerunt, eo quod legi hodie Platonis opera possint, et haud exiguus doctissimorum eius interpretum superfit numerus. Verum si dicendum, quod res est, parum feliciter. Platonem enim valde obscurauerat syncretistica philosophia, quam in Italiam delatam Ficinus, Picus, et sequaces resuscitauerant, quae quam inepte academica dogmata corruperit, et aliena immiscuerit, prolixa demonstratione exemplisque luculentis clarissimum *Tomo secundo* fecimus. Inde vero omnis naeuus originem habuit, et quam inutile fuerit resuscitatae philosophiae Pythagoreo Platonicae studium, haud obscure proditum est. Ex his enim propaginibus omnes illi surculi prorepserunt, qui fructibus malae indolis hanc philosophiam repleuerunt. Nam ab his philosophis, syncretistica illa placita et vana dogmatum paradoxorum somnia orta sunt, quibus commentationes suas recentiores repleuerunt. Ab his magistris didicerunt sequioris aetatis commenta Mosi, Hermeti, Zoroastri, Orpheo tribuere; his auctoribus Cabbalistica ipsa in his officinis cusa reiici non poterant: verbo omnis philosophia Ammonio, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Hierocle, Proclo, Simplicio, et ex Christianis Origene, Pseudo-Dionysio, Synesio, Psello, innixa est: hos classicos auctores iactauere Picus, Ficinus, Reuchlinus, Georgius, Agrippa, et qui magis sobrie philosophari videri voluit Patricius. Ad hunc lapidem offenderunt Gaeus, Morus, Cudworthus, in quorum scriptis adeo regnat philosophiae Platonico-Alexandrinae auctoritas, vt cum damno veritatis diuinae eius placita, quinimmo haud raro verba phrasesque receperint. Exempla qui volet, illa quae de Georgio Veneto, Agrippa et Patricio ex sec. XVI, de Cudwortho et Moro ex seculo XVII diximus, ea affatim suppeditabunt.

VIII. Cum autem in merum Syncretismum haec philosophia abierit, maleque consarcinata exhibuerit, quaecunque speciem antiquitatis mentiebantur, facile inde colligere est, quam ineptam atque falsam philosophandi rationem illa obtulerit. Et ferri tamen potuisset, concedique vt suo abundarent sensu isti philosophi, nisi detestabile praeiudicium eos in transuersum egisset, ex hac pseudo-philosophia posse diuinam veritatem erui, et antiquissimam sapientiam restitui, eo quod hanc esse illius parentem crederent. Ita enim nobis totum emanationis systema obtrusum, dogmata autem aliena et falsa veritatis diuinae obtentu commendata sunt, et corrupta sanctioris disciplinae simplicitas. In qua frustra animam mundi, influxus angelorum, arcanas operationes hominum in coelestia, subordinationem naturarum in diuinis, praeexistentiam animarum, spiritum naturae et similia quaeras, nisi eo ipso inepto praeiudicio magistro et interprete vtaris.

IX. Quod si in se sectam istam, posthabito hoc respectu ad alias intueamur, ne tamen hoc quoque nomine se commendare, nomenque Platonicae tueri potest. Miris enim modis a Platone discedit, et eius opi-

nionem

nionem peruertit. Ad quod, praeter dicta duplex quoque cauſſa concurrit. Nempe vel Ariſtoteles more ſcholae Alexandrinae in partes pertractus eſt, quo pacto genuinus Platoniſmus periit: vel eius odio nimis ornatus, excuſatusque Plato eſt, vt inuidia Stagirita cumularetur et Platoni poſtponeretur. Quae maxime ratio coëgit Patricium, Platonis doctrinam miris modis pingere et Parmenideis vel potius Teleſianis meditationibus reddere φιλοσοφικωτέραν, magisque diſciplinae naturali attemperatam. Tacemus adeo ineptiiſſe nonnullos, vt deſumto externo quodam veteris Pythagoricae et Platonicae doctrinae habitu, ſuisque naeniis et laſciuientis ingenii ſomniis adaptato, crederent, Pythagoream Platonicamque ſe ſapientiam tradidiſſe. Quod memorabili Georgii Veneti exemplo illuſtrari poteſt, qui doctrina philoſophica de muſica Pythagorea hoc modo miro legentium faſtidio vſus eſt. Ex quibus omnibus inductione in vnum collectis recte concludimus, veram philoſophiam ab hac ſecta parum fuiſſe adiutam, licet nonnulli paſſim acute, et in nonnullis veriſimiliter philoſopharentur.

* *

CAPVT V.

DE RESTAVRATIONE PHILOSOPHIAE PARMENIDEAE.

§. I.

Occaſio reſuſcitatae philoſophiae Parmenideae.

Parmenideae philoſophiae ex puluere et obliuione, in qua tot ſeculis abſcondita et depreſſa iacuit, reſuſcitandae occaſionem dedit philoſophia naturalis Ariſtotelis. Haec cum magna quidem et multa promitteret, pauca autem reapſe exhiberet, quibus de rebus naturalibus certa et clara ſuperſtrui explicatio poſſet, principia autem in cerebro magis Stagiritae enata, quam rebus naturalibus inſita notionesque vagae, incertae et metaphyſicis quibusdam praeciſionibus abyſſum naturalium myſteriorum non exhaurientes magno verum ſitientes faſtidio onerarent; excitati tandem ſunt viri nonnulli docti, ingenio acres et animo ſatis fortes ad contemnendum abiiciendumque auctoritatis Peripateticae praeiudicium, vt phyſiologiam Ariſtotelicam examinarent, examinatamque et improbatam expellendam eſſe ex phyſicis philoſophorum circulis ſtatuerent, et meliora ſurrogare auderent. Cuius egregii facinoris gloria primo, niſi fallimur, in argumento naturali debetur BERNARDINO TELESIO. Is enim excitatus fortean Platonicorum nonnullorum diſputationibus, cum Platonica quoque de rebus naturalibus diſputatio minime ſatisfaceret animo, exploſa illa atque Peripatetica philoſophia, nouam dare phy-

physicae partis explicationem constituit. Quam cum Parmenideis tuto inaedificari posse principiis crederet, sepulta reuocauit in vitam, iisque nouum atque elegans superstruxit doctrinae naturalis aedificium, quo meruit, vt a nonnullis [a] inter eclecticos nouaeque philosophiae conditores referretur. Quam ei laudem non prorsus quidem denegamus, cum ipsius systematis nexum atque rationem suo debuerit ingenio. Quia vero id proprie fategit, vt Parmenidem nobis de rebus naturalibus accurate philosophantem fisteret [b], hoc capite eius philosophiam enarrandam constituimus, ostensuri, qua ratione Parmenidea placita ordinauerit, eiusque principiis ad physiologiam explicandam vsus sit. Miramur autem, virum suo iure in hoc eruditionis genere summum a plerisque, qui philosophiae historiam scripserunt, aut intactum mansisse, aut leuiter tactum esse, eosque qui historiam eruditam seculi XVI exposuerunt, huius viri mentionem satis accuratam plenamque non feciſſe. Id quod ex inspectione eorum disci potest, quae NICOLAVS TOPPIVS [c], et LEONARDVS NICODEMVS, IMPERIALIS, TEISSIERIVS [d], NIC. COMNENVS PAPADOPOLVS [e] et ex his alii de eo retulerunt. Egregie itaque de hac historiae philosophicae particula meruit, eruditissimus Io. GEORGIVS LOTTERVS noster, professor Petropolitanus, nimis acerbo praematuroque fato elegantioribus literis nostraeque amicitiae ereptus, qui *de Vita et philosophia Bernardini Telesii* luculentum atque doctissimum nobis dedit commentarium [f], inque eo non res modo et philosophiam Telesii, sed vniuersam quoque seculi XVI historiam literariam luculenter illustrauit. Quem ducem eo magis sequimur, quo accuratior eius est tractatio, isque fere nullum in hoc argumento post ipsum scripturis reliquit spicilegium. Consultis itaque fontibus hunc commentarium inspicere Lectorem iubemus, prolixius copiosiusque ea expliciturum, quae strictim exponere instituti ratio limitesque poscunt.

§. II. Tulit elegantissimum BERNARDINI TELESII ingenium Italia, edidit Consentia, Neapolitani regni vrbs satis celebris et virorum clarorum ferax [g]. Natus est anno MDVIII, ex familia et generis nobilitate, atque sanguinis gloria et literarum virtutisque laude inclyta, teste Io. IMPERIALE [h], et, qui Telesianae gentis decora pluribus enarrauit, ELIA DE AMATO [i]. Cum natura feruidum illi atque acre ingenium contigisset, et sui animi inclinatione et parentum amicorumque consiliis atque exemplis fere puer literarum studiis se tradidit. Maxime vero patrui Antonii *Vita Telesii.*

a) VERVLAMIVS Hist. ventor. praef. T. II. Opp. et passim. TOPPIVS Bibl. Neap. p. 344. IACOB ECHARD. Bibl. Domin. T. II. p. 506.
b) VERVLAMIVS de Cupidinis fabula, Vol. III. p. 238.
c) loc. cit.
d) Elog. T. III. p. 449.
e) Hist. gymn. Patau. P. II. c. 32. n. 146. p. 278.
f) Lipsi. 1733. 4.
g) Sexaginta duos Consentinos, eruditione claros laudat TOPPIVS libro cit.
h) In Musco Hist. p. 78.
i) In Pantapologia Calabra, Neapoli 1715. edita p. 126. vid. Act. Erud. Suppl. T. X. f. 7. p. 289 sq.

tonii Telesii exemplum et institutio illi adolescenti plurimum profuit. Magna inerat viro huic literarum tum humaniorum tum seueriorum cognitio, qua meruit a Carolo V, Caesare, vocari, vt Philippum II, filium literis instrueret, testibus libris eius doctissimis, quibus virorum doctorum elogia meruit [k]. Sane celebris philosophi laude dignum censuit THVANVS [l]. Hic eum, priuato quidem studio [m] rectae mentis atque eruditionis cupidae iuuentuti apud Mediolanenses bonarum artium scholas aperuisset, noster ad eum vix ex ephebis egressus missus est, vt et contubernio eius et institutione frueretur. Qui cum parentis curam atque diligentiam in educando formandoque adolescentis ingenio adhiberet, et eius animum sponte currentem addito calcari ad honesta eruditionis praemia consequenda magnopere accenderet, dici non potest, quantum Bernardinus in illis disciplinis profecerit, quibus ad maiora capessenda iuuentus erudiri solet. Inde facultas, Latine eleganter scribendi in scriptis Telesii postea prodita, viresque eloquentiae, quae accedente iudicio paulo maturiore se vehementer commendarunt. Accessit, more istius aetatis, praeter facultatem poëticam, quam ei tribuit TOPPIVS [n], Graecae linguae studium, quo velut claue vsus est ad reseranda Graecae philosophiae, in scriptis veterum latentis adyta. Dein patruo Antonio ad Romanum gymnasium vocato anno MDXXV, vt in illustri hoc theatro literas mansuetiores doceret, Bernardinus cum eo illuc abiit, et quicquid alimentorum studiis suis vrbs vel doctissimorum virorum praeceptis, vel hominum eruditissimorum exemplis magna copia suppeditabat, ad doctrinam suam amplificandam retulit: biennio vero post a latere auunculi Consentiam ad beneficium sacerdotale adeundum redeuntis auulsus dum Romae manet, cum reliquis incolis fatalem annum MDXXVII expertus est, quo Borbonio principe duce vrbs capta et direpta est. Tristissimo et infelicissimo id nostri fato euenit. Ipse enim licet silentes et tranquillas Musas nemini grauis sequeretur, facultatibus omnibus tamen a milite spoliatus et in carcerem insons detrusus est. Et liberatus forte ex eius squalore non fuisset, nisi Bernardini Martiriani, ciuis sui, qui laudato duci tum ab epistolis secretioribus fuit, et idem postea munus apud Carolum V imperatorem subiit [o], intercessione in libertatem fuisset vindicatus. Romam ita tantae cladis memoria perhorrescens ad Patauinas Musas concessit, seueriori se disciplinae traditurus, et philosophiae atque mathematicarum scientiarum mysteriis initiandus. Illam tum Hieronymus Amalthaeus [p] docebat, has Fridericus Delphinus [q] magno applausu tradebat. Illum itaque

k) Vid. IOVIVS in Elog. c. 122. p. 264. TEISS. Elog. T. III. p. 449. IMPERIALIS l. c. LOTTERVS l. c. p. 7. not. d. et quos laudat.

l) Apud TEISSIER l. c.

m) Vid. COSTER. l. c. not. e. p. 8.

n) pag. 344. Nihil tamen poëmatum Telesii hodie extat.

o) TOPPIVS l. c. p. 46. DE AMATO l. c. p. 108. LOTTER p. 9. not. l.

p) Vid. TEISSIER T. III. p. 22. PAPADOPOL. T. I. p. 228.

q) Vid. PAPADOPOL. l. c. T. I. L. III. c. 10. n. 51. p. 305. Qui refert, tanta felicitate Venetiis medicinam fecisse, vt suspectus cucullatis fratribus tantum non in carcerem raperetur.

itaque moralem philosophiam explicantem audiuit, huic totum se tradidit, tantaque felicitate in artium mathematicarum secreta penetrauit, vt teste IMPERIALE [r] proprio ingenio noua, inexcogitata, imperscrutabilia prope quam plurima detegeret in doctrina optica. Quibus praesidiis munitus cum ad naturalem philosophiam accederet, mirum non est, vulgarem eius explicationem, quae tum obtinebat, illi non placuisse, nec arrisisse iuueni mathematicam ἀκρίβειαν et perspicuitatem sectanti vel Aristotelis libros physicos, quos Graece legerat et examinauerat; vel metaphrastarum Latinorum et Graecorum explicationes quas consuluerat, *existimans* vt ipse scribit [s], *fieri non posse, vt tot praestantissimi viri tot nationes, vtque adeo humanum genus vniuersum tot iam secula Aristotelem coluerit, in tot errantem tantisque.* Vt itaque certiorem planioremque sibi viam pararet, ipse sibi sufficiens de fundamentis proprii aedificii in naturali disciplina iaciendis cogitauit, eorumque primas sibi lineas formauit, damnatis Peripateticorum dogmatibus, quae minime sufficere in rerum naturalium φαινομένοις cauissisque explicandis pulchre videbat. Ita quod gnauiter ingressus erat philosophiae curriculum Patauii feliciter absoluit, et summis in eo dignitatibus acquisitis coronauit, cumque deleta fere esset pristinae calamitatis, quam apud Romanos passus erat, memoria, in vrbem rediit, ingenii diuitias aucturus et expliciturus. Cuius occasionem egregiam nactus est, cum felicitas illi obtigisset, vt virorum doctissimorum consuetudine frueretur, colloquiis eorum pasceretur, luminibusque praeclaris illustraretur. Inter quos cum magno eum fauore atque beneuolentia prosequerentur Vbaldinus Bandinellus et Ioannes della Casa, quorum ille Graecarum literarum erat intelligentissimus [t], hic vero carminis gloria excellebat [u], vterque autem iudicii acumine praestabat, libere cum tantis viris pro familiaritate amicitiae, quam cum illis contraxerat, cogitata sua de philosophia naturali communicauit; qui, cum egregie cuncta ipsis placerent, ad pertexendam, quam inceperat telam Telesium vehementer excitarunt. Ita philosophica eruditione praeclare ornatus summis passim viris innotuit, qui in aula Romana versabantur, cumque sanctiorem illi disciplinam iungeret, et maxima esset animi candoris morumque probitatis eius in curia Romani pontificis existimatio, ita carus omnibus fiebat, vt, quod auctore THVANO [x] scimus, Paulus IV, qui tum rerum sacrarum summae praeerat, illi vltro archiepiscopi Consentini dignitatem offerret, quam tamen, studiis aliis delectatus modeste recusauit, et episcopali tiara fratrem Thomam ornari passus est. In qua tamen Thuani narratione temporum rationes non nihil impeditae sunt [y]. Illud certum,

r) loc. cit. pag. 78.

s) In Praef. Lib. de Rerum natura edit. Rom. 1565. Inde magna inerat Telesio Peripateticae philosophiae notitia, qua meruit vir Peripateticis rationibus potens et instructus vocari VERVLAMIO de Fab. Cupidinis Vol. III. Opp. p. 238.

t) Vid. LOTTER. l. c. p. 14. not. u.

u) Notissimum Casae in Hist. lit. recentiori nomen et merita opera eius recudi fecit NIC. HIER. GVNDLING. Halae 1709. 8.

x) loc. cit.

y) Thomam Telesium summi apud Consentinos antistitis dignitate fuisse ornatum anno MDLXV, ex VGHELLI Italia sacra T. IX. p. 350.

Telesium, post moram Romanam patria Consentia repetita vxorem duxisse, Dianam Sersali nobili inter Consentinos genere editam, quae cum trium eum liberorum patrem fecisset, praematura eum morte summa affecit tristitia, nec exiguo familiae damno decessit, studiorum philosophicorum non item. Quod enim non nemo poëtarum recentiorum cecinit [z]:

- - rara libris cura, vbi foeminae
Quieta turbant tecta philosophi,
Diesque ac noctes cor mariti
Per stimulos agitant acerbos.

id Telesio quoque vxoriis compedibus vincto eueniisse narrant, qui res eius descripserunt [a]. Non enim ipse modo fatetur [b], *post studia iuuenilia scribendi munus se longo tempore intermisisse*, sed et alii referunt, cohortationes Bandinelli atque Casae a matrimonii curis, et administratione domestica Telesii fuisse impeditas. Ab his autem vinculis et vxoris morte, et filii, quem vnicum superstitem habebat, diligentia, cum is res domesticas regendas suscepisset, liberatus, ad otia philosophica rediit, et vt sereniori mente diuini ingenii foetus eniteretur, secessum literarium meditatus, in praedium aliquod suum, sacris nemoris silentiis et ruris amoenitate ad philosophiam inuitans abiit, totumque se in literas ingurgitauit. In quo tamen otio ita negotiosus fuit, vt cum ab vrbano strepitu et familiae interpellatione liber esset, veterum philosophorum scripta diligenti manu euolueret, et imprimis repetito studio Aristotelis libros relegeret et examinaret, plurimum autem temporis perficiendo, quod Parmenideis principiis inaedificare coeperat aedificio doctrinae naturalis tribueret, et congestis digestisque omnibus *duos de natura libros iuxta propria principia* componeret, inque illis Peripateticam super rebus naturalibus disciplinam euerteret. Suo tamen iudicio diffisus, meletemata sua cum amicis communicauit, quibus mentem inesse rectam sobriosque de philosophia sensus nouerat, et imprimis cum Ioanne Mario Madio Brixiano, rerum philosophicarum peritissimo viro [c]. Cuius calculum cum meruisset, excudendos eos de natura libros Romam misit, vbi anno MDLXV typis exierunt. Cum autem totus a natura ad detegenda explicandaque secreta sua opera factus esset, in isto labore perrexit, et de singularibus quoque ex disciplina naturali argumentis commentarios composuit, typisque ex parte vulgauit, nonnullos posteris edendos reliquit. Vix vero typographi carceribus liberata prodiit Telesiana

constat. Ast eo tempore iam in matrimonio viuebat Bernardinus, Paulus IV, P. R. quinquennio prius morte decesserat. Si itaque Thuanus scriptor coaeuus deserendus non est, intelligenda haec sunt de consilio Papae, post ista demum tempora euentum sortito. conf. LOTTER. l. c. p. 16.

z) CONR. CELTES Lib. III. Odar. XXIII.

a) PAPADOP. l. c. b) loc. cit.

c) PAPADOP. l. c. T. I. L. II. c. 56. n. 167. p. 261. Fauebat Madiorum, vel Magiorum, familia Aristoteli, vnde ex ea Vincentius quoque Magius de ea philosophia, editis Simplicii et Alexandri Commentariorum versionibus meruit. Placide tamen Madium legisse, nec improbauisse suas meditationes in Praefatione testatur Telesius.

siana physica, cum insperato quidem, ast laeto magnoque plausu excip-eretur tum a viris doctis, tum a gymnasii Neapolitani ciuibus, qui licet totam aetatem suam in Aristotele consumsissent, laetabantur tamen, esse ipsis ducem, quo ad insitam natura libertatem philosophandi spem suam erigere possent. Ita nempe quae apud alios inuidiam parere solet, Telesio gloriam laudemque peperit dogmatum nouitas. Instigare itaque Telesium, rogare, instare, vt seceſſum relinqueret, solitudini vrbis frequentiam praeferret, et Neapolin ad docendam nouam philosophiam concederet. Vincique se passus est Telesius, atque in eam vrbem conceſſit, in qua tantum abest, vt de rebus naturalibus dicentis praesentia famam minueret, vt indies maior esset eruditionis eius et eloquentiae admiratio. Neque ea adolescentium tantum fuit, sed viri quoque maturo iudicio praediti, magnopere doctrinam Telesianam suspexere, et ab eo accendi se passi sunt ad scrutanda diligentius, quam a Peripateticis fieri solebat, naturae arcana, et colendam physicam. Quod studium auctore Telesio occasionem dedit societatis eruditae ineundae, quae iunctis inter se viribus diuisisque laboribus ad iuuandam rerum naturalium cognitionem et conculcandam Stagiritae auctoritatem in physicis conspirabat. Quam academiam, (ita laudabile institutum vocare more a Platonicis desumto placuit,) vel omnium primam, vel inter primas fuisse et exemplum dedisse, quod maximo philosophiae emolumento posteri sequerentur, annales literarii testantur [d]. Huic academiae Telesianae nomen a conditore haesit, quamuis et ab eius patria Consentina dici soleat [e]. In hoc igitur vitae suae otio satis negotioso cum diligentissime naturae scientiam excoleret, ita carus factus est omnibus, vt principibus quoque viris maximopere probaretur, eumque vt liberalius philosophiae operam dare posset, Ferdinandus Carafa, Nuceriae dux in familiam suam adsciscret, et, quod ipse Telesius praedicat [f], non in minore honore haberet, quam Alexander Aristotelem. Quae vero tot virorum cordatorum illi amicitiam parauerat libertas philosophandi, tandem vitae interitum attulit. Valde enim vrebat fratres cucullatos, contemni Aristotelis auctoritatem, cuius philosophiae gloria tumebant: more itaque scholarum, hac superstitione captarum in Telesianam philosophiam insurgere, eamque atque academiam Telesianam iurgiis lacessere coeperunt: quae cum nimis impatienter ferret Telesius, contracto ex atra bile morbo, senex viribus vehementer prostratus est [g]. Patriae vero dulcedine tractus, desiderioque istis furoribus et vexationibus sese subducendi Consentiam a filio transuectus est. Ibi per octodecim fere menses exstatico similis non tam vixit, quam spiritum aegre duxit; depositque tandem grauem mortalitatis sarcinam octogenario proximus anno MDLXXXVIII, sepultus in tumulo fratris

d) Conf. GIMMA Idea Hist. lit. Ital. T. II. c. 38. §. 2. p. 476. IMPERIALIS l. c. LOTTER. l. c. p. 25. not. (t)

e) Philosophia aliis praestabant ex sociis Sertorius Quatrimani, Io. Paulus de Aquino, Iulius Caualcanti, et Fabius Cicala.

f) In Dedic. editionis Neapolitanae.

g) PAPADOPOL. l. c.

Thomae archiepiſcopi. Quam beneuole autem viri literati, quique rerum naturalium cognitione luculentiori, quam in ſcholis pandi ſolebat, delectabantur, Teleſii conatus exceperint, ex repetitis librorum *de Natura rerum iuxta propria principia* editionibus intelligi poteſt. Primus enim et ſecundus liber poſt Romanam editionem *Neapoli* quinquennio poſt anno MDLXX prodiit, integrum autem *librorum nouem* opus, *ad illuſtriſſimum et excellentiſſimum D. Ferdinandum Carafam Nuceriae ducem* lucem, eo viuo, vidit *Neapoli anno MDLXXXVI.* Repetierunt biennio poſt Geneuenſes eam editionem, adiectis PHILIPPI MOCENICI, *Veneti vniuerſalium Inſtitutionum ad hominum perfectionem, quatenus induſtria parari poteſt, contemplationibus V.* et ANDREAE CAESALPINI *Quaeſtionum Peripateticarum libris V.* Libellos autem, *de his, quae in aëre fiunt*, et *de mari*, quos viuus ediderat Teleſius, adiunctis aliis, quos *de Cometis et lacteo circulo*, *de iride*, *quod animal vniuerſum ab vnica animae ſubſtantia gubernetur* [h], *de Vſu reſpirationis*, *de Coloribus*, *de Somno* ſcriptos Teleſius reliquerat, vulgauit ANTONIVS PERSIVS, Teleſio in vita amicitia coniunctiſſimus, Venetiis MDXC. Quamuis autem et Romae et Neapoli viuo Teleſio patienter audiretur eius noua de naturalibus philoſophia, poſt fata tamen indici expurgatorio libri iſti adſcripti, et donec expurgarentur, prohibiti ſunt, quod fatum editiones apud Italos cuſas rariores fecit. Neque tamen, non obſtante hoc fulmine amici ei ſectatoresque defuerunt, et morte quoque erepti laudes non reticuit academia Conſentina, inter quos, quem modo nominauimus, Antonius Perſius libros eius edendo SERTORIVS QVATRIMANI autem, *Compendium philoſophiae Teleſianae* lingua vernacula exarando praeclare de Teleſio meruerunt. Patrocium autem Teleſiana nonnulla in ſuum, quod molitus eſt ſyſtema naturalis philoſophiae transtuliſſe, ſupra iam memorauimus. Praecipue autem Teleſii partes ſecutus eſt Thomas Campanella [i], de cuius tamen philoſophia, cum omnes eius partes innouauerit, parte ſequente dicetur. Aduerſarios autem non cuculliones modo expertus eſt, vt ſupra dictum, ſed viros quoque doctos. IAC. ANTONIVS MARTA enim Neapolitanus, iuris ciuilis et canonici publicus in gymnaſio Patauino interpres, in vndecim annorum opere, quod *Pugnaculum Ariſtotelis* inſcripſit, Peripateticam doctrinam contra Teleſium defendere ſuſcepit: ſequutus hunc eſt, ANDREAS CHIOCCVS medicus atque philoſophus Veronenſis, qui Teleſii ſententiam de venis, neruis atque arteriis impugnauit. Vtrumque refellit, et pro Teleſio reſpondit CAMPANELLA [k]. IANVM CAECILIVM FREY

h) Perperam illud adſcripſimus ANDR. CHIOCCO in German. Hiſt. phil. opere T. VI. p. 696. quod delendum.

i) Defenſionem Teleſii CAMPANELLA ſuſcepit in Philoſophia ſenſibus demonſtrata, vbi quoque Iacobo Antonio Martae reſpondit. Vid. de Libris propriis Lib. I. cap. I.

k) Diligenter de his Teleſii aduerſariis, eorumque eruditione, meritis, ſcriptis et refutatione egit B. LOTTER. l. c. §. 11. p. 84 ſeqq. ad quem lectorem, ne nimis prolixi ſimus, remittimus.

FREY quoque in *Cribro philosophorum* Telesium examinasse, testis est CLAVD. SORELLVS [l].

§. III. Qua vero via in explicandis rerum naturalium principiis incesserit Telesius, ex laudatis eius libris *de Principiis rerum naturalium* discendum est. Non sine vtilitate tamen comparare cum scripto Telesiano licet BACONIS DE VERVLAMIO libellum *de Principiis atque originibus secundum fabulas Cupidinis et Coeli, siue de Parmenidis et Telesii et praecipue Democriti philosophia tractata in fabula de Cupidine* [m]. In qua scriptione, vt erat Verulamius acumine insolito praeditus et profunde meditabatur, subtilissimam et ingeniosam eius fabulae explicationem physicam dedit, et ad Parmenidis, Democriti et Telesii physiologiam applicuit, nec contentus, eorum ex hac fabula principia exponere, ostendit quoque, quo pacto, positis istis principiis porro philosophandum sit, etiam in illis capitibus, quae illi non attigerunt, declarauit quoque quae inter Parmenidem, Democritum et Telesium sententiarum atque placitorum intercedat affinitas, suumque de hoc philosophiae naturalis genere iudicium interposuit. Ex hac Verulamii tractatione breuem Telesianae physiologiae delineationem, addita ἐπιχρίσει, adumbrauit MORHOFIVS [n], et nisi fallimur, ideam Telesianae philosophiae generalem inde quoque hausit SORELLVS [o]. Cl. LOTTERVS [p], autem ex ipso Telesiano opere elegans doctrinae physicae dedit compendium, laudabili consilio, cum non tantum dulcius ex ipso fonte bibantur aquae, sed comparationes dogmatum quoque haud raro alieno sensu ea corrumpant, certe obscurent et incertiora reddant. Ipse itaque Telesius audiendus est, qui, cur ad nouam de naturalibus doctrinam descenderit, ex supra dictis satis constat. Scilicet probe videbat vir Peripateticorum φιλοσοφεμένων accurate gnarus, non Scholasticos modo pueriliter in rebus naturalibus explicandis ineptire, sed Aristotelem quoque coruos, quod aiunt, deludere hiantes, et principiis incertis, vagis, ac clari definitique nihil significantibus inanes dimittere lectores. Quod vt demonstraret, et quot modis vel laberetur prorsus, vel nutaret tamen et ambiguo pede fluctuaret Stagirita, magnam operis sui partem impendit, quod non modo διδακτικὸν est, sed ἐλεγχτικὸν quoque, et in euertendis Lycei principiis physicis plurimum occupatum. Maxime autem offendit Telesium, virum sani iudicii et pseudo-philosophiae spectris valde inimicum, quod principiorum loco, quae sensus implere et naturae respondere possint, metaphysicas speculationes, notionesque solis mentis praecisionibus nixas, et ex Aristotelis cerebro tantum enatas, veri sitienti philosopho vendiderit [q]. Itaque fabulosas et imaginarias Stagiritae semitas, quas tot argumentis euertebat,

Philosophia Parmenidea Telesii.

l) loc. cit. Hic sobrie quoque de Telesio iudicauit, cui addendus VERVLAMIVS l. c.
m) T. III. Opp. ed. Elzeu. p. 208 seqq.
n) Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 13. p. 231 seqq.
o) De Perfect. hominis, P. III. p. 413 seq. verf. Germanicae.
p) loc. cit. c. 2. p. 35.
q) Legendum TELESII Prooemium, editioni postremae praemissum, quod exhibet quoque Ven. E. SAL. CYPRIANVS in Vita Campanellae, p. 11 seqq. et LOTTER. l. c. p. 40 seq.

tebat, relinquens, de principiis, quae sensuum fide niterentur, adeoque a nemine reiici possent, dispexit. Ea apud Parmenidem se deprehendisse ratus, qui ex calore et frigore rerum omnium naturam, ortum, qualitates et mutationes naturales deriuabat, in his duobus principiis perstitit, quodque Parmenides κατά τι, ita poscente systemate Eleatico, affirmauerat, simpliciter recipiens rerum naturalium phaenomena illis conuenienter explicuit, et quae paucis Parmenides dixerat, latius expossuit, vnde recte eum Parmenidis interpolatorem vocauit B. I. Chr. Wolfivs [r]. Nec a verisimilitudine discedit coniectura Vervlamii [s], occasionem systematis sui exstruendi captasse Telesium ex Plvtarchi libello *de primo Frigido* [t], quem ex aliquo tractatu antiquo, qui tunc temporis extabat, interiit autem, postea descriptum et desumtum esse ex eo suspicatur, quia haud pauca habet et auctiora et firmiora, quam solent esse auctoris ipsius, qui ea vulgauit. Ex quibus patet, errare non neminem [u], qui Telesium philosophiam Pythagorae recoxisse asseruit.

§. IV. Ita vero, vt summam physicae Telesianae exhibeamus, de naturalibus praecepit Consentinus philosophus:

I. Tria omnium, quae exstant, rerum principia sunt, agentes naturae duae incorporeae, et quae illas suscipit, corporea. Illae calor et frigus sunt, haec materia. Desumsisse haec naturalium rerum principia Telesium a Parmenide, laudatum Plutarchi libellum legenti erit manifestissimum. In eo enim summa Telesiani systematis capita iam deprehenduntur. Huc enim pleraque redeunt 1. frigus non esse priuationem, sed principium actiuum et efficiens: 2. Inter frigida non minus, quam calida gradus esse, vt aliud alio magis minusque, hoc admodum, illud non adeo, vnum remissius, aliud intentius dicatur frigidum calidumue: 3 Manere tamen haud raro calida admixta frigidis, eamque commixtionem plurimum ad rerum naturam conferre: 4. Aduersarum harum facultatum oppositionem cum tempestiue a creatore instituta sit, non perimere, sed res potius constituere, eo quod consonantiam creator fecerit, eaque ita gubernet, vt et coëant et discessum faciant moderate, et nimia vtrique vehementia ademta in rectum modum componat. 5. Calorem corporis tepore et laxitate, frigus eiusdem concretione atque densatione sentiri: 6. Vtriusque autem suum esse peculiare principium. 7. Frigus calori vt substantiam substantiae repugnare. 8. Exinde quatuor rerum naturalium principia resultare, calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, iisque omnium elementorum motiones absolui. 9. Ignem calidum et splendidum esse, naturam oppositam frigidam et tenebrosam &c. Ex his, quae in sequentibus satis luculenter ad rerum naturalium causas Plutarchus applicat, euidenter constat, occasionem sumsisse ab iis Telesium, nouum

r) Ad Origen. Philosophum. p. 87.
s) loc. cit.
t) T. V. Opp. p. m. 496. seqq.
u) Io. Conr. Arnold. diss. de Nouitate philosophandi §. II. p. 17. §. 26. p. 39.

nouum syſtema phyſicum incruſtandi. Addidit tamen duobus Parmenidis principiis tertium, materiam, quod ex Peripatetica illi philoſophia haeſiſſe Verulamius coniicit, MORHOFIVS neceſſitate adactum iudicat, vt ſubiectum poneret, in quod operetur frigus et calor. Nobis, ſi coniecturae locus eſt, a Parmenide non tantopere diſceſſiſſe Teleſius videtur. Notum enim ex iis, quae de phyſica Parmenidea *Tomo primo p.1163.* diſputauimus, frigidum calidumue Parmenidem poſuiſſe in rebus ſenſibilibus, et ita vnius Eleatici modificationes et affectiones ſenſibiles explicando, illud velut ſubiectum aliquod ſuppoſuiſſe, et ipſam quoque materiam hoc pacto agnouiſſe, quam tamen diſtincte in principiis numerauit Teleſius, in hoc vno clarius ac Parmenides locutus. Certe, qui eum ſequebantur, in rerum naturalium mutationibus exponendis materiam ſopponendo, frigoris et caloris qualitates illi induxiſſe, ex his Plutarchi verbis eſt manifeſtiſſimum: materia enim alias vehementius, aliasque languidius affecta, a contrariis facultatibus, alia aliis magis calida frigidaue exhibet. Ex hoc vero principio Parmenideo ita porro diſputat Teleſius:

II. Calor ſua natura mobilis, immo ipſi motui tempore, natura ac dignitate praeit, eiusque cauſſa eſt.

III. Frigus immobile eſt.

IV. A frigore terra, et quaecunque illi inſunt, facultates; a calore ſol conſtitutus eſt et ſtellae coelumque.

V. Agentia duo principia incorporea, corporea opus habent mole, qua ſuſtineantur, ea eſt materia.

VI. Materia neque augetur, neque minuitur vnquam in vniuerſo.

VII. Omnis porro actionis expers eſt, et ſua natura inuiſibilis ac nigra, de cetero autem vtriusque principii operationibus ſuſcipiendis apta.

VIII. Duae iſtae naturae agentes facultate pollent non tantum ſe aſſidue multiplicandi et quaqua verſum effundendi; ſed et perpetuo ſeſe inuicem oppugnandi, propriisque ex ſedibus expellendi; actiones itidem atque paſſiones et alterius principii oppoſiti et proprias percipiendi ſentiendique.

IX. Ex his principiis mutuo ſibi oppoſitis duo mundi corpora primaria coelum atque terra ortum ducunt, reliqua ſecunda, ex terra omnia a ſole diuerſis modis immutata ſunt efficta.

X. Ex terra mare eductum, et continuo adhuc quotidie educitur.

XI. Diuerſae, quibus res gaudere, et abs ſe inuicem ſecerni, videmus, naturae atque diſpoſitiones diuerſis, quibus calor operatur, viribus locorumque interuallis tribuendae ſunt, cuius quippe actionem frigus ſubinde ſolet intercipere.

XII. Satis diſtincte tamen iſtae caloris differentiae vt et materiae percipi accurateque determinari nequeunt.

XIII. Ca-

XIII. Calor adeo in coelo propriam atque fixam ſibi conſtituit ſedem, vt in ſecuro heic collocatus, ab omni frigoris, contrarii principii, inſultu liber exſiſtat atque immunis.

XIV. Similiter frigus, quae natura oppoſita eſt, locum in terra, puriſſima illa, et infra maris abyſſos depreſſa, ſuum occupat, quo coeleſtis ille calor penetrare prorſus non poteſt.

XV. Terra quatuor affectionibus primariis frigiditate, opacitate, denſitate ac quiete inſtructa eſt.

XVI. Duo haec principia in intimis ſuae regionis partibus tranquilla, in extimis continua bella gerunt.

XVII. Oriuntur ex illo conflictu, nullis vnquam induciis finiendo, qui in intercapedine coeli et terrae peragitur, corpora, quae tellus habet ac alit vniuerſa.

XVIII. Corpora haec magis minusue ſiue calida ſiue frigida gignuntur atque diſpoſitionem adipiſcuntur, prouti iam de imbelliori principio triumphos egerit validius.

XIX. Coelum corporaque coeleſtia ex ſummo calore materiaque ſubtiliſſima fabricata ſunt.

XX. Motum coelum ſtellaeque habent proprium, qui tamen ſubinde variat, neque ad eum opus eſt intelligentiis motricibus.

XXI. Coelum natura ſua lucidum eſt, veluti et ſtellae, licet hae variis modis a ſe diſcrepent.

XXII. Plantarum corpori anima quaedam ineſt, ſpiritu illo, qui animalibus ineſt paulo craſſior.

XXIII. Animalia vel perfectiora ſunt, vel imperfectiora.

XXIV. Anima a deo in ſingulos homines, dum generantur immiſſa, et corporis vniuerſi forma, incorporea item atque immortalis eſt.

XXV. Senſus omnes tactus ſunt, vno auditu excepto.

XXVI. Animalia quoque reliqua praeter hominem ratiocinationis expertia haud ſunt.

Summa haec ſunt phyſicae Teleſianae capita, quae partim ipſe latius, licet, haud raro confuſa et inordinata tractatione deducit, partim prolixius explicuit Verulamius, ipſe ne nimii ſimus legendus. Cuius vt exemplum afferamus, ex poſito principio vtriusque niſu vincendi alterum ſibique ſimile reddendi, et conatu terrae, ſolem conuertendi, et ſolis terram, impedito tamen ne fiat, ſicque principium tollatur, cauſſas operationum variarum caloris deriuat Teleſius. Fieri enim ſtatuit iſtam operationem vel per vim caloris, vel per diſpoſitionem materiae, vel per modum ſubactionis, velut concauſſas inter ſe concurrentes. Prout itaque calores variant, ita etiam ex mente Teleſii operantur. Differt enim calor vi, copia, mora, medio, ſucceſſione; ſucceſſio variatur accedentia, recedentia, intentione, remiſſione, ſaltu, gradu, reditu, vel repetitione, per maiora aut minora interualla. Ipſi quoque calores inter ſe pro-

ut

ut gradu differunt, maiores minores absorbent, qui aliquid cum frigore commune habere videntur, aut cum ipso conspirare. Caloris vero successio per motum solis, tot generationum caussa est. Per eam enim corpus solis se omnibus terrae partibus accommodat, et vicissitudine sua efficit, vt nulla eius pars calore careat. Ita de calore disputat, frigus tamen simili modo delineare, gradusque et mutationum atque operationum caussas definire omisit, quare hunc defectum suppleuit Verulamius, cuius cogitationes ὡς ἐν συνόψει repetiit Morhofius, qui cum in omnium manibus sint, et sua placita Telesianis philosophematis tantum accommodauerit, ea huc non transscribimus. Simili ratione materiam a principiis actiuis subactam considerans, prout ad constitutionem vniuersi concurrit, ei vim tribuit actionem caloris promouendi, impediendi, mutandi, et differentias constituit quadruplices, nempe calore vel praeinexistente, vel non praeinexistente; ita vt calor, qui corporibus inest, ab adventitio calore excitetur ad agendum. Ex copia materiae vel eius paucitate; ex subactione materiae, secundum gradus suos, nempe lentoris, mollitiei, viscositatis vel tenacitatis, fluoris, vaporis, halitus, aëris. Porro ex clausura vel apertura corporis subacti &c. Quibus principiis subordinatis reliqua omnia attemperat, modumque separationis, qualitatum primarum connaturalium, coloris, lucis, tenuitatis et mobilitatis, et quae his opponuntur, velut accidentium explicat. Et de subactione quoque pari modo disputat, quae omnia fere ad victoriam principii actiui praeualentis, licet non aequali potentia, redeunt. Quae tamen heic loci curatius persequi instituti ratio finesque non patiuntur, et vel apud ipsum Telesium, vel apud Verulamium, cuncta eleganter enarrantem quaerenda sunt. Inesse systemati huic Telesiano multa non sine ingenio dicta, omnino fatendum est, nec enim sine hoc fulcro aedificium simile construi potest. Ast inesse ei multa male cohaerentia et inexplicabilia, ipse Telesius fassus est, libere pronuncians: *Qui calor vel quantus, hoc est, quod caloris robur, et quae eius copia, quam terram, et quae entia in qualia inuertat, minime inquirendum esse, vt quod homini nulla innotescere queat ratione.* Praeterea recte obseruatum magno Vervlamio *p. 269.* Telesium non minus ac Platonem et Aristotelem ex non entibus entia constituere, principia abstracta ponere, agentium principiorum bellum mirum et iniquum introducere, cum terra puncti instar sit, coeli spatia et regiones immensae: absurdum esse, terrae vires vsque ad solem peruenire, et frigidum eius eo adspirare posse. Addit his alia, v.g. dari actiones in rebus et effectus, quae ad colorem et frigus referri nequeant, esse res, in quibus calor et frigus in primo esse eorum indantur et generentur, ita vt principii ratio in iis ex vtraque parte deficiat, et quae his similia sunt, quibus immorari diutius scopus tractationis non patitur. Quibus tamen non obstantibus viro summo lubentes subscribimus, bene

de Telesio sentienti, atque eum vt amantem veritatis et scientiis vtilem, et nonnullorum placitorum emendatorem et nouorum hominum primum agnoscentem. Maxime vero laudandum existimamus Telesium, quod Aristotelis principia conuellere ausus sit, quae res ei melius succesſit, quam noui doctrinae naturalis aedificii exstructio: quamuis dum attributa materiae in principia incorporalia mutat, suis telis, quibus contra Aristotelem pugnauit, confodi potest. Hoc vero licet in causſa fuisſe videatur, cur paucis arriserit Telesiana philosophia, eaque paulo post parentis sui fata exspirauerit; ille tamen exemplum fuit nobile, et ad excitandos viros magni ingenii maxime vtile, vt maiori fiducia desertis aridis Peripateticae physicae desertis amoeniores campos quaererent, et proscriptis expulsisque spectris lemuribusque, veriora et sensus implentia principia quaererent. Quibus se ducem praebuisſe, et animum addidisſe, satis gloriae est Telesio.

* *

CAPVT SEXTVM.

DE RESVSCITATIONE PHILOSOPHIAE IONICAE.

§. I.

Ionica secta cur depressa manserit?

Inter omnes, quas Graecia tulit, sectas philosophicas nullam esse, quae iniquiori fortuna vsa est, quam Ionicam, nemo historiae philosophicae ignarus est, vt id nesciat. Quamuis enim summos et ingenio admirabiles viros Thaletem, Anaximenem, Anaximandrum, Anaxagoram, Diogenem, Archelaum protulerit, quorum memoria vel hoc vno nomine venerabilis esse debet, quod sepultum superstitionis tenebris orbem philosophicum a praeiudiciis liberauerint, et rebus naturalibus primi omnium lucem aliquam accenderint; mature tamen defiit, et inter Graecos neminem inuenit, qui laudabile institutum continuaret, lumina tantorum virorum augeret, et quod in aliis sectis factum, perfectiorem eam redderet et illustriorem. Quanquam enim in Clementis Alexandrini vitae historia traditur, habuisſe eum Ionicum quendam praeceptorem; in *antecedenti* tamen *Tomo* obseruatum est, frustra hoc nomen ad sectam Ionicam referri. Et PLVTARCHVM quidem cum in libello *de Placitis philosophorum*, tum alibi, et post eum PSEVDO-ORIGENEM, quorum vestigiis ex recentioribus institere SCIPIO AQVILIANVS et THOMAS STANLEIVS, philosophum ἑνῶν Ioni-

Ionicorum διατύπωσιν nobis dediſſe, ex iis, quae *Tomo primo p. 464.* de hac ſecta diximus, notum eſt. Verum hi Ionicam phyſiologiam narrando tantum expoſuerunt, nec ad philoſophiam ipſam, ſed eius hiſtoriam modo referendi ſunt. Et mirari quis forte poſſit, qui euenerit, vt philoſophica haec ſecta, nec adeo mala in ſe, nec curioſitate philoſophorum indigna, inter Graecos pariter et recentiores neminem inuenerit, qui iſti philoſophandi viae inſiſtere, et Ionicorum philoſophorum placita incruſtare, vel emendare quoque, et ex parte excolere conatus ſit, cum aliae tamen Graecorum ſectae hac fortuna vſae ſint, quae in rerum naturalium inueſtigatione longe infra dignitatem et acumen Ionicae ſunt; e. g. Pythagorica, quae pneumaticam et metaphyſicam partem phyſicae miſcendo multo deterius philoſophata eſt de rerum naturalium cauſſis, quam Ionica. Verum hiſtoriam philoſophiae huius et temporum iſtorum, quibus intercidit, conſulenti res omnis erit apertiſſima. Nempe, vt taceamus, ipſam regionem peregrinam, et Athenis nimis diſtantem, in cauſſa fuiſſe, vt citius negligeretur, praeſertim vbi Anaxagoras vrbe eiectus eſt, duae potiſſimum cauſſae concurriſſe videntur, cur omiſſum et ſuppreſſum fuerit philoſophiae Ionicae ſtudium. Vna in ſuſpicione atheiſmi quaerenda eſt, qua valde preſſa eſt ſecta Ionica. Cum enim cauſſam efficientem vel omitteret, vel plane obliuiſceretur, et materialem tantum conſiderare naturae ſtudioſos iuberet; impietas illi obiecta eſt. Quam licet tollere videretur Anaxagoras mentem rerum omnium fabricae adiungendo, non potuit tamen ſuſpicionem eam omnem ex animis eiicere, praecipue cum ob impietatem obiectam Athenis eſſet pulſus. Adeo vero periculoſum erat Athenis ſine numine philoſophari, et res ipſa capitis periculo non carebat, vt merito inuiſa et neglecta manſerit philoſophia Ionica. Quod praeiudicium recentiora tempora non exuiſſe, ex circumſpectione conſtabit, qua vſum eſſe Berigardum in ea philoſophia in partes vocanda infra dicemus. Altera cauſſa in ſcholae Socraticae ſtudio et incrementis quaerenda eſt. Socrates enim, vt ſuo loco probatum, tametſi ex Archelai Ionici ſchola prodierat, philoſophiam a coelo in terram deduxerat, neglectaque rerum naturalium conſideratione ad moralem diſciplinam et emendandum animum cuncta reuocauerat, quae res cum ob tanti viri exiſtimationem valde probaretur, finem fecit ſcholae Ionicae. Quae vero ex Socratica ſchola emerſerunt ſectae academica, Peripatetica, Cynica, Stoica, (reliqui enim Socratici de naturalibus philoſophati haud ſunt,) ita ſuis philoſophematis, nouitatis gratiam aucupantibus Graeciam occupauerunt, vt Ionicae nullus poſſet eſſe locus nulla memoria. Acceſſit conditorum iſtarum ſectarum inuidia, qua veteres cumulabant, vt ſua commendarent. Quamuis enim Ionicorum ſcrinia haud raro compilarent, vt laterent tamen plagia, Ionica philoſophumena falſo relata et corrupta refutare, quam quo

decebat modo explicare emendareque maluerunt, vt noui ſyſtematis ipſos ſolos maneret gloria. Id quod imprimis Ariſtotelem feciſſe, eleganter rectèque obſeruatum eſt FRANCISCO PATRICIO [a]. Acceſſit his ex altero Graecanicae philoſophiae fonte, qui ex magna Graecia auctore Pythagora ſcaturiuit, noua cauſſa, ſupreſſae phyſiologiae Ionicae. Ex eo enim promanans philoſophia Eleatica, cum auctore Leucippo et Democrito nouum et naturae magis conueniens de rebus naturalibus philoſophandi genus introduxiſſet, illatum ab Epicuro Graeciae, ipſisque Athenis, et populariter magis differere de φαινομένοις naturae viſum effecit, vt neglecta maneret phyſica Ionica. Exoriente vero monarchia Romana cum non aliae de cauſſis phyſicis ſectae philoſopharentur, quam Platonica, Peripatetica, Epicurea et Stoica, Ionica fortuna noua vti non potuit, ipſorumque Romanorum imperatorum legibus non aliud philoſophandi genus permiſſum eſt, qui vero priuata induſtria philoſophabantur, Academicam potius incertitudinem eligebant, vel de rebus naturalibus plane non erant ſolliciti, vt a Cynicis factum: quae vero poſtea caput extulit Ammonii ſchola, cum omnes ſectas ſupprimeret, et ſola imperio potiretur, Ionicam quoque in puluere iacentem retinuit, ne ſurgeret. Quod fieri quoque non potuit, cum in vniuerſum philoſophorum orbem tyrannidem exerceret Ariſtoteles. Recentiori vero aetate cum refloreſcere inciperent literae, et philoſophia Graecanica reſuſcitaretur, vigentes et in memoria conſeruatae ſectae, quales Platonica et Ariſtotelica fuere, tantum applauſum nactae ſunt, vt ex his ſcaturiginibus plerique ſua arua irrigarent. Nec dubitandum, quin Ionicorum ſcriptorum inopia in cauſſa fuerit, cur recentiores eam neglexerint, et atheiſmi ſuſpicio eam exoſam reddiderit. Quae adeo inualuit et tam altas radices egit, vt cum Ionicae phyſiologiae renouatione Ariſtotelem debellare conſtituiſſet Claudius Berigardus, id adeo circumſpecte, cauteque ſuſceperit, vt nemo hactenus conſilium hoc eius inſpexerit, ſed omnes eum inter Peripateticos numerauerint, adeo Ariſtoteli deuotos, vt impiis quoque eius dogmatibus frigidam ſuffunderet. Aſt iniuriam illi fieri, et reuera reſuſcitaſſe illum Ionicorum phyſicorum placita, et, ſi non alio ſcopo, certe κατ' ἄνθρωπον velut meliora et tolerabiliora Ariſtoteli oppoſuiſſe, ſequens tractatio faciet manifeſtiſſimum. Quanquam cum tam occulte et ambiguo dialogicae methodi ſenſu id fecerit, inde euenerit, vt neminem haberet, qui veſtigia eius premeret, immo ipſe eius liber in quo hoc inſtitutum perſecutus eſt, fieret rariſſimus, paucisque innoteſceret, et a plerisque qui hiſtoriam philoſophicam recentiorem tetigerunt, vel negligeretur, vel inter interpretes Ariſtotelis relatus, ſolo impietatis Peripateticae nomine recenſeretur, et oppido pauca eſſent, quae de eo dicerentur. Diligenter itaque, quantum nobis licebit, viri doctiſſimi magnoque acumine in hac philoſophiae parte verſati hiſtoriam enarrabimus.

§. II. Vitae

a) Diſc. Peripatet. T. III. BERIGARDVS Praef. Circul. Piſ. I.

§. II. Vitae CLAVDII BERIGARDI historia valde hactenus manca fuit, vt vel ex paucis illis videre est, quae de eo congerere potuit P. BAYLE [b]. Quaedam nobis de eo, licet nec certa satis, nec digesta narrauit *Naudaeanorum* collector [c], ex quibus comparatis cum ipsis Berigardi scriptis alio loco [d], qualem licuit, Berigardi biographiam conscripsimus. Interea temporis autem cum elegantis eruditionis viri, PETRI NICERONII *Memoriae virorum literis illustrium* comparuissent [e], et is a nonnemine ex posteris Berigardi [f] paulo pluscula de eo accepisset, vberiorem dare Berigardi notitiam conatus est. Et tamen optandum, vt et plura essent, et certiora. Depingemus itaque eius scenam, vt possumus. Verum nomen philosophi praestantissimi fuit, Claudii Guillermet domini de Berigardo; patre is natus fuit Petro, philosophiae et medicinae doctore Molinensi. Natum fuisse anno MDXCII, olim tum ex indicio aetatis adscripto imagini Berigardi editioni Circulorum eius Pisanorum, quae anno MDCXLIII prodiit, praefixo collegimus, vbi LI annorum vir dicitur, tum ex *Supplementis Naudaeanis adiectis* [g] colligi posse monuimus, vbi anno MDCLIII annum aetatis LXII attigisse Berigardus dicitur: nihil autem pro certo definiuimus. Niceronio autem auctore constat, natum eum esse anno MDLXXVIII, XVIII Cal. Sept. Quod vbi verum est, nonagesimum aetatis annum attigisse Berigardum oportet. Ex epistola enim G. HIER. WELSCHII nostri ad Io. Andream Bosium XI Id. Nou. anno MDCLXVII scripta [h] certissimum est, non vixisse modo eo tempore Berigardum, sed iis quoque viribus floruisse, vt potuerit conferre codices Graecos, et amicis isto labore lubenter inseruire: quod vtrum de viro nonagenario verisimile sit, et an sine contrarii metu fidendum natali, quem designat Niceronius, Lectori expendendum relinquimus. Eo vero auctore quoque discimus, post studiorum diligenter magnaque cum laude absolutum cursum, cum et philosophiae et artis salutaris praecepta, et humanitatis literas, Graecamque linguam et μαθήματα accurate didicisset, in academia, quae Aquis Sextiis floret, philosophiae et medicinae laurea fuisse redimitum, anno MDCI. Haesisse tamen eum quoque diu oportet Parisiis aut discendi aut docendi caussa, ex ipsius indicio liquet, ait, enim [i], se ex Parisiensi academia in Pisanam accitum esse. Quacunque autem in schola studiorum fundamenta iecerit, illud ex ipsis Berigardi scriptis manifestissimum est, philosophiae, cum veteris, tum recentioris, quae experientia obseruationum rerum naturalium caussas inuestigare eo tempore coeperat, itemque historiae veteris literaturae, et quod WELSCHIVS in eo magnopere laudat, Graecae linguae atque eruditionis itemque matheseos fuisse peritissimum. Quae doctrinae copia illum

Claudii Berigardi vita.

b) Dict. T. I. art. Berigardus.
c) p. 110 seqq. Additions p. 227 seqq.
d) In Germanico Hist. phil. opere T. VI. p. 714.
e) Tom. XXXI. p. 123 seqq.
f) Comite Nicolao Berigardo, a quo accepit Naudaeanorum collector, et ab eo Niceronius.
g) pag. 227.
h) In Epistolis Reinesianis et Bosianis, p. 470.
i) Praef. Circ. Pis. II.

illum Catharinae, Lotharingiae principi, quae magno Hetruriae duci nupserat, ita commendauit, vt sibi a secretioribus epistolis Berigardum esse iuberet [k], suspicamur quoque, cum artem salutarem profiteretur, valetudini principis curandae simul praefectum fuisse. Ei vero magnam de Berigardi doctrina opinionem fouenti, occasio inde enata est, Berigardum Mediceae domui commendandi. Id quod eo fecit successu, vt, cum in Pisana Academia cathedra philosophica vacaret, inter plures viros doctos, qui Parisiensem academiam eo tempore ornabant, vnus Berigardus ad subeundam hanc spartam anno MDCXXVIII euocaretur, demandata simul professionis mathematicae, et botanicae prouincia. In hac palaestra duodecim annis exercitatum se esse, ipse in *Dedicatione Circ. Pis.* ad Ferdinandum II, magnum Hetruriae ducem [l] scribit: idque factum esse magna nominis celebritate, et insigni Hetruriae principum gratia et fauore, ipse in omnibus, quas ad huius gentis viros summos, Ioannem Carolum, cardinalem, Matthiam, Leopoldum, Laurentium, et Carolum cardinalem scripsit, dedicationibus fassus est. Cum vero doctrinae eius fama vndique esset celebratissima, a senatu Veneto ad amplissimum doctoris publici munus in academia Patauina anno MDCXL vocatus est, insigni octingentorum aureorum stipendio. Quam spartam tanta eruditionis copia ornauit, tantumque sui desiderium amoremque apud reipublicae Venetae proceres excitauit, vt cum in patriam redeundi spes affulgeret, illi an. MDCXLVI stipendium ad M. aur. summam augeretur, idque, cum an. MDCLIII primarii professoris locum Fortunio Liceto fatis functo occuparet, ducentis adhuc aureis redderetur pinguius. Et in hac quidem studiorum palaestra vsque ad mortem perdurauit, a paschate tamen, cum cathedrae vacare incipiunt, Florentiam se cum familia conferre, atque ibidem aestiuare solitus est [m], vt in frequentissima vrbe apud veteres patronos, eo lautiora haberet et commodiora studiorum priuatorum rite excolendorum otia. Id quod senio ingraueſcenti eo iucundius accidit, cum filium haberet, paternae eruditionis haeredem, quem ob morum humanitatem et inseruiendi promtitudinem valde extollit Welschivs. Obiisse tamen oportet filium ante parentem, nec hunc alios habuisse liberos, si verum est, quod relatum Niceronio, fratrem Ioannem Berigardum eius haeredem fuisse: at habuisse Berigardum nepotem Petrum, qui *Hippocratis Aphorismos* versibus leoninis comprehendit, testis est Naudaeanorum auctor [n]. Obiit Patauii, si eidem viro docto fides est anno MDCLXIII, ex hernia vmbilicali, aetatis LXXXV anno. Ast quadriennio post, anno MDCLXVII, adhuc eum in viuis fuisse, ex Welschii, qui tum Patauii studiorum caussa vixit, epistola constat, falsum fuisse Niceronium oportet ab eo, qui has illi memorias suppeditauit: id quod saepius viro cetera diligentissimo et accurato incerta narrantium fide accidisse, eius commentarios examinanti erit manifestum, sciuntque, qui humanissimum

k) Niceron. l. c. l) Circ. I. m) Welschivs l. c. n) loc. c. p. 237.

nissimum virum inter viuos norant. Vnde suspicamur, si viuendo annum MDLXVIII attigit, paulo serius eum natum fuisse, quam supra dictum. Quanta autem eruditionis Berigardianae existimatio fuerit, societas eruditorum academiae disunitorum nomine nota, suo probauit iudicio, quae eum, vt ex GAVDENTII relatione scimus, albo suo adscripsit, et virorum, quorum summa est in republica literaria auctoritas, elogia satis ostendunt. Et inter Italos quidem summa eum in opinione fuisse, ipse nobis Berigardus, quamuis esset modestissimus, prodidit o), laudato enim Laelii Mancini professoris iuris primarii, Paganini Gaudentii, professoris philosophiae, et Ioannis Baptistae Soncini atque Io. Baptistae Ruschii medicorum Pisanorum consilio, hos se, ait, praecipue viros cordatos permouisse, ne opus hoc exile suum in libros de coelo diutius in tenebris, quibus illud damnauerat, latere sineret, monuisseque, videri satis ingenuo scriptori, si placuerit tribus aut quatuor viris egregiis. Nec omittendae hic sunt censurae libris Berigardi praefixae, quamuis enim forsean a viris obscuris possint videri profectae, testantur tamen, quid de eo illi iudicauerint, quorum perspicaciae et fidei purioris doctrinae custodia fuit commissa. Inter quos Franciscus Bettotus, theologus primae sedis in academia Patauina logicus, circulum eius primum, *delineatum*, iudicauit, *peruenusta sapientiae arcana complectentem, ac tanquam solem radios orbi porrigentem, in quo nil impuri sit, immo qui ignorantiam pellat, Peripateticas veritates ab errorum caligine vindicet, noui veris delicias orbi praegeminet.* Similia habent censurae reliquae, plenae laudum doctrinae Berigardi, quibus eius in doctrina puritas et elegantia magnis encomiis extollitur. Quae si non id euincunt, quod Niceronius putat, perfecta illis Berigardum apologia purgari ab obiecto impietatis crimine, quod aliis et melioribus rationibus conficiendum est, ostendunt tamen, inter summos Italiae philosophos Berigardum fuisse numeratum. Nec minori admiratione apud exteros fuit Berigardi eruditio, quam hoc distícho eius imagini apposito laudauit Ioannes Iacobus Scharundaeus Solodorienſis;

Ellipſi minima phyſici ſollertis imago
Clauditur, aethereo mens nequit orbe capi.

Maius pondus habet iudicium quod P. BAYLE p) tulit, cui acutissimus philosophus, subtilitatis laude nulli secundus audit. Addimus his ex Germanis MORHOFIVM q), qui profundissimum in eo ingenium et iudicium agnoscit, et Circulos eius valde extollit. Neque his eius laudibus illorum magnopere obstant censurae, qui atheismo Peripatetico frigidam suffudisse Berigardum conquesti sunt: Vt taceamus enim, non denegare illos laudem ingenii et acuminis Berigardo, illud res ipsa, et locorum, quibus ista

o) Circ. III. Prooem. p) l. c. et Tom. III. art. Rufin. n. C. p. 101. q) Polyhist. Tom. II. p. 154.

ista agunt accusatores Berigardi, inspectio docet, paucos vidisse, legisseque Circulos eius, pauciores ad scopum scriptionis eius attendisse, paucissimos veram eius mentem fuisse assecutos. Edidit anno MDCXXXII ficto GALILAEI LYNCEI nomine *Dubitationes in dialogos Galilaei pro terrae immobilitate*, P. BAYLE et P. NICERONIO laudatas, quas tamen non vidimus. Maxime tamen nomen eius apud aetatis suae homines nobilitarunt, apud posteros autem impietatis suspicione obfuscarunt *Circuli* eius *Pisani*, liber inter rarissimos numeratus [r], in quo disputationes eius circulares Pisis in libros physicos Aristotelis habitae exhibentur, et commentarius in eo suppeditatur longe doctissimus. Eum Pisis adhuc docens consignauerat, diuque tenebris amandatum supprefferat, sine dubio timens, ne trisulcum in caput suum fulmen prouocaret. Amicorum tamen, maxime collegarum Pisanorum exhortationibus permoueri se passus est, vt has meditationes suas Vtini superiorum permissu censurisque munitas anno MDCXLIII ederet. Inscripsit ab instituto et occasione scribendi: *Circulos Pisanos de veteri et Peripatetica philosophia, in quibus parte prima libros Physicorum priores, Vtini MDCXLIII parte secunda*, anno locoque eodem edita, *octo reliquos* libros *Physicorum, parte tertia, MDCXLVII* vulgata, libros *de Coelo, parte quarta MDCXLIII* librum *de Ortu et interitu, parte quinta MDCXLVII* libos *Meteorologicos, parte sexta* libros *de Anima* MDCXLIII mira subtilitate et elegantia illustrauit. Vidimus, praeter hanc primam editionem, quam inter reculas nostras seruamus, alteram quoque *Patauii* anno MDCLXI editam [s], et chartae typorumque nitore atque elegantia priori editioni Vtinensi multum cedentem. Quas cum comparare inter se non licuerit, dicere non possumus, vtrum recentiori editioni vel additum aliquid sit, vel detractum: non dissimulamus tamen, suspectum nobis fuisse, quod in titulo auctor, qui tum in viuis adhuc supererat, hanc editionem *auctiorem et retractatiorem* vocauerit. Quis enim non videt, mutationem fuisse hunc librum in editione altera passum, et retractasse eius conditorem nonnulla, quae inuidiam illi creauerant. Primam ergo editionem in consilium partesque vocantes, quid de Aristotelica philosophia, quid de Ionica Berigardo fuerit visum, iam porro explicabimus.

Berigardi consilium philosophiam naturalem excolendi quale fuerit?

§. III. Recte vero de mente Berigardi circa vtrumque philosophiae genus disputaturis praefationes et introductiones auctoris ipsae, quas in *Circulos Pisanos* scripsit legendae sunt, quod qui vel facere nequeunt libro isto destituti, vel id laboris refugiunt, eos inepte et praeter rem de hac re differere, minime mirandum, et vera caussa dicenda est, cur aliam, quam fouit, opinionem viri docti Berigardo affinxerint, eumque inter detestandos atheismi Peripatetici incrustatores praeter rem meritumque eius retulerint, parcius ista obiecturi viro philosophiae laude clarissimo, sieas

r) Vid. Cat. Bibl. Vffenbach. T. I. p. 763. Cat. libr. rar. Io. LVD. BVNEMANNI p. 107. Ven. VOGTIVS Catal. libr. rar. pag. 78.

s) Vid. Cat. Bibl. Vffenbach. l. c.

si eas introductiones, et totum librum, cum attentione et repetita, quam poscit, diligentia perlegissent, et ad circumstantias eius paulo curiosius respexissent. Ne itaque et nos offendamus, rem ex fontibus hauriemus suis. Et ante omnia quidem ex antecedentibus in memoriam reuocandum est, vixisse, et quod ex ipsius verbis collegimus, docuisse Berigardum exoriente seculo XVII Parisiis, quo tempore euilescere coepit physicae Aristotelicae pretium, virique docti passim audebant Aristoteli per pulpita publica adhuc strepenti liberius obloqui. Quod vt luculenter explicemus, et vna fidelia duos dealbando parietes philosophicam historiam academiae Parisiensis ab initio seculi XVII ad id tempus, quo ad Pisanam cathedram Berigardus vocatus est, paulisper illustremus, memorandum hoc loco ducimus, sub auspiciis huius seculi, cum scholae reformatio esset suscepta, regia auctoritate mandatum quidem fuisse, vt libri logici et ethici Aristotelis praelegerentur iuuentuti, metaphysici autem et physici emendarentur. Inter regulas enim quas singulis facultatibus praescriptas fuisse ex tabulario academiae refert Io. Lavnoivs f), hae quoque sunt, vt „primo anno interpretentur libros Aristotelis Logicos; secundo eius Phy„sicam mane, post meridiem Metaphysicam; vt vero Aristotelis Dispu„tationes aduersus veteres physicos, in quibus ingenii summa subtilitas „elucet, accurate examinentur, reiectis inanibus quaestiunculis, quas „olim barbari inuexerant, et ab humaniore politioreque seculo explosas „asperi durique homines non ita pridem redintegrare sint conati". Haec eo tempore sancita sunt, quo certum ex supra dictis est, Berigardum iam doctorem philosophiae et medicinae renunciatum Parisiis haesisse aut docendi aut discendi caussa. Quodcunque eligamus, licet prius magis cum verbis eius conueniat, necessario inde fluit, illum, cum se ob professionis medicae rationem naturae scrutandae dedisset, ad hoc examen librorum physicorum delatum occasionem habuisse veterum physicorum placita cum Peripateticis comparandi, et vtriusque partis systemata explorandi. Subministrauit hoc viris multis eruditis ansam adiecitque animum, vt, in cuius verba hactenus iurauerant, Aristotelem de rebus naturalibus examinare, rationes ad trutinam exigere, de principiorum et conclusionum veritate disquirere, sicque paulo accuratius ad fundamenta physicae Peripateticae attendere auderent. Testem damus, qui eo tempore vixit Sebastianvm Bassonem, qui in *Praefatione Philosophiae naturalis* ff) lectu dignissima *, testatur, *laborauisse plurimos, vt veritatem quasi*

f) De Fortuna Aristot. in Acad. Paris. c. 15. p. 296.

ff) Prodiit liber elegantis doctrinae hoc titulo: Philosophiae naturalis aduersus Aristotelem libri XII, in quibus abstrusa veterum physiologia restauratur, et Aristotelis errores solidis rationibus refelluntur, a Sebastiano Bassone doctore medico, cum indice locupletissimo. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Esse librum ex rarioribus obseruarunt viri literatissimi, C. A. Hevmannvs in Consp. Hist. liter. optimae frugis libro p. 315. et Act. phil. Vol. III. p. 939 seqq. vbi eius recensionem sistit, et Cl. Io. Vogtivs in Cat. libr. rar. p. 75. id tamen praecipue de Geneuensi editione intelligendum, Elzeuiriana frequentius occurrit.

*) Totam fere exhibet Lavnoivs l. c.

sepultam eruerent, ingentia saxa, quae viam praepediebant, vel submouisse, vel certe crebris disputationum ictibus valde concussisse, vt non difficile esset, ea remouere, atque via facili ad veritatem peruenire. Immo fuisse plures eorum, quibus complures Aristotelicae doctrinae falsitates paterent, easque non dissimulasse. Quia tamen Peripatetica philosophia publico senatus decreto iuncta, regis auctoritate firmata, academiae Parisiensis consensu recepta fuit, nemo fere fuit, qui, quae inter amicos differebat, aut apud iuuenes disceptabat, publice proloqui auderet, donec anno MDCXXI, laudatus Sebastianus Basso, vir, vt iudicat LAVNOIVS *acerrimi iudicii et scientiae maximae*, in libro modo adducto signum quasi tolleret, classicumque ad debellandam Aristotelis philosophiam naturalem caneret. Et tamen verisimile est, eum Parisiis id ausum non esse, liber enim iste non in Gallia, sed apud *Geneuenses* anno MDCXXI. 8. [t] prodiit, postea in *Belgio* [u] ob insignem eruditionem recusus. Quo libro prodeunte oculos hactenus coecutientes aperuit, quicquid de veritate rerum naturalium cogitare aptum erat, et imprimis artis salutaris quam ipse quoque Basso profitebatur alumni, aut curiosi spectatores erant pugnae ab acuto eruditoque viro inter Hippocratem, Democritum, Platonem, Anaxagoram, Empedoclem et inter Aristotelem institutae, aut acres iudices. Inter quos Berigardum fuisse, et professionis ratio, et studiorum similitudo, et scriptionis, quod postea expressit genus dubitare nos non sinunt, et patefaciunt, qua in parte Berigardus, qui vsque ad annum MDCXXVIII magna eruditionis fama Parisiis vixit, fuisse censendus sit. Neque dubium, honestam virum doctum aemulationem ad similia audenda accendisse, cum videret Bassonis exemplum excitasse nonnullos apud Parisienses, vt Aristotelicae philosophiae bellum indicerent. Id quod paulo post, nempe anno MDCXXIV factum est, quo Ioannes Bitaudus, Antonius de Villon et Stephanus de Claues publicas theses Paracelsicis, Cabbalisticis, et Peripateticis dogmatibus physicis oppositas [v], ediderunt, quorum quidem impetum et facultatis theologicae censura, retardauit, et senatusconsultum Parisiense compescuit, vt allatis documentis publicis fuse narrat LAVNOIVS [w], impedire tamen non potuit, quo minus quibus aes circa pectus triplex erat, intrepida pugna Aristotelis philosophiam aggredi auderent. Quod tamen qui aperto Marte fecerunt, impune vix ferre poterant, saltem a certamine ab inuidia quae inde exoriebatur, deterrebantur: id quod memorabili Petri Gassendi exemplo nouimus, qui cum eodem anno *Exercitationes paradoxicas aduersus Aristoteleos* edidisset, vulgata disputatione secunda telam, quam exorsus fuerat, abrumpere, remque alia et cautiore via vrgere coactus est. Qui itaque apertum cum Peripateticis philosophis bellum

t) Hac editione inter reculas nostras literarias nos vtimur.

u) Amstelod. 1649. conf. de hoc libro SORELL. de Perfect. hom. P. III. p. 484. ed. Germ.

v) Quales illae fuerint, ex SORELLI indicio l. c. p. 501. constare potest, qui eas accurate recenset. Quem exscribere institutum nostrum haud patitur.

w) loc. cit. pag. 320.

lum detrectabant, et tamen meliora videbant, prouidentia vti ſtatuentes non in fronte bello aggrediebantur Ariſtotelem, ſed inſidiis quaſi diſpoſitis lateri tela intentabant, ſimulantesque cum eo concordiam doloſa ſimulatione ei plagas inferebant: nonnulli paulo mitius agentes, ab Ariſtotele laudato et commendato in naturali doctrina diſcedebant, quoties experientia, tot iam tum virorum doctorum obſeruationibus ſtabilita id iuberet. Qua via ex philoſophis Gallis Honoratum Fabri circa illud tempus incepiſſe, alibi narrauimus. Et illis quidem partibus ſe adiunxiſſe Berigardum eo minus dubitandum eſt, quo certioribus indiciis ex Circulis eius conſtat, vidiſſe eum naeuos phyſiologiae Peripateticae, eosque candide detexiſſe, et illis non directa quidem acie, obliqua tamen pugna ſe oppoſuiſſe, vt ex dicendis conſtabit. Et veriſimile admodum eſt, Berigardum inter nouatores, phyſicosque eclecticos haud obſcurum nomen conſecuturum fuiſſe, ſi apud Gallos manſiſſet. Quamuis enim valde refragabantur innouationi huiusmodi profeſſores veteres, parum tamen eos effeciſſe, et eo tempore, quo Berigardus fatis conceſſit, iam in pulcherrima luce viguiſſe philoſophiam naturalem apud Gallos, hiſtoria innumeris exemplis teſtatur, et vel vnius Gaſſendi et ſequacium conatus et ſcripta euincunt x. Neque a vero valde abit coniectura, Berigardum, qui licet ſenex de reditu in patriam cogitauit y, eo potiſſimum argumento excitatum fuiſſe, ad deſerendum, ſi fieri poſſit, pingue munus, vt liberius, quam in Italia fieri licet, philoſophari liceret, nec iſtis amplius laruis, quibus ad decipiendos Italorum oculos vſus erat, opus eſſet. His vero philoſophiae naturalis fatis inualeſcentibus, cum adhuc apud Pariſienſes viueret Berigardus, et excellentiſſimae eruditionis copia, atque lectionis vaſtitate, praeſertim in ſcriptis philoſophorum Graecorum, vetera et recentiora omnia componere et conferre inter ſe noſſet, otio inſuper fatis liberali in eo, quo apud principem Lotharingiae fungebatur, munere frueretur, mirum non eſt, eam illum philoſophiae veteris notitiam ſibi comparauiſſe, quae in eius ſcriptis regnat. Non enim coeco aſſenſu legebat, ſed attentus iudicabat, et praeiudicia exuebat, cuius exemplum luculentum et laudabile mox in limine Circuli primi z ſuppeditauit. Haec molitus, et hoc pacto in conſideratione philoſophiae naturali verſatus Berigardus lauta conditione ab magno Hetruriae duce ad docendam philoſophiam Peripateticam, medicinam et artes mathematicas in Piſanam academiam vocatus, ea vero vocatione tota eruditionis eius ſcena mutata

x) Conf. Menagiana T. II. p. 9 ſeqq.

y) Praef. Circ. II.

z) Ibi reiecta origine philoſophiae Pythagoricae ex Iudaica, recte obſeruat, fabulam eam Ioſepho deberi, vt acommodet ad aures vulgi ſacras paginas, non verenti compluribus locis ſenſum peruertere. Recte quoque et contra praeiudicium ſui temporis monet, Graecorum inuentione philoſophiam nos habere, barbaros habuiſſe aliquam philoſophiam, ſed valde rudem et inconditam, moralem praecipue, naturalem enim fuiſſe obſcuriorem, vt ex iis pateat, quae ab Hebraeis accepimus. Miſſos faciendos eſſe illos, qui philoſophiam ab Adamo traditam putent, et Ioſephi ſuperſtitionem Sethianas columnas memorantis &c. Quae ſatis oſtendunt, quo iudicio ſobrio in legendis veterum ſcriptis Berigardus vſus ſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt. Viuebat enim in Italia, in qua licet magna nonnulla ingenia caput erigere, et phyſicae Peripateticae exploſae meliora, ſaltem noua et inaudita ſurrogare auſa erant, male tamen illis res cefferat, nec pati potuit ob rationes ſupra dictas curia eccleſiaſtica, vt Ariſtotelis auctoritas euileſceret; ex quo ſtudio Peripateticae diſciplinae mordicus tuendae euenit, vt Teleſio, Patricio, Galilaeo, ſimilibusque, qui a tramite Peripatetico declinauerant, grauis ignominiae nota inureretur, et retractationes, non omiſſa carceris vi, iniungerentur, libri autem nigro ſtigmate in indice expurgatorio notarentur. Quibus exemplis diſcere poterat Berigardus, quanto pretio conſtaret, Ariſtotelis imperium laceſſere, et hac quoque via cleri praeiudicia conuellere*. Neque vero hoc ſolum timendum erat philoſopho Gallo, ex libera gente ad magna libertatis vincula translato, ſed cum magno ſtipendio ad profeſſionem philoſophiae Peripateticae vocatus eſſet, et ſumma ſpe gratiae principum Hetruriae aleretur, ſpeciali quoque ratione Peripateticae philoſophiae profeſſorem effingere cogebatur, niſi hac vellet gratia excidere, et nouatoris ſuſpicione a pingui munere et fauore Moecenatum depelli. Neque id difficile fuit Berigardo, viro et iudicii acumine et lectionis diligentiſſimae in veterum ſcriptis vſu Graecae philoſophiae omnis, et imprimis Ariſtotelicae peritiſſimo: qui cum ineptum conciliationis Peripateticarum doctrinarum cum ſanioribus reuelationis placitis praeiudicium exuiſſet, melius et accuratius, quam alii iſta opinione praeconcepta impediti, in veros ſenſus Stagiritae penetrare poterat. Cum autem otioſum et ſterile commentandi genus, Ariſtotelicis ſolenne perhorreſceret, nolletque inanibus vacuisque vero ſenſu ſonis philoſophiam naturalem replere, ita praeceptis Peripateticis, quae muneris ratio et conditiones vocationis iniungebant, vſus eſt, vt et veteris philoſophiae Graecanicae lumina in partes vocaret, et recentiorum obſeruationes et experientiam toties admitteret, quoties id caute inſtituta patiebatur tractatio. Quam ſuae philoſophiae methodum ipſe prodidit, ſcribens: *Conabor ex veterum et neotericorum obſeruationibus ea proferre, quae ſunt ingenioſius excogitata, velut hypotheſes quaedam, ad diuinum opus ſupremi artificis adumbrandum, quemadmodum feci in aliis partibus philoſophiae.* Nec hac eum laude deſtitui recte obſeruatum MORHOFIO †, lectione libri eius abunde rem confirmante. Igitur ſi quis Berigardum ob publicae profeſſionis notam Peripateticis velit aggregare, minime repugnamus, qui alio eum ſenſu ex hoc numero eximimus, et ad delectum ab eo philoſophiae genus reſpicimus, quo tecta cautaque via Peripateticam arcem euertere ſtuduit. Aſt non ita ſtupidum fuiſſe Berigardum, vt quae publica docentium vox tradebat, et imprimis hominum eccleſiaſticorum auctoritas, quae in Italia maxima eſſe ſolet, profiteri iubebat, ea omnia crederet, ſed multa in ſinu riſiſſe, et frigidis excuſationibus prodidiſſe, aliam ſibi de rebus naturalibus mentem ineſſe, facile cauto et

*) Prooem. Circ. III. †) loc. c. pag. 165.

et attento Lectori ex dictis subolebit, et monuit quoque auctor Naudaeanorum, Berigardum totam Italiae religionem contemsisse. Quod licet maxima prouidentia in scholis Italicis fieri debebat, non tamen omisit prodere, vbi simplicioribus fumum vendere osque oblinere posset. Quod ne partis studio vel inuidiae causa attulisse videamur, vno alteroque exemplo ob libri raritatem faciemus manifestissimum. Tractaturus de vi argumenti, quod ad stabiliendam scripturae sacrae auctoritatem a miraculis petitur, Aristaeum (quo nomine ipsum Berigardum intelligi postea ostendemus) ita loquentem inducit *: *Necessarius est Dei contactus ad vera miracula discernenda, vt ad supremi vnius creatoris cognitionem assurgamus, nec simul colatur sanctus Mandalius, sancta Xynoris sanctus Vermius, sicut olim a Pictonibus occasione veteris epitaphii, quod vix legebatur: Vermibus hic ponor &c. vnde iam factum erat, vt mulierculis lapidem hunc ad vermes enecandos deradentibus, locus ille fictis miraculis celebraretur. Si tollis afflatum diuinum, et res, vt sunt, consideras tantum naturaliter, laborat intellectus, vt veros auctores distinguat ab iis, qui fidem quaerunt falsis prodigiis.* Quae postea ita deducit, vt miraculorum recentiori aetate longa serie in ecclesia, cui adscriptus erat, enarrari solitorum incredendas circumstantias, concussam veterum fidem, et ipsa ἀσύρματα e. g. crucem Domini clauosque multoties repetitos ostendi, ita palpandas exhibeat, vt vel mediocriter attento suspicio subnascatur, risisse eum suorum hominum, ne Iesuitarum quidem miraculis apud Sinas et Iaponenses editis exceptis, superstitionem: certe hoc omnia canone comprehendit, *haec prodigia, quantumuis illustria, nihil aut parum nos mouerent, sine fide quam habemus sanctae ecclesiae.* Quod quo fine dixerit acerrimi iudicii philosophus, Lectoris iudicio definiendum relinquimus, nostri enim hoc loco non est, disceptare de religione Berigardi, quibus sufficit demonstrare virum doctissimum, ea non probasse omnia, quae publica professio probare iubebat. Maxime vero id fecit, vbi naturalis philosophiae causa agenda erat; in qua hoc sibi statuebat a: *Non teneri nos assentiri sanctis patribus in rebus physicis, vt illi dicunt, parum esse curandum, quid sentiant philosophi in rebus diuinis.* Alia loca, licet non minus luculenta, ob paginae angustiam praetermittimus: haec enim ad ea probanda sufficiunt, quae ad detegendam veram Berigardianam philosophandi methodum attulimus; et lectori facilem laborem reddunt in lectione *Circulorum Pisanorum* ad veram Berigardi sententiam respiciendi, modo teneat in dialogi ambiguitate Aristaei responsiones esse Berigardianas. Talis cum esset Berigardus, qui prouida simulatione philosophiam apud gentem Italam melius iuuari, quam aperta professione, nouerat, Peripateticam quidem philosophiam, vt erat iussus, accurate docuit, ita vero, vt parum cautum esse oporteat eum, qui non palpauerit, ad obliniendum simplicioribus et incautis os et ad fallendam inquisitorum vigilan-

*) Circ. III. pag. 25. a) p. 53.

lantiam et perſpicaciam virum callidiſſimum id feciſſe, et ita inſtituiſſe, vt attento dubium non ſit, quin Peripateticae philoſophiae euertendae cauſſa ad veteres phyſicos maxime Ionicos perfugerit, eorumque arma dudum ſepulta contra Ariſtotelem reſuſcitauerit. Non hic fidem nobis aſſerentibus poſcimus, ſed ipſum Berigardum luculentiſſimum teſtem damus, et omni exceptione maiorem. Vidit accurate ſi quis vnquam, vir acerrimi ingenii enormes naeuos philoſophiae Peripateticae, vidit, deteſtatus eos et publice profeſſus eſt, plena impietatis horrea a phyſiologia Ariſtotelica aperiri, ineſſe illi ſyſtemati et ipſis quidem principiis phyſiologicis multa abſurda, et periculoſa, et id tam aperte protulit, vt ſatis mirari non poſſemus, tot viros doctos Peripateticae impietatis Berigardum in tanta verborum eius claritate accuſaſſe, niſi ſciremus, pauciſſimis viſos et cum cura atque attentione lectos eſſe Berigardi *Circulos Piſanos*. Dabimus autem eius verba, vt ipſe interponere ſuum Lector queat iudicium. Ita enim ſcribit [b]: „Atque vt apertius euadat, quid in Ariſto„tele et antiquis ſit reiiciendum, quid vero relinquendum eorum diſpu„tationi, quibus Deus mundum dicitur tradidiſſe, illud imprimis occurrit „reprehendendum, quod Ariſtoteles poſuit, mundum eiusque materiam „primam aeternam, primum motorem ſupremae modo ſphaerae medio „circulo inſiſtentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum intelligere, „niſi ſe ipſum, nec aliud efficere, quam motum aeternum, proinde nec „mundum nec aliud quicquam, ex nihilo creare poſſe; itemque de reli„quis intelligentiis, quarum infimam videtur facere intellectum agentem, „et animam vnam communem toti ſpeciei humanae, vnde conſurgit in„numerabilium errorum ſeges". Quae cum damnanda eſſe aſſerat, quis quaeſo ſanae mentis affirmauerit, Berigardum inter Peripateticos numerandum eſſe, qui ſumma phyſiologiae Peripateticae capita atheiſmi accuſat. Non diffitemur, aſſerere Berigardum in ſequentibus: „His reiectis „retinere nos poſſe Ariſtotelis principia ad normam ſacrae theologiae „caſtigata". Aſt voluiſſe Berigardum oculis inquiſitorum et cenſorum tantopere pro Ariſtotelis auctoritate vigilantium puluerem obiicere, nemo non intelligit, qui conſiderauerit, exploſis his principiis et fundamentis totum euerti phyſicae Peripateticae aedificium. Id quod tantum abeſt vt in ſequentibus neget, vt potius ad THOMAE CAMPANELLAE [c] effatum prouocet, ita de Ariſtotele ſtatuentis: „Is mundum aeternum docet, „Deum non eſſe factorem mundi, neque hominum, neque doctorem, „qui communicet nobiſcum vel in ſomnio vel in vigilia, nec beatorum „ante et poſt mortem, quippe nobiſcum nec habere poteſt commercium, „nec curat, nec intelligit inferiora. Item animas humanas eſſe corpo„rum formas corruptibiles, vnam vero vniuerſalem ſemper viuere, quia „non eſt actus corporis. Praeterea idem Ariſtoteles negat poenas et prae„mia poſt mortem, vnde Auerroës ſcripſit contra tres legislatores, Chri„ſtum,

b) Praef. Circ. I.

c) De Reduct. Relig. c. 2. n. 19.

„ſtum, Moſem, et Mahometum, deditque materiam ſcriptori impio de „tribus impoſtoribus. Praeterea Ariſtoteles tradit, religionem eſſe inuen„tionem politicam, non autem natura conſtare: amplius negat, extare „daemones et angelos, niſi eos, qui affixi coelo mouent orbes". Quae cum ex Campanella recenſuiſſet Berigardus, his addit: „Ac ne quis pu„tet, hoc illi tribui non a Campanella, ſed ab impiis, reſpondet in his „omnibus Ariſtotelis philoſophiam eſſe ſophiſticam, paruique faciendam „eius auctoritatem, cum habeamus ſanctos patres et D. Thomam inge„nioſiores, et doctiores, nec philoſophiam contradicere theologiae ſed „Ariſtotelem et Auerroëm, adeoque errare illos, qui dicunt, theologiam „in Ariſtotele fundari, quae in diuinarum reuelationum notis inhaeret". His cum ſubſcribat Berigardus, et horum ſe auctoritate tueatur, hocque a S. Officio Romae approbatum in Campanellae libro contendat, quis quaeſo Berigardum inter Peripateticae philoſophiae patronos retulerit? Aſt non offendit modo Berigardum Ariſtoteles in diuinis et metaphyſicis, ſed et reliqua, quae ad phyſicam pertinebant magnopere illi diſplicuere, inde innumerus obiectionum aceruus ab Ariſtaeo contra ficulneas Charilai excuſationes allatus, et fortiſſimis arietibus intentatus atque egregiis recentiorum obſeruationibus munitus eſt. Dolebat porro viro eruditiſſimo euertiſſe Ariſtotelem veterum mentem haud ſemel, et melioribus tacite ſuppreſſis infirmas rationes tantum attuliſſe. Adeo vero eclecticae philoſophiae fauebat, vt in tanto eam profitendi periculo, ſcribere tamen auſus ſit: „Vtrum ex Ariſtotelis vel antiquorum principiis philoſophemur, iis „exemtis, quae vt dixi, fidei repugnant, nihil refert, quare LIBERVM „OMNIBVS RELINQVI POTEST, vt de vtraque parte iudicium ferant". Id quod ad abiiciendum conculcandumque Ariſtotelis iugum eum retuliſſe, ex his eius verbis, niſi nos omnia fallunt, eſt apertiſſimum: „Acclama„tiones et plauſus illis relinquo, qui ſyllabatim Ariſtotelis expendunt ver„ba et artificium, nec ei contrarium quicquam inueniunt, niſi vt illud ſta„tim amoliantur, et velut ἀνδραπόδα καλὰ κ'αγαθὰ vnius placitis domi„nentur". Haec vtrum is ſcribere poſſit, cuius vna fides et religio eſt in Ariſtotele, quod Berigardo affingit auctor *Naudaeanorum*, prudentis Lectoris eſto iudicium.

§. IV. Satis, niſi egregie nos oculi ſenſusque decipiunt, haec omnia probant, Berigardum Ariſtoteli ex animo non fauiſſe, ſed eum inter impietatis patronos relatum oppugnare, et ab eius tyrannide animos philoſophantium liberare voluiſſe. Aſt hoc opus, hic labor fuit, inuidia plenus, id quod probe praeuidit Berigardus, vnde in *Praefatione totius operis* fatetur, cum *apud ſe tacitus meditaretur, viſum ſibi eſſe in limine operis audire ſophiam ipſam, huius rei difficultates ſummas, quibus ad cumulum accederet odium, atque inuidia, exaggerantem.* Caute itaque

Modus quo Berigardus contra Ariſtotelem pugnauit.

itaque incedendum erat, ne vel monachos exasperaret, vel patronos offenderet, vel innumeras sibi persecutiones, quae tot viris doctis exitiales fuerunt, concitaret. Verum vt erat prouidentissimus, et simulationem in Italia didicerat, ita rem sic aggressus est, vt ab incautis inter summos Peripateticismi defensores posset referri. Nempe methodo vtebatur dialogistica, quam posse ita adhiberi, vt vera mens auctoris tutius lateret, et non nisi acerrimi lectores, veram eius sententiam possent deprehendere, a Platone didicerat. Id pulchre prodit scribens: „Methodum „hanc elegi, velut tutiorem, quia more Platonico dum in vtramque par„tem disputatur, non caditur in offensionem eorum, quibus integrum „relinquitur, vt ipsi statuant, quod consentaneum est veritati". Duos autem collocutores introducit, Charilaum et Aristaeum, quorum ille placita Peripatetica, hic veterum opinionem tuetur. In quibus nominibus effingendis ita delectum auctor habuit, vt Peripateticorum causſam tuendam traderet Charilao, *gratiam* apud *vulgus* philosophorum captanti, Aristaeo veteres tuendos commendaret, quod *optimas partes* elegisset. Ex qua nominum impositione cautus Lector sine negotio intelliget, quam meliorem esse philosophiam Berigardus putauerit, Peripateticam an veterum physicorum ? Opposuit autem Aristoteli non suas obiectiones, vt Basso fecit in liberiori aura viuens, sed Ionicum systema, quod Aristoteles subdole peruertendo refutare aggressus erat. „Non vero quenquam", vt scribit ipse, „antiquorum opposuit Aristoteli, non Empedoclem, non „Anaxagoram, non Democritum, quoniam singuli quid habent, quod „argumentis suis Aristoteles facile auertit, maxime si sententias eorum „accipiamus, vt ipse refert; quin potius ex omnibus, quae ab antiquis „praeclare dicta videri possunt, maluit seligere placita inter se magis co„haerentia, vnde doctrina conficeretur, quam Aristoteles non facile suis „machinis labefactaret, et quae vicissim arcem Peripateticam aggredere„tur: ex Anaximandro tamen et Anaxagora plura depromsit". Ita non inepte scopum se attingere posse credebat vir callidus, ita vt periculum effugeret. Nam ita dici non poterat, eum partem quandam contra Aristotelem fuisse secutum, cum lectori liberum reliquerit, partes eas eligere, quas velit, vel consentaneas veritati putet: suam enim se opinionem mentemque non declarare, ipse aliquoties monet. At sub hac larua liberum erat pestilentissima physiologiae Peripateticae dogmata suis depingere coloribus, et denudata pigmento, quod inepti conciliatores illeuerant, nudam ostendere eius turpitudinem. Id quod tanta eruditione, et demonstrata Peripateticae physiologiae cognitione fecit, vt rectissime iudicauerint, qui pronunciarunt, omne Aristotelicae physicae venenum apertissime in iis dialogis fuisse appositum, licet in eo errauerint, quod credant, hanc impietatem Berigardum probare. Contrarium ipse monet, scribens: „Quando in his Circulis quispiam defendi videbit, errores Aristotelis, id „fieri non alia mente sibi persuadeat, quam eam esse eius doctrinam licet

„emen-

„ementientem atque mendosam, quae veterum placitis inanioribus oppo-
„nitur". Ita commissos inter se, Ionicos veteres et Aristotelem dum pugnantes introducit, occasionem nactus est egregiam, multoties Ionica systemata, licet manca, quod non negat, et imperfecta, Peripatetico praeferendi, huiusque nuditatem falsitatemque detegendi. Ita vero rem aggressus est, vt dum ordinem librorum physicorum Aristotelis sequeretur, eiusque mentem a Charilao expositam et, quantum liceret, demonstratam daret, Aristaeo, Ionicorum systema Peripatetico opponenti id muneris daret, vt ostenderet, planius certiusque de rebus naturalibus philosophari quem posse, si vagis, ineptis impiisque principiis Aristotelicis hypothetice „surrogentur corpora aeterna, prima et infinita, mutua consensione ac „repugnantia temperata, illis autem adiungeretur et praefigeretur mens „velut caussa efficiens, hac enim ratione appariturum, quantum Aristote-„lis motor primus infra hanc naturalem doctrinam sit". Dabimus ipsa Berigardi verba, tum ob libri raritatem, tum vt clare appareat, quo sensu Ionicum systema Berigardus reuocauerit. Ita vero ille: „Aristoteli „materiam aeternam et res abstractas a materia longe aliter quam sint, fal-„so afferenti, opponere decuit antiquos, qui omnia corporea esse statue-„rent, et primum motorem ab vniuerso non distinguerent, vt palam fie-„ret, quinam propius abessent a veritate, et quorum principia, Dem-„ptis Erroribvs, retineri possent, ad rerum naturalium declaratio-„nem. Nec dubium, quin Aristoteles in iis, quae ad animam et Deum „attinent, partes obtineat potiores, si spectetur tantum eorum sententia, „qui nihil esse putarunt, quod non esset corpus. Sed quoniam Aristaeus „hoc intuens dixit corporibus infinitis et aeternis posse adiici mentem „Athenagorae, quae melius refert Dei naturam, quam primus motor „Aristotelis, hypothesi sic reconcinnata, difficile est" (forte dicendum ex mente Berigardi, facile,) „statuere, grauioresne sint errores Aristo-„telis an antiquiorum. Hi tamen perinde atque ille sunt reprehendendi, „quod substantias simplices corporeas aeternas esse docuerunt, quamtum-„uis mentem vnam aut plures posuerint vniuersi gubernatricem. Quare „supereſt, vt eorum erroribus amputatis videant philosophi, an princi-„pia rerum naturalium possint esse Corpvscvla Tenvia A Deo „Creata, Qvorvm Sola Congregatione Et Secretione „omnium ortus et obitus, vt plerique ex SS. Patribus censuerunt perficia-„tur, et an ille corporum consensus atque dissensus, Nihil Repv-„gnans Doctrinae Sacrae Praestabilior Sit Qvam „Materia Prima Aristotelis". Aut coecutimus nos prorsus et nihil videmus, aut ita perspicua haec verba sunt, vt satis clare appareat, Berigardum reiecta inepta et impia physiologia Aristotelis Ionicum particularum systema Democriticis rationibus incrustatum ad atomisticum sensum ita reuocasse, vt loco principiorum nuda mentis praecisione effectorum ad minima corporum descenderet, et ita rerum naturam non ex ima-

ginariis, sed veris principiis explicaret; abiectis tamen iis, quae cum reuelata veritate consistere nequeunt, qualia sunt caussa efficiens vel omissa plane, vel corpusculis aeternis tantum sociata. Hoc systema Berigardum habuisse pio verisimili, proque eo, quod doctrinae sacrae non repugnaret, et consensu antiquitatis ecclesiasticae se tueri posset, adeoque multis nominibus Aristotelico praeferendum sit velut longe verius et praestabilius, adeo manifestum ex hoc loco est, vt mirari satis non possimus, qui fieri potuerit, vt viri docti et alias accurati Berigardo contrariam mentem affinxerint, et ita attentionem, quam poscit ambigua Berigardi oratio, desiderari passi sint. Neque id vno loco monuit Patauinus philosophus, sed passim lectoris aurem vellicauit, innuens, *erroribus* quos in Ionico quoque systemate satis graues et detestandos nouerat, et ingenue fatebatur [d], *reiectis, eo nitendum esse, vt palam fiat, expurgatae doctrinae praesidio mundi constitutionem non aliam esse, quam Christiana veritas doceat.* Quam vt corroboraret, et ne videretur cum Ionicis ex solo particularum mediante lite et amicitia concursu earumque coalitione et secretione mundum effinxisse, multus non sine ingenio et doctrina fuit, in demonstranda veritate cosmogoniae Mosaicae, cui praecipue locum fecit in commentatione *Circuli tertii in librum de coelo.* Cum enim de mundi origine tractationem suscepisset, duabus digressionibus reuelatae doctrinae veritatem probare connisus est, quarum prior literarum sacrarum auctoritatem circa mundi originem asserit, posterior de origine mundi ex sacris literis disserit. Nec contemnenda omnia sunt, quae in his digressionibus affert, euertendae impietati satis accommodata. Et initio quidem recte monet, *etsi dogma fidei nostrae de origine et fine mundi indigeat rationis vllius adminiculo, permittere tamen ea considerari, quae theologi vocant motiua credendi, vt ex iis naturaliter videri possit, quam longo interuallo doctrinas omnes profanas post se relinquat.* Potissimam autem demonstrationis partem in Mosis auctoritate euincenda ponit κατ' ἄνθρωπον contra philosophos disputaturus, qui cum sibi credendum esse postulent, maiori id iure sacram poscere historiam, cum ob antiquitatem, tum ob scriptoris sanctimoniam. Vtramque argumentis, quae vocant non intrinsecis, sed extrinsecis quoque probat, et ad testimonia veterum philosophorum prouocat, quibus constare putat, Mosen et antiquissimum et sanctissimum scriptorem ipsis gentilibus visum esse. Respondet etiam ad crimen goëtiae Mosis miraculis obiectum, ita tamen, vt valde laboret in saluandis miraculis in ecclesia cui addictus erat iactari solitis, quae quo loco habeat, ex supra dictis intelligere licet. Recte autem monet, imposturae vel sceleris nulla verisimilitudine reum agi Mosen posse, et δυσνόητα in oraculis sacris non a scribentis sed legentis vitio ortum suum ducere. Quae omnia non sine eruditione late diducit, ita tamen, vt studeat sui coetus hominibus placere, vnde assertum profluxit [e], quod ab homine

d) Circ. III. Prooem. e) pag. 39.

homine Gallo non nisi in Italia viuente expectaueris: „Fieri, vt si sin„guli fideles seorsim accepti aliquo errore teneantur, non possit tamen a „pontifice et concilio legitime congregato decerni quicquam alienum a „veritate". Et haec προσωποληψία candore philosophi indigna ad nonnullas eum hypotheses digredi coëgit, minime probandas [f] v. g. „nihil officere veritati, si quis scriptores sanctos dicat saepe me„moria lapsos, eo quod lapsus memoriae non sit mendacium, et dum „ad sensum duntaxat attendunt, non ita exacte res referant. Tempore „calamitatis Iudaicae sub Ptolemaeis et Antiochis multa in sacra scriptura „esse deprauata". Haec et similia praui commatis eo se fine scripsisse ait, vt demonstraret, „in summa rerum perturbatione, nisi recurramus ad „ecclesiae auctoritatem, facile esset suspicari, multa in iis corrumpi potu„isse". Quae et alia nonnulla laudem eam minuunt, quam huic tractationi tribuit MORHOFIVS [ff]. Sed vt in viam ad ipsum Berigardi institutum redeamus, cum in vtroque tamen systemate physiologico graues occurrere difficultates agnosceret et fateretur, ad sobrium quendam scepticismum confugit, eo gratiorem suae regionis hominibus futurum, quo aptiorem credebat ad firmandam necessitatem auctoritatis ecclesiae in doctrina fidei. Ipsa et hoc loco eius verba audienda sunt, quibus ita praecipit [g]: „Vt demus, haud aliud haberi ex naturalium rerum indagatio„ne, quam dubitationem: est tamen viri sapientis, prudenter de iis du„bitare, ad quorum intuitum natura erexit hominem, atque, vt ait Ari„stoteles, satis est, ad hypothesin possibilem ea reducere, et rationis ali„quod simulacrum adornare. Sic Diogenes ipsi, quaerenti, cur nihil „sciens ipse philosopharetur, si philosophiam, inquit simulo, hoc ipsum „est philosophari". Et alibi apertius scribit [h]: „Cum ex nostris disputationibus quas sperabam frugiferas, non aliam hactenus, quam multa„rum disputationum messem confecerimus, vix aliam ex hac vltima par„te sperare possum, quam vt videamus, non modo nos nihil scire, sed „etiam nihil scire posse, quamdiu erimus inclusi compagibus huius cadu„cae mortalitatis". Quae vt clara sunt, et locum Berigardo inter Scepticos recentiores faciunt, ita in viro sectariam philosophiam sequenti miranda non sunt, praesertim cum in Italia viueret, cuius regionis circumstantiae eo tempore tales erant, vt non posset non Berigardus in Scepticismum incidere. Neque tamen ita scopo suo Berigardus excidit, sed cum argumenta argumentis opponeret, multo valentiores esse partes Ionicorum, quam Peripateticorum, demonstrauit haud infeliciter: et vbi illae deficiebant a Platone, Democrito aliisque veterum suppetias acciuit. Cumque vtramque partem sibi non satisfacere concederet, et imprimis fateretur, se ab Aristotele quod sedaret famem vel sitim non accepisse; iucunda similitudine perorans, quem scriptionis scopum habuerit prodit. Ait enim [i]: „Nobis accedisse videtur, vt duobus parasitis qui cum ien-

f) p. 35. ff) l. c. p. 165. g) Circ. V. in Prooem. h) Circ. VI. Dial. II. p. 2. i) Circ. VII. p. 141.

„taculo condixiſſent ea lege, vt alter potulenta, alter eſculenta ſecum „afferret, ſpe fretus vterque, ſe ſocii copiolis genio facturum ſatis, poſt„quam hic pulmentum alterius occupaſſet, et viciſſim ille lagenam, haec „quidem inanis reperta eſt, illud vero pictura ſimulatum, vnde neceſſe „fuit, vt aliunde ſibi cupedias prouiderent. Ita nos defraudato viciſſim „genio ad locupletiorem cellam penuariam non fictis, ſed veris cibis in„ſtructam, nempe moralem philoſophiam, exemplo Socratis diuertamus.

Berigardus contra impietatis ſuſpicionem ſe munit.

§. V. Hac ratione cum Peripateticae philoſophiae clandeſtinum inferre bellum tentans alienis armis vteretur Berigardus, facili coniectura intellexit, multis hanc rem expoſitam eſſe periculis, nec caute ſatis ita muniri poſſe, vt non maleuoli anſam arripiant perſpecto ſcopo ſuo, tam callide diſſimulato ad impietatis et haereſeos accuſationem abutendi. Vt itaque heterodoxiae philoſophicae ſuſpicionem praeuerteret, cautelas adhibuit, quas poterat inuenire, tutiſſimas. Non contentus cenſorum, qui lyncei plerumque ſolent eſſe, approbatione, qua ſcriptiones eius velut orthodoxas et ad amplificanda Peripateticae philoſophiae myſteria plurimum luminis afferentes extollebant, proteſtatione quoque ſe muniendum Lectoremque de mente ſua monendum eſſe cenſuit. „*Inde clare ſe*, ait *, et *ingenue profiteri, ſe nulli doctrinae, niſi Chriſtianae veritati eſſe addictum, proinde quae citra praeuaricationem tam pro Ariſtotele, quam pro antiquis in medium proferat, non proponere ſe, vt vera, ſed quid in iis ſit veritatis, ſacris theologis ac philoſophis doctioribus examinanda ac iudicanda.* Et ne frigidam hanc quis excuſationem eſſe contendat, et accipiatur ſiniſtra, quod ipſe dextra porrigebat, clariſſime quid de peſtiferis veterum erroribus, et praecipue de maxima labe phyſiologiae Ariſtotelicae ſentiat, iis verbis quae ſupra attulimus, expoſuit. Promittit etiam „ſi obſcurius loquutus fuerit, ſe etiam „illis conſulturum, qui vel minus philoſophice ſciunt, vel minus Latine, „et pro virili parte ſe explanaturum, et ſi minus ad ſacrae doctrinae line„am aequari potuerint, emendaturum. Malle enim ſe cum Auguſto, vt „ſuus Aiax in ſpongiam incumbat, quam vt inconſiderate porcos Epi„cureos perſequendo miſera prolapſione in profundam erroris alicuius fo„ueam incidat“. Et ne ſic quidem ſibi proſpexiſſe contentus, pro veritate religionis naturalis, quam a Peripateticis valde labefactari demonſtrauerat, pugnare, eamque iis rationibus confirmare aggreſſus eſt, quibus conſtare poſſe putabat, veritatem religionis Chriſtianam, etiam ſemoto peculiari contactu diuino, et auctoritate eccleſiae eſſe veriſimillimam. Qua ratione longe ſe cautius philoſophari credebat, et lectores quoque monebat, quam Zabarellam, impietatis culpa tamen nunquam exoſum, qui ex motu aeterno motorem primum demonſtrari non poſſe aſſeruiſſet. Ita enim praefatur: „Denique vt conſtet, ea quae dicuntur in noſtris „Cir-

*) Circ. I. Prooem.

„Circulis permissa iam fuisse a sacro officio, libet pauca subiicere, maxime „ne cui durum videatur, quod introduco Aristaeum defendentem senten„tiam Iacobi Zabarellae, viri in hoc lyceo celeberrimi. Haec sententia „libro de inuentione aeterni motoris approbato saepius a S. officio docet, „vnicum medium philosopho naturali ad demonstrandum: dari primum „motorem a materia abiunctum esse motus aeternitatem, quae quia non „datur, vt fide diuina certi sumus, sequitur, primum motorem demon„strari non posse naturaliter, sed ad hoc opus esse Dei contactu peculiari. „Neque propterea Zabarella putat, eam, quam vocat, demonstrationem „primi motoris ex motu aeterno esse veram demonstrationem, vtpote cu„ius medium falsum est; sed loquitur ex falsis principiis Aristotelis, nem„pe si verus esset motus aeternus, inde solum ostendi posse primum mo„torem. Hanc Zabarellae opinionem iam permissam, si tuerer, id for„tasse tuto facere possem, verum contrariam existimo magis esse consen„taneam pietati, propterea illi oppono Charilaum [k], qui contendit, Deum „verum cognosci posse naturaliter, et licet rationes illae seorsum acceptae „non videantur sufficere ad conuincendos pertinaces Epicureos, vt con„cludit vltimis verbis, omnibus tamen simul instructis ait intellectum recte „dispositum posse eleuari ad hanc cognitionem naturaliter, sed absque „merito gratiae et gloriae, vt sic inexcusabiles vere dicantur, a diuo Pau„lo, qui contemtis his rationibus ad falsas et irreligiosas opiniones dela„psi sunt". Monet porro: „non disputari a Charilao et Aristaeo, an „detur Deus, quam quaestionem impiam vocant, neque an expers sit li„bertatis; et an mundus sit aeternus, an ex nihilo creatus, sed hoc ab iis „quaeri, an melius de hoc senserit Aristoteles, an philosophi vetustio„res, et quae sit eorum sententia licet impia. Verum ad eorum opiniones „declarandas interdum, vt fit in dialogis, afferre se, non pro philosopho „naturali, sed pro theologo rationes antiquis ignotas exercitationis tan„tum et vberioris doctrinae causa, idque sibi perinde ac aliis condonari posse". Ex quibus eius verbis, qui praeiudicio occupatus non est, facili attentione assequi lector potest, quae mens Berigardi de demonstratione Dei ex lumine naturae fuerit, et quaecunque ille differit, hypothetice tantum, et prout ex systemate vel Peripatetico vel Ionico fluunt, attulisse: reipsa tamen quibus potuerit rationibus contra impietatis suspicionem se muniuisse.

§. VI. Obtinuit hac sua prouidentia Berigardus, quod quaerebat, dum in viuis erat. Quippe prodierunt eius Circuli inquisitoribus non suspecti, et multa orthodoxiae laude ornati, praecipue cum crederentur Peripateticae veritates in illis ab errorum caligine vindicari. Aft quod viuo non accidit, fato functus euitare non potuit, sed ob hunc ipsum librum, in quo haud perfunctorie se pro causa Dei patefacta impietate Peripatetica pugnasse sibi visus est, inter clandestinos Numinis hostes numeratus *Berigardus atheismi suspectus.*

k) Fallitur itaque P. Bayle, qui l. c. Art. Rufin. not. C. p. 101. Zabarellae opinionem ei tribuit.

meratus est. Cuius opinionis de Berigardo primus, quantum recordamur, auctor fuit SAMVEL PARCKERVS [1], vir et iudicii acumine et eloquentiae laude et eruditionis copia celeberrimus, et praecipue ob insignem DEI causſam aduersus atheismum tuendi feruorem omni encomio dignissimus; at in inurenda impietatis macula nonnunquam magis quam decebat praeceps, et paulo quam par est, interdum suspicacior. Huic enim doctissimo praesuli ficta ista pugna Berigardi visa est, suspectusque is, quod ideo impia systemata denudauerit, vt hoc venenum eo fortius lectorum animis insinuaret. Sane graue ἔγκλημα est, quod in Berigardum coniicit, his verbis: „Caesalpinum eadem impietatis via et ratione non modo se„cutus est, sed superauit Claudius Berigardus Molinensis, qui vna cum „impia Aristotelis disciplina obsoletam istam quoque veterum Ionicorum „(quemadmodum de iis ipse censuit ac plerique alii censuerunt) reuoca„uit. Cum enim disputationes suas dialogorum consuetudine scripsit, ser„monem in duas personas Charilaum et Aristaeum distribuit, quorum „alter Aristotelem, qui praeter materiam, quendam primum motorem, „prouidentiae tamen expertem posuit, alter antiquos illos defendit, quos „omnia corporea esse velle, nullumque primum motorem ab vniuerso „corporeo distinxisse putauit. Atque adeo vno eodemque opere diuersas „cum Epicureae tum Peripateticae impietatis rationes, adornauit, quan„quam Aristotelis disciplinam fusius et ardentius excoluit, atque eam po„tissimum, quam libro physicorum octauo librisque de coelo et rerum „generatione tradidit, quibus vniuersam mundi fabricam sine prouidentia „architectrice extruxisse se putat philosophus. Neque nefaria sua dogmata „vno aut altero capite, vt Caesalpinus, insinuauit, sed aperte omnem „Peripateticae impietatis rationem secutus est, neque numinis prouiden„tiam, vt ille, e rerum natura tollere, satis habuit, nisi et salse dictis „(qualia vir non admodum facetus potuit) increparet. Tantum tamen „abest, vt in quam reprehensionem incurrat, vt laudem et auctoritatem „a S. inquisitorum officio obtinuerit. Quod scilicet, quae in Aristotele „reprehendenda sint, omnia callide praefatus fuisset". His cum verba Berigardi supra adducta de erroribus physiologiae Peripateticae subieciſſet, addit: „Quanquam prima et praecipua ista sint Aristotelicae philosophiae „effata, et quaecunque praeterea dogmata habeat, istorum gratia, aut „quod confirmarent, aut quod admodum cum iis conuenirent, docuit; „vt tota quidem ipsius disciplina iis solis innitatur, eorumque praesidio „inseruiat, neque hic quosuis Aristotelis libros excoluit, nisi qui eiusmodi „decreta praecipue continerent. Atqui tamen tantum praeiudicata opinio „poterat, vt quicquid cum Aristotelis disciplina conueniret, sola illius „auctoritate pium sanctumque existimarent, quanquam cum ea nihil con„uenire poterat, nisi quod omnes impietatis radices ipsasque radicum „fibras euellat". Haec Parckerus, qui ipse audiendus fuit, eo quod plerique

1) Disput. I. de Deo s. 24. p. 67.

rique tantae exiſtimationis viro crediderint, et eius fide Berigardum inter numinis hoſtes retulerint. Sane illius maxime auctoritate inductus locum Berigardo inter atheos fecit B. Io. Franc. Byddevs [m]. Paulo aliter accuſationis colorem induxit illuſtris Leibnitivs [n], illi enim ob Auerroiſmum incruſtatum vapulat, valdeque impietatis ſuſpectus eſt. Quorum veſtigiis ita inſiſtunt viri ſummae eruditionis, Mat. Veis. la Croze [o], et Iac. Frid. Reimmannvs [p], vt non contenti morologiae Peripateticae errores Berigardo tribuiſſe, illum ſyſtemati Spinoziſtico, quod ab Ariſtotelico valde differt, praeluſiſſe contendant. Aliter hanc dicam Berigardo ſcribit Petrvs de Villemandy [q], illi enim ideo ſuſpecta eſt admodum religio et fides Berigardi, quod, „dum res „omnes phyſicas, immo et diuinas plerasque ex principiis Ariſtotelis ita „declarat adſtruitque, vt easdem illas ex oppoſitis Anaximandri hypothe„ſibus, purum atheiſmum redolentibus, continue impugnet ac euertat, „nihil in rebus phyſicis ſtabile et immotum reliquerit, et contra perpetua „ſua illa libratione cunctas ſuſpenderit, nec alio tendere illam aſſumtam „Anaximandri hypotheſin credas, quam Berigardus Ariſtotelicae longe „praefert, niſi eo vt in ſupremi Numinis eiusque prouidentiae locum in„finitam quandam materiam infinitis corporibus diſſimilaribus, ex ſe ipſis „mobilibus conflatam, hoc eſt, in veri Dei locum caecam naturam ſubſti„tuat". Quas accuſationes et virorum a quibus profectae ſunt magnitudine, et capitum, quibus conſtant, grauitate, acerbiſſimas eſſe, ſummumque momentum habere, quilibet fatebitur. Non indignum itaque noſtro labore erit, rem paulo curatius inſpicere, et audita vtraque parte lectorem, quid de Berigardi religione ſtatuendum ſit, quoue loco eius φιλοσοφέμενα habenda, accurate edocere. Id quod eo facilius fieri poterit, quia in antecedentibus loca illa omnia adducta ſunt, quorum effatis ſtatque caditque Berigardiana pietas. Ex his enim iudicandum, illa intuenda, et ſcopus auctoris diligenter expendendus eſt. Quod qui negligunt, et vel librum ob raritatem legere non poſſunt, vel oſcitanter tantum legunt, cum magnam attentionem poſtulet anfractuoſa dialogorum methodus, eos decipi in definienda cauſſae iuſtitia vel iniuſtitia, oportet: id quod in inurenda atheiſmi macula fieri non debet.

Iudicium de atheiſmo Berigardo obiecto.

§. VII. Parum quidem noſtra refert, referenduſne Berigardus ſit inter numinis hoſtes nec ne? magna quoque eſt virorum ſummorum, quos adduximus, auctoritas. Veritatis tamen hiſtoricae intereſt, rem hanc ſine examine non dimittere, quodque immerenti hanc affricuerint ignominiam,

m) Theſ. de Atheiſmo c. 1. §. 24. p. 130.

n) Diſſert. praelim. ad Theodiceam §. 11. p. m. 11.

o) Entretiens p. 348. add. Naudaeana p. 110.

p) Hiſt. Atheiſmi ſ. III. c. 5. §. 19. p. 409.

q) In Scepticiſmo debellato p. 11. Nihil definit Bayle l. c. ex quo ſuſpicamur, eum librum Berigardi non vidiſſe.

miniam, ostendere. Neque enim ab hoc officio tractationis nostrae scopus alienus est. Quod si ea considerentur, quae supra de Berigardi intentione, modo fineque scribendi fuse ex ipsius libro cum cura et attentione perlecto differuimus, facile putamus esse, apologiam pro Berigardo scribere, et ab hac contumelia inuictis eum argumentationibus absoluere. Qua quidem opera ita leui brachio perfungi liceret, vt ostendatur, ipsos sibi accusatores contradicere, nec vna stare posse accusationes omnes. Quod si enim verum est, quod inuidiosius, quam par erat, illi obiecit Parckerus, in Peripatetico atheismo eum haesisse, qui potuit Epicuream impietatem commendare, quae a Peripatetica physiologia toto coelo differt, et ab illa tota euertitur? Si Auerroismus illi obiiciendus est, cur Numinis alicuius prouidentiam negasse dicitur, cum intellectum agentem vniuersalem Auerrois hypothesis innuat? Si primum motorem sphaerae supremae affixit, et e rerum natura sustulit, qui potuit mundum habere cum Spinoza pro Deo modificato? Si Scepticam impietatem introduxit, qui potuit caecam naturam affirmando falsa numina vero substituere? Et annon hoc sufficit, vt intelligatur, male totam accusationem cohaerere, nec satis attente et cum cura viros doctos Berigardi librum legisse? Verum vt tota causa manifesta Lectori sistatur, curatius paulo ad obiectiones respondendum est. Quod vt rite faciamus et Lectorem conuincamus, ex supra allatis verbis Berigardi ipsissimis supponimus: 1. Verum quidem esse, impietatem Peripateticam neminem clarius demonstrauisse, quam Berigardum, et totam eius turpitudinem demonstrasse, ac contra Peripateticos, colorem et excusationem praetendentes ad oculum quasi euicisse: ast longum hunc et difficilem laborem ideo Berigardum subiisse, vt Peripateticos, quos aperte aggredi non audebat, clandestinis tectisque vulneribus confoderet, et impietatem atque absurditatem Aristotelicae philosophiae in luce clarissima ponendo, verisimiliora ei opponeret. Adeo luculenter hoc a nobis supra probatum esse confidimus, vt prorsus satisfacere posse Lectori veri cupido simus persuasissimi. 2. Ex supra dictis repetimus quoque, Berigardum Ionico systemati non nisi ὑποθετικῶς subscripsisse, idque non eo fine elegisse, quod crederet indubitatas rerum naturalium circumstantias in eo recludi, sed quod vetera opponendo veteribus putaret, ita longe felicius a simpliciori philosophandi genere Aristotelica dogmata euerti posse. Immo 3. hoc quoque ex antecedentibus constat, eum non nudum brutumque Anaximandri systema elegisse, sed materiae aeternitate demta, ex particulis minimis, mediante mente secundum placita Anaxagorae formationem mundi tradidisse. 4. Obseruatum autem simul est, candide agnouisse, et fassum esse Berigardum, non tantum Peripateticum systema cum veritate diuina et naturali stare non posse, sed inesse quoque Ionico nonnulla erronea, et magnopere emendanda. Ast praetulisse tamen illud Aristotelico, eo quod demtis erroribus corrigi melius inque concordiam aliquam redigi possit cum fide Christiana aliunde

unde certissima, et id voluisse Patauinum philosophum, ita hac philosophia praeparandum animum, vt a supranaturali lumine plenissime conuinci queat, hocque pacto illud Aristotelico longe praestare censuisse, quod emendari nequeat, nisi summa eius capita decidantur, et fundamenta euertantur primaria. Haec verba Berigardi supra adducta clarissime docent, eo tota eius tractatio collineat, hanc disputationibus suis metam praescripsit. Quae cum ita se habeant, non videmus, quo vel leui praetextu coloreque atheismi vel Peripatetici, vel Ionici, vel Epicurei queat Berigardus accusari. Vt enim taceamus, disputari posse, vtrum inter atheos directos Peripatetici, Ionici, Epicurei referri queant, quod ex illis iudicandum est, quae *Tomo primo* prolixe de his sectis docuimus; vbi etiam id concedimus, valde impietati esse affinia ista systemata, non tamen inde exsculpi posse putamus, quod contendunt Parckerus, Buddeus, Leibnizius, Crosaeus, Reimmannus, Villemandaeus. Nam quod ad accusationem atheismi Peripatetici attinet, quam potissimum Parckerus vrget, ipse praesul eruditissimus fassus est, candide monere Berigardum summa et prima Aristotelicae physicae capita peccare in veritatem et religionem, et amputanda esse nec tolerari posse. Quibus nihil habet, quod obiiciat, nisi omnem Aristotelicae morologiae insaniam eum tamen latissime in suis disputationibus explicuisse, et hoc eo fine, vt illam hominibus commendaret. Id quod vellemus viro magno non excidisse. Quamuis enim verum sit, denudatam eum exhibuisse physiologiam Aristotelicam, manifestum tamen ex dictis est, id feciisse ideo, vt eius falsitatem ostenderet, et derelinquendam esse in rerum naturalium explicatione insusurraret quasi in aurem et cauto modo instillaret. Contra aperta verba vero nuda suspicione aliquem nefandi criminis reum agere, durum nimis est, et ab humanitate alienum, et eo minus Berigardo faciendum, quo minus facile reperire est, qui Aristotelis physicam doctius in ruborem dederit. Ast obiiciet nonnemo: cur non directa oratione Aristotelis impietatem detestatus est? cur non veneno appositi antidotum? cur tam tecte mussitauit, vt consentire videatur? Respondebit ad haec ipse Berigardus [r]: „Sententiam meam proferre non debeo, ne cum Aristotelis interpretandi „munere tamdiu perfunctus sim, In Magistrvm Despvere, Et „Apolactizare, vt ait Plautus, aut antiquorum cineribus insultare „velle videar“. Quibus verbis vel caecutientes deprehendunt, innui, si sententiam suam Berigardus protulisset, futurum fuisse, vt pro eo haberetur, qui in magistrum despueret, id est, eius philosophiam contemneret et reiiceret. Quae si paulo attentius consideraſſet Parckerus, ab odio et inimicitia, qua in Aristotelem, laudabili quidem pro caussa Dei feruore, sed interdum paulo ardentius, quam inquirenda veritas patiebatur, accensus est, abripi se passus non esset, ad minuendam Berigardi famam notamque atheismi inurendam. Quod vero ad Auerroismi accusationem

r) Praef. Circ. I.

attinet, aut non vidit vir ſummus, a quo ea profecta eſt, Berigardi librum, et ab aliorum relatione deceptus eſt, aut non totum, vt innumeris laboribus diſtringebatur, cum cura euoluere potuit. Tantum enim abeſt, vt Auerroiſmum Berigardus incruſtet, vt diſertiſſimis eum verbis reiiciat. Scribit enim s): „Intellectus agens eſt mens ſeu intelligentia quaedam im„mortalis, tamen non omnium prima, vt putauit Alexander, AVERRO„ES, Zabarella. Nam cum illa ſit Deus, non diceretur recte mens hu„mana". Et paulo poſt: „Nos vero credimus, eſſe ſpiritum immorta„lem ſingulis hominibus in ipſo exortu eodem puncto temporis a Deo „creatum et infuſum, et ſi Ariſtoteles ita ſenſiſſet, fidentius poterat aſſe„uerare, patientem intellectum nihil aliud eſſe, quam phantaſiam, ſiqui„dem in homine ſatis eſt reperiri animam vnam immortalem, quae intel„ligat et velit efficienter, licet actus illi non recipiantur in ipſa, ſed in „phantaſia". Quae verba ab omni Auerroiſmi ſuſpicione Berigardum ampliſſime liberant. Nec firmiori talo ſtat Villemandaei accuſatio, cui frigidam quoque ſuffundit Parckerus, temerarium corpuſculorum aeternorum ſyſtema ſine mente et Deo Berigardum in Numinis locum ſubſtituiſſe. Parckero enim Parckerum opponimus late diſputantem Ionicis Phyſicis ob neglectum in ſyſtemate Deum atheiſmum obiici non poſſe, eo quod illum non negauerint, vel a rerum conditarum fabrica excluſerint, ſed ſuppoſuerint, contenti, vt phyſicis par erat, de rerum naturalium principiis materialibus diſſeruiſſe. Hoc ſyſtema emendatum et abiecta aeternitate corpuſculorum correctum qui ſequitur, is iudice Parckero atheus non eſt. Quod pro Berigardo non minus militat, quam pro Anaxagora vel Anaximandro. Villemandaei criminationi autem verba obſtant Berigardi, monentis, „corporibus infinitis et aeternis poſſe adiici mentem Anaxago„rae, quae melius refert Dei naturam, quam primus motor Ariſtotelis: „et tamen Ionicos reprehendendos eſſe, quod ſubſtantias ſimplices aeter„nas eſſe docuerint, quantumuis mentem poſuerint vniuerſi gubernatri„cem. Supereſſe ergo, vt amputatis erroribus ponantur principia rerum „naturalia CORPVSCVLA TENVIA A DEO CREATA, quorum ſola „congregatione et ſecretione omnis ortus et obitus perficiatur, et hunc „conſenſum atque diſſenſum corporum nihil repugnare ſcripturae ſacrae „et praeſtabiliorem eſſe quam materiam primam Ariſtotelis". In qua explicatione, dum atomiſticum ſyſtema ſequendum eſſe monet, tam diſerte Deum illi conditorem et gubernatorem praeficit, vt tota accuſatio vno ictu corruat. Quod ſi vero haec concidunt, non videmus, qui Spinoziſmus queat Berigardo obiici: quem nec Peripateticum nec Ionicum ſyſtema, etiam mendoſum et capitalibus erroribus ſuis refertum admittit. Berigardus autem inter materiam et Deum accurate diſtinguit, nec materiam patitur cum Deo confundi. Meliori veritatis colore ſcepticiſmus phyſicus Berigardo obiicitur, quem negari non poſſe, ex propria eius con-

s) Circ. VI. Dial. 20. pag. 137.

confeſſione ſupra adducta conſtat. Ad declinandam tamen, qua Berigardum Villemandaeus cumulat inuidiam obſeruamus, ſcopum ſcepticiſmi huius a Patauino doctore admiſſi conſiderandum eſſe. Id enim vult, vt clariſſima eius verba euincunt: omnem ſectariam philoſophiam Graecorum veri ſitienti animo in naturali doctrina non facere ſatis, adeoque eam relinquendam eſſe ob innumera dubia. Ita euertit quidem haud illaudabili conſilio ſectariam philoſophiam, non autem naturalem cognitionem omnem. Deinde ſcepticiſmo hoc vtendum eſſe, putauit ad auctoritatem fidei et eccleſiae extollendam eiusque neceſſitatem demonſtrandam. Quo animo id fecerit Berigardus, nos, qui corda non ſcrutamur, non definimus, et dubium relinquimus, vtrum pia mente an ad obtrudendum ſacerdotibus palpum id ſcripſerit: ſufficit, impietatis notam ex ſcepticiſmo hunc in finem adhibito exſculpi non poſſe, et fuiſſe alios quoque v. g. Heruetum, Huetium, &c. in eadem haereſi, quos in numinis reuerentiam iniurios fuiſſe nemo dixerit. Ex his vero plenis cyathis iam allatis luculenter, niſi nos omnia fallunt, et ſenſus oculique deſtituunt, conſtat, iniquos eſſe in Berigardum, qui librum eius theatrum Spinoziſticum et atheiſticum eſſe clamitant, et agnoſcendam eſſe eius in hoc quidem argumento innocentiam. Quod ad reliqua autem attinet, non negamus, Berigardum ſingulares nonnunquam opiniones fouiſſe, ſine obelo non praetermittendas, at difficulter ob methodi dialogiſticae ambiguitatem et quaeſitas ſtudioſe latebras detegendas: ipſa vero Circulorum Piſanorum, licet docte pariter atque ſubtiliter ſcriptorum editione non admodum praeclare de orbe philoſophico multoque minus de republica Chriſtiana meruiſſe. Quamuis enim vlcera Peripatetica fortiſſime tetigerit, et deteſtabiles errores Ariſtotelis manifeſtos fecerit, adeo tecte tamen ne ſuis commodis et auctoritati ex Ariſtotelica philoſophia acquiſitae obſtaret, id fecit, vt qui innumeras diſputationis anfractuoſae et multis diuerticulis impeditae difficultate magna patientia ſuperare non contendit, facile in eam opinionem concedat, commendare eum Peripatetica, ex quo caecus ſequi poteſt eorum aſſenſus, qui has ſubtilitates aſſequi examinareque haud valent. Et licet, quae in Ionico ſyſtemate laudanda, quae reprehendenda ſint, oſtenderit, peccauit tamen in eo, quod ineptis, vt ipſe fatetur hypotheſibus meliores non ſurrogauerit, et contentus oſtendiſſe tolerabiliorem eſſe Ionicam phyſiologiam, quam Peripateticam, veram de natura rerum philoſophandi viam non oſtenderit. Quod facere potuiſſet, explicato, quod probabat, ſyſtemate corpuſculari, ſi metum exuere, et receptis opinionibus ſe opponere fuiſſet auſus. Ita vero dum falſa falſioribus opponit, et vtrumque ancipiti argumentationis genere infirmat, magna incertitudine fluctuantem relinquit Lectoris animum, neſcium ad quas partes ſe vertere debeat. Cui malo vtrum auctoritas eccleſiae, vt ille vult, medeatur, et vtrum talis medicina a philoſopho commendari poſſit, prudenti Lectori expendendum, et quam inde impietas occaſionem ſumat

ſacris et naturalibus veritatibus illudendi cogitandum relinquimus. Noſtrum enim non eſt, de auctoritate eccleſiae in rebus naturalibus et veritatibus religionis naturalis definiendis diſputare. Non inuiti itaque fatemur, quamuis liber cetera elegans multaque et varia eruditione refertus atheiſmi crimine careat, inſtitutum tamen eius, ipſamque tractationis indolem et rationem eam eſſe, vt incautis variis nominibus nocere queat. Vnde ab iis tantum legendus eſt, qui animum habent ſobria philoſophiae, eiusque hiſtoriae cognitione probe ſubactum.

* * * \

„illam attinet, ſpurcius, ſtultius, quod ad iſta. Scilicet vt vinum quo nil „ſalubrius, quibusdam in venenum eſt, ſic iſtis philoſophia, qua abutuntur. „At mihi alia mens: qui nauim ſemper auertens ab illis argutiarum ſale„bris, velificationem omnem direxi ad vnum tranquillae mentis portum". Quo loco memorabili quos potiſſimum Lipſius pungat, ſequens, quam trademus, diſciplinae eius puerilis et vitae hiſtoria ſatis prodet; ita vero manifeſtum quoque facit ineptam inutilemque, quae in ſcholis regnabat cauillandi artem a ſophiſtis iuuentuti magno damno traditam mentique ad tranquillitatem, et felicitatem conſequendam nulla in re vtilem, virum eruditiſſimum coëgiſſe, vt ad Stoicos confugeret. Quod qua ratione fecerit, iam latius enarrandum eſt.

§. II. Adeo variis eruditionis elegantiſſimae meritis celebrata eſt in republica literaria IVSTI LIPSII fama, vt pauci ſint, qui res literarias ſeculi XVI intelligunt, quibus ignota eſt praeſtantiſſimi critici hiſtoria. Eam poſt illa, quae ipſe conſignata reliquit [b], accurate perſcripſit AVBERTVS MIRAEVS [c], qui eius inter viuos agentis amicitia diu vſus fuerat. Inde ſua hauſerunt biographi, HENR. ROLLIVS [d], MELCH. ADAMVS [e], PAVLVS FREHERVS [f], FR. SWEERTIVS [g], IANVS NICIVS ERYTHRAEVS [h], ANT. TEISSIERIVS [i], P. BAYLE [k], aliique, qui in hac palaeſtra deſudarunt. Et ex hoc quoque fonte, cum actis literariis illius temporis comparato hauriemus, quantum ad noſcenda Lipſii fata, eruditionem, et conſilium emendandae philoſophiae opus eſt. Natus eſt Anno cIↃIↃXLVII, XV Cal. Nouembr. Iſci, oppido tertio milliari a Bruxellis et Louanio diſtante. Inter cuius maiores non ignobile eſt Martini Lipſii nomen, quod cum Iuſto confudit LVD. ELL. DVPINIVS. Is enim Eraſmi amicitia inclaruit, eique ſocias iunxit manus in edendis nonnullis ſcriptoribus eccleſiaſticis, denatus, anno cIↃIↃLV [l]. A cuius fratre Nicolao genitus, Aegidius, Iuſti parens. Qui cum parentum haereditate villam, agros, domum in Iſcano municipio haberet, quamuis Bruxellenſis eſſet, noſtrum eo loco genuit, et aliquot annis in iſto praedio educauit. Vbi bis vitae certiſſimum expertus eſt periculum, ſemel niuis copia fere ſuffocatus, et dein ex alto delapſus; vtroque tamen tempore diuinae prouidentiae tutela ſaluus euaſit. Annos ſex natus Bruxellas cum parentibus migrans, literarum ſtudiis initiatus eſt. In ludo autem iſtius vrbis mature patuit, quam promtum et alacre ei contigiſſet ingenium, cuius inſtinctu tam impigre in ſtudiorum ſtadio currere coepit, vt praeceptor paruulum geni-

Iuſti Lipſii vita.

b) Cent. III. ad Belg. Ep. 87.
c) Antuerp. 1608. 8. praemiſſa quoque eſt eius Operibus.
d) Memor. Philoſoph. Dec. II. p. 111. 112. ſeq.
e) Vit. Philoſ. p. m. 465. ſeqq.
f) Theatr. p. 1501.
g) App. ad Flores ex I. Lipſii Operibus excerptos p. 359.
h) Pinacoth. III. c. 1. Addi his alii biographi poſſunt Craſſo, Ghilini, Hoffmannus, Buddaeus &c.
i) Elogior. T. IV. p. 524.
k) Dict. T. III. Art. Lipſe p. 125. ſqq.
l) Videndus de eo MIRAEVS de Script. ſec. XVI. c. 67. p. 158.

genibus impositum, ad accendendam condiscipulorum aemulationem, illis exemplum futurum commendaret. Ibi feliciſſimo labore Grammaticam didicit, in aquis autem vitae periculum adiit; et submersus periisset, nisi pronoeae auxilio mirabili fuisset ereptus. Anno aetatis decimo Athum Hannoniae ablegatus est, denuo grammaticalibus praeceptionibus instituendus. In qua pistrina se biennium detentum esse postea deplorauit[m]: ibi poëticam quoque facultatem attigit; anno tertio ad Iesuitarum collegium Coloniam Vbiorum missus et ab iis more recepto Graecis, rhetoricis, et philosophia imbutus est Scholastica, quod qua ratione factum sit, ex loco supra adducto discimus. Ibi tanto se studio in philosophiam incubuisse scribit[n], *vt peccare iuuenili quodam ardore videretur, et freno atque inhibitione fuerit coërcendus ita, vt velut per vim libri illi omnes e manibus et scripti etiam commentarii eriperentur, quos laboriose confecerat. ex omni interpretum fece.* Id quod haud infeliciter factum est, cum nugis sophisticis animus eius sitiens veri pasceretur. In eloquentiae studium autem tanto ardore et ingenii praestantia incubuit, vt haud malo successu, Ciceronis eloquentiam imitaretur: eiusque specimen in orationibus iuuenilibus daret. Quam tamen et animo mutatus, et Taciti atque Senecae lectione, quam vehementer vrgebat, instigatus postea deseruit, et breuem illam, concisam, acutamque dicendi rationem sibi formauit, quae licet ingenii amoenissimi et feliciter audacis foetus videri queat, attamen a veterum scribendi modo, sobrio et iusto multis modis abiit. Qua re in Scioppii et Henrici Stephani reprehensionem incurrit, valde indignantium masculam eloquentiam eum corrupisse[o]. Id quod longe iustiori κακοζηλίας culpa illis obiectum est, qui stilum Lipsianum imitati, a vera dicendi ratione mire deflexerunt[p]. De qua re tamen hic plura dicere nihil attinet, sufficit hic adduxisse sanam illustris HVETII[q] censuram, iudicantis: „Interciſum illum sermonem, et vibrantes sententias indoctorum adole„scentium, vel imperitae forte multitudinis approbationem commouere „posse, sanis vero auribus et verae ac Tullianae eloquentiae vsu subactis „placere non posse.“ Non substitit tamen in verbis insatiabili discendi desiderio flagrans Lipsii animus, sed cum pectus satiare philosophia cuperet, et Scholasticae tricae illud non explerent, ad moralem et ciuilem eius partem conuersus a veteribus discere sategit, quod a recentioribus haurire non posset. Legit itaque diligenti attentione Epictetum et Senecam propter doctrinam moralem, et Tacitum propter ciuilem prudentiam. Quem amorem quoque in hos scriptores, quoad viuebat non deposuit. Hac vero re excitatus est ad cognoscendas antiquitates et accuratius exquirendum studium

m) Cent. I. Misc. ep. 94. conf. qui vtilia nonnulla admiscet monita BAILLET. de Pueris praecocibus p. 184.

n) Praef. de Const.

o) Vid. ipse LIPSIVS Cent. II. ad Belgas ep. 87. Cent. III. ep. 82. Aliorum iudicia vide apud Thom. POPE-BLOVNT. Cens. cel. Auct. p. 840. TEISSIER. l. c. BAYLE l. c. not. M. MORHOF Polyhist. T. I. L. I. c. 24. §. 63 p. 298.

p) Conf. praeter laudatos CLERICVS Bibl. sel. T. I. p. 316. IAC. THOMASIVS Praef. ad Manutii Epistolas.

q) De clar. Interpret. p. 282.

dium criticum, colendasque humanitatis disciplinas, sine quibus praesidiis veteres libri intelligi haud possunt. Totus autem deuotione flagrans patribus Societatis Iesu aggregari voluit; quod cum parentibus displicuisset, eum sedecim annos natum Louanium transtulerunt. Ibi et veteris literaturae et iurisprudentiae studiis se totum mancipauit, duce in illis Cornelio Valerio, viro humaniorum literarum peritissimo r), sub quo praeceptore in his studiis cum Lipsio militiam literariam ingressi sunt Martinus Delrius, Victor Giselinus, Ianus Lernutius, Andreas Schottus haud vulgaria postea in republica literaria nomina, quibus ex asse amicis Lipsius tum vsus est. Eo tempore patrem et breui post matrem quoque amisit relicto exiguo, quod pater valde attriuerat, patrimonio. Quod coëgit Lipsium ad animi diuitias, quas largas a natura acceperat, respicere, eisque augendis et amplificandis omnem suam industriam tribuere. Quam viam ingressus ita impiger cucurrit, vt anno cIↃDLXVII *Variarum lectionum* libros, nouendecim annorum iuuenis edere posset, quo libro fundamentum eum gloriae illius iecisse, ad quam postea conscendit recte obseruatum HADR. BAILLETO s). Hunc cum inscripsisset Antonio Perenotto cardinali Granuellano, occasio illi inde enata est tanto viro innotescendi. Qui Lipsium in Italico itinere Romam delatum omnibus humanitatis officiis prosecutus est, adituque in suam domum parato, auctor illi et hortator ad prosequenda alacriter studia extitit; tandem eum sibi a Latinis epistolis esse iussit. Quo munere cum non magnopere labore distineretur, otium nactus est, insatiabile desiderium, quo antiquitatem noscere ardebat, explendi, et animi thesauros pulchre amplificandi. Nam et lapides veteres et exesa vetustate monumenta curioso perlustrabat oculo, et rudera collapsa diligenter perreptabat, et aditu parato ad bibliothecam Vaticanam ope patroni ex hoc animorum ἰατρείῳ magnas eruditionis accessiones faciebat. Quin ex virorum quoque eruditione summorum, Pauli Manutii, Fuluii Vrsini, Latini Latinii, Hieronymi Mercurialis, M. Antonii Mureti consuetudine plurimum alimentorum doctrinae sibi comparabat. Quae vero ad excolendos ingenii fundos amplissime illi profuerat Italia, plurimum eius moribus obfuit, animumque corrupit. Redux enim cum eruditionis elegantia vitae licentiam Louanium attulit, et quas diligere iam tunc coeperat Epicteti praecepta vita non expressit, sed sine parente, sine tutore, qui monitorem illi se praeberet, totum se voluptatibus tradidit, sodalitiis, ludis, aliisque ineptientis iuuentutis erroribus tempus fefellit. Neque tamen diu ita oberrare eum passa est diuina prouidentia. Delatus enim ad Carolum Cangium, canonicum Leodiensem, eius colloquiis languens ad virtutum cultum vehementer accensus est animo, eiusque amicitia Lipsio plurimum ad declinandas voluptatis semitas profuit. Erat is, teste AVB. MIRAE-

r) Vid. AVB. MIRARI Elogia Belgarum p. 153. s) l. c.

MIRAEO[t], non modo summus aeui sui Criticus, et veterem literaturam omnem animo complectebatur suo, sed et virtutis erat cultor, qui posthabito tumultu hominum, inter libros latebat, aut hortorum se sepibus claudebat, cum florum et hortorum cultura impense delectaretur. Praeterea vir fuit omnino prudens et humanus, et quo radii solis meliorem nullum illuxere alterum. Huic cum in Eburonum vrbe [u] innotuisset, is vt ipse narrat Lipsius [z], eum hospitio excepit, et vtili quoque sermonum maxime salutarium genere emendauit, oculosque aperuit detersa vulgarium opinionum nube, viam ostendens, qua sine ambage ad sapientiae templa peruenire possit, nempe emendato et ad tranquillum constantemque statum perducto animo. Quae omnia latius exsequitur, et qua ratione de constantia philosophandi sibi inde ansa data sit, in tractationis *de Constantia prooemio*, explicat. Qua medicina animi restitutus, tumultusque bellicos, et deflectendi a recta via occasiones euitaturus peregrinationem in aulam Caesaris Viennam suscepit, prius Dola Sequanorum lustrata, in qua parum abfuit, quin febri perderetur. Reconciliatus tamen cum valetudine Viennam perrexit, ibique Augerium Busbequium, Ioannem Sambucum, Ioannem Cratonem, Stephanum Pighium viros celeberrimos et eruditissimos amicos nactus est. Noluit tamen, quod illi praeoptabant munere aliquo detineri illisque terris alligari, sed patriam meditatus iter, Bohemiae, Saxoniae et Thuringiae regiones iniit. Ibi cum audiret acerbissimis bellorum fluctibus Belgium concuti, patrimonium valde militari furore afflictum esse, nec tutum esse in patriam reditum, Ienae Thuringiae oppido, Musarum domicilio celeberrimo haerere aliquantisper statuit. Vbi cum praeclara eruditione valde commendaretur, professoris munus suscepit, fidei professione ea facta, quae inter A. C. inuariatae addictos ibi viget. Quod licet studiose celauerit Lipsius, ipse tamen hanc spartam negare non potuit [a], nec MIRAEVS eius biographus inficiatus, ERYTHRAEVS autem, candide fassus est, *integumentis dissimulationis eum re necessaria cogente tectum fuisse.* Id quod notante CRENIO [b], Lipsio aliquando „coram exprobrauit Conradus Schlusselburgius, qui, vbi narrasset „Lipsium „olim collegam suum et professorem oratoriae facultatis in vniuersitate „Ienensi, magnum amatorem Lutheranae religionis egisse, et iureiurando „confirmauisse, se doctrinam Lutheri vt vnam, aeternam & diuinam veri„tatem agnoscere, Romanique antichristi idololatriam & blasphemiam da„mnare, *his subiungit*, se Antuerpia reducem cum Leidae illum inuisisset, „et ex illo quaereret, qui rationem reddere posset defectionis suae a vera „religione, respondisse, se Christum non abnegauisse, nec deseruisse, nul„lam enim et omnem religionem sibi pari passu ambulare." Quae si vera sunt, vt ad conscientiae et testis fidem prouocat Schlusselburgius, satis docent, vbi etiam concesserimus, haec non de Christiana religione vniuersa,

t) l. c. p. 162.
u) Leodii.
z) Initio libri de Constantia.
a) Vid. Instit. Epist. c. ult.
b) Animaduers. philol. P. VII. p. 54. 55.

uersa, sed de sectis coetibusue intellexisse Lipsium, quibus Christiani inter se dissident, philosophiae praeceptis eum ad eleuandam religionis auctoritatem abusum, simulationis et dissimulationis egregium fuisse artificem, indignumque stoica seueritate et sanctitate facinus admisisse. Verum de his plura dare nec loci huius est, nec paginae. Suppeditabunt ea viri docti, qui passim de religione Lipsii disputarunt [c]. Sane necessitate coactum religionis professionem, cui Lutheri sequaces adhaerent, feciſſe, mutatio post annum & quod excurrit, secuta satis prodidit. Relicto enim munere, quod orationibus & disputatione memorabile fecerat [d], Coloniam abiit, vxoremque duxit Annam Calstriam, patricia Louanii familia genitam, quam et superstitione et morum morositate marito fuisse grauem, annalium literariorum scriptores referunt [e]. Ipse concorditer se vixisse ait, licet prodiderit, habere se coniugium suum pro nassa, qua fatali Deorum decreto custodiatur. Liberos autem cum ea non genuit. Coloniae nouem menses cum subsisteret, *Antiquas Lectiones* conscripsit, quibus veterum auctorum, & potissimum Plauti locis multis desperatis medicinam attulit [f]. In ea quoque mora Tacitum primo correxit, et annotationibus suis instruxit. Inde in Iscanum suum commigrauit, ruris silentia vrbium tumultibus praeferens, ratus, eo in loco tranquille se viuere, solisque libris legendis scribendisque immorari, et cum Musis congredi posse. Verum haec spes eum fefellit. Cum enim infestum rus feciſſet armorum strepitus, Louanium secedere, et securitatem quieti praeferre coactus est. Quo loco ut in ciuitate conspicuus esset, vtilisque reipublicae appareret, amicorum consiliis monitus, legum notitiae paulo accuratius diligentiusque se tradidit, accepta quoque anno cIↃIↃLXXVI iuris doctoris dignitate tituloque. Neque tamen vel foro seruire, vel rempublicam procurare studiorum, quae supra modum diligebat, conditio passa est: contentusque et voce et calamo quibuscunque posset, prodesse, nullius seruitutem subire voluit: ratus melius se toti reipublicae eruditae, quam vni ciuitati inseruire posse. Discipulis itaque leges regias et decemuirales interpretatus est, vt et Liuii quaedam, et *Epistolicas Quaestiones* edidit. Quae cum in portu tranquillo ageret, ex improuiso coorta tempestas, quae Belgium misere conquassauit, et cuncta caede, sanguine, rapinis, incendiis miscuit, Lipsium velut fractam ventis carinam adeo iactauit, vt sine certis sedibus discurreret. Tandem anno cIↃIↃLXXIX a Belgii confoederati statibus receptus et Lugdunensi apud Batauos academiae publicus doctor datus est, quod munus cum inter Protestantes susceperit, nouam dedit occasionem, eum inconstantiae in religione accusandi, strenue hanc culpam depellentibus ab eo amicis. In quam hoc loco inquirere, quia res a nostrae tractationis instituto aliena est,

c) BAYLE l. c. not. A. et quos laudat SAGITTARIVS in Lipsio Proteo.

d) Cal. Mart. 1574. clam se subduxisse refert HADR. BAYERVS in Syllabo Rectorum et Professorum Ienensium, p. 987. conf. ZEVMERI Vitae Profess. Ienens. p. 24.

e) Vid. PATIN Lettres T. II. Lettr. 294 p. 565. BAYLE l. c. not. F. et quos laudat.

f) Cent. ad Germ. ep. 72. p. 705.

non licet: lector quoque eius academiae mores et consuetudinem edoctus facile intelliget, quibus partibus se addictum esse simulauerit. Hunc in locum velut in tutum portum euasisse tum sibi videbatur Lipsius: cum enim magna eius esset in literis gloria, et praeclare de rebus ad antiquitatem spectantibus ad iuuenes differeret, libris autem eruditissimis facem omni literaturae veteri praeferret amplissimam, carus factus est non modo iuuentuti literarum studia in isto Athenaeo sectanti, sed et ipsis academiae patribus, et summis viris, in quorum tutela tum erat celeberrimum gymnasium. Verum ne hoc quoque loco, vbi tredecim annos humanitatis disciplinas publico stipendio conductus docuit, halcyonia diu durauerunt, ipso Lipsio materiam fortunae subministrante, vt in illum saeuiret. Nempe cum politicam disciplinam et voce et scripto tradidisset, eius generis principia iuuentuti commendauit, quae in Belgio foederato nuper demum in libertatem vindicato placere non poterant. Inter praecepta politica enim, quae libro quoque consignauerat, de religione in imperio fouenda disputans, in hanc sententiam concessit. *Vnam religionem in vno regno seruandam esse*, cumque porro quaereret, vtrum ferendi dissentientes, an puniendi sint? distinctione facta inter eos, qui et ipsi male de Deo receptisque sacris sentiunt, atque alios ad sentiendum impellunt, et inter illos, qui pariter male sentiunt sed sibi; respondit, *illos puniendos esse; melius enim esse, vt pereat vnus, quam vt pereat vnitas, nec clementiae locum hic esse, sed vrendum, secandum, ut membrorum potius aliquod quam totum corpus intereat* [g]. Dici non potest, quantam verba haec inuidiam Lipsio concitauerint, adeo vt in notis postea additis adista verba: vre, seca adscriberet: *O verba nata in turbas! periissent illa et calamus, cum haec scripsi.* Nempe aperte fauere Hispanorum crudelitati videbatur Lipsius, obtentu religionis incredibili saeuitia in dissentientes grassanti. Intolerabilia haec videbantur in professore in ea academia viuente, cuius proceres pro conscientiae animorumque libertate cuncta mouissent tolerauissentque. Signum itaque contra Lipsium sustulit Theodorus Volcardus Coornhaert, Harlemensi reipublicae a secretis epistolis, vir acer et acerbus et suis potissimum opinionibus, quodam fanaticismo incrustatis vehementer indulgens, eo quod nulla ex receptis religionum formulis illi placebat: Vnde multae illi lites exortae sunt, in annalibus ecclesiasticis enarrandae [h]. Huic cum infanda Lipsii sententia perhorrescenda videretur, edito *Processu contra haereticidium*, itemque *Quaestione conscientiaria* dicam illi scripsit grauissimam. Defendit sua et commode magis explicuit Lipsius peculiari tractatione *de Vna Religione*, vbi se illa de vera religione intelligere declarabat. Verum ne sic quoque mitigari poterant exacerbati in

g) Politic. L. IV. c. 3.

h) Memoria viri huius in recentiori ecclesiae historia notatu digna est, ob singulares, quas fouit, et contra ministros ecclesiarum Batauarum defendit hypotheses, quas enarratas habes apud G. Arn'oldvm Hist. eccl. T. II. p. 59. quocum conferendi P. Bayle Dict. T. III. art. Kornhaert. p. 13. seqq. Hornbeck Summa controuers. L. VI. p. m. 420. Colomies Melange de Lit. Opp. p. 831.

in Lipsium animi, suspectum de vera circa Protestantium dogmata sententia, eo quod statuisset, *domi quiescentem et silentem quemuis esse posse, licet aliud prae se ferret in publica religione.* Tanta enim acie aggressus est Lipsium Koornhaertius edita *Defensione Processus de non occidendis haereticis contra tria capita libri quarti Politicorum Lipsii*, vt fugam meditari coactus, quo se verteret, nesciret. Sedata tamen procerum prouidentia ista tempestas est, cum ob eruditionis gloriam parcendum Lipsio esset: qui tamen ab eo tempore Batauis diffidere coepit, adeoque, cum emendatis nonnullis duriusculis suspicionem tamen non tolli videret, de mutando loco cogitare coepit. Sunt quoque, qui tradant [i], mulierem Lipsii superstitiosam et imperiosam tamdiu molestam viro fuisse, donec de loco et religione mutanda consilium coepisset. Maxime vero pollicitationes Iesuitarum ambitiosum Lipsii animum permouisse videntur, vt cum nullam sectam et omnem sectam aequali loco haberet, tandem ad pristinam fidei tesseram reuerteretur, quam se clam seruauisse postea videri voluit. Nec a veri similitudine discedit, quod GROTIVS [k] obseruat, metum quoque publicum praeter priuatam iniuriam ad mutandas partes eum impulisse. Timidus enim erat, et foederatorum viribus diffidebat, metuens ne inferiores illorum partes essent, sibique hac ratione Hispanorum victoria male eueniret. Dolo itaque, bono et pio, si SWEERTIO [l] credendum, clam inde ac furtim, teste ERYTHRAEO [m] se subduxit. Simulato enim hepatario morbo ad Spadae aquas salutares iter suscipiens, Leodii Spadaeque per biennium fere haesit, et ad Colonienses digressus a Iesuitis in gremium Romanae ecclesiae receptus est, eam tamen mutationem clam aliquandiu habuit. Ita ad societatis obsequium totus praeparatus ab eorum nutibus totus pependit, et imprimis Leonardum Lessium et Delrium auctores rerum suarum habuit. Facileque SCALIGERO [n] credimus, asseueranti, libellos eum de Virgine deipara Sichemensi et Hallensi, Societatis iussu scripsisse, vt illis se probaret, et hac ratione commendationem eorum mereretur. Qui cum valde potentes in aulis esse soleant, passim Lipsius eorum laudibus viris principibus traditus, in academiam Ingolstadiensem, Salisburgensem, Herbipolensem, Pisanam, Patauinam, Romam quoque et in Galliam expetitus est. Quamuis vix credibile putet SCALIGER [o], eum MCC aureorum stipendio Patauium vocatum, pingue munus recusasse, quemadmodum vero simile vix est, eum ad curandam Henrici IV bibliothecam fuisse designatum, praelatum autem esse illi Scaligerum. Sed Lipsius, cum patriam omnibus praeferret, reliquis vocationibus neglectis a Brabantiae statibus anno MDXCII ad obeundum professoris munus in scholam Louanienſem vocari se passus est [p]. Quam spartam et viua

i) SCALIGER L. II. epist. 120. apud TEISSIER l. c. p. 528.
k) Histor. Belg. L. V. p. 378. l) loc. cit. m) loc. cit. pag. 5. n) Lib. II. ep. 106.
o) Scaligerana secunda p. m. 142.
p) Vid. TEISSIER p. 535.

voce et libris eruditissimis, quibus historiam et literaturam veterem illustrauit, ab eo tempore egregie ornauit, tantaque inde opinio de eo secuta est, vt cum anno MDXCIX Albertus archidux Austriae et Isabella Clara Eugenia Louanii inaugurarentur, et Athenaeum Louaniense inuisentes Lipsium aliquid subitaneum dicere iuberent, ille autem ex SENECA *de Clementia* pulcherrime dissereret [q], multa eum principes gratia complecterentur, et ita in aula regis commendarent, vt stipendio DCCC aureorum, quod ei status Brabantiae soluebant, M aureorum summa ei singulis annis a rege Hispaniarum adiiceretur. Qua in aula cum plurimum valeret eius eruditio tandem regi a consiliis et historia scribenda esse iussus, et a professorio munere liberatus est. Nunquam tamen aut consilia dare politica aut rebus ciuilibus immiscere se ausus est, homo priuatus et cum libris atque veterum imprimis scriptis magis conuersatus, quam res ciuiles et publicas rationes recentioris aetatis edoctus. Vt vero hanc, quam in aula Hispanica commendatione Societatis sibi parauerat, beneuolentiam tueretur, religionem quoque et pietatem singularem publice demonstrare sategit, et se ex animo ecclesiae Romanae addictum esse probare voluit, conscriptis *Laudibus diuae Virginis Halensis* et *diuae Sichemiensis* siue *Aspricollensis*, qui vltimi Lipsii foetus fuere. Valde extollunt hanc eius pietatem in diuam virginem Miraeus, Sweertius et huius generis alii, culpauerunt autem animum leuem, et ex religionis publicae neglectu ad hanc superstitionem transilientem, plerique viri docti, acriter autem scripta ista, Lipsiano ingenio et eruditione indigna reprehenderunt DENAISIVS [r] et THOMSONVS [s]. Dabimus ex Italia testem ERYTHRAEVM [t], ita de his eius scriptiunculis et anathematis, quae miraculosis istis imaginibus dedicauerat, scribentem: „Sed totius scribendi cursus quasi me„ta fuit Lipsio, Deiparae virginis Sichemensis et Hallensis res nouae at„que admirabiles; cui virgini Hallensi, moriens lacernam suam pelliceam „testamento legauit: in quo non potuit, quin facetorum hominum vrba„nitatem incurreret; qui quidem ridicule, sed non admodum religiose, „ideo lacernam pelliceam Virgini illi relictam aiebant, quod eius miracu„la, quae tantopere in coelum laudibus efferebat, frigerent ad populum". Idem de penna argentea, quam diuae Virgini suspendit iudicauit auctor epigrammatis, quem Scaligerum fuisse notum est:

Post opus explicitum, quod tot miracula narrat,
Pennam Lipsiades hanc tibi, Virgo, dicat.
Non potuit leuius penna tibi Virgo, dicare,
Ni forte est leuius, quod tibi scripsit opus.

Qui

q) Prodiit haec lectio postea, eo, quo habita est, tenore adiuncto PLINII Panegyrico in Traianum.

r) In libro de idolo Halensi.
s) De idolo Aspricollensi.
t) loc. cit. pag. 6.

Qui lusus adeo nostra aetate viris emunctae naris non displicuit, vt in amoenissimis *Collectaneis dictorum acutorum* AEGIDII MENAGII[u] quoque compareret, hosque versus Graecos quoque redderet Cel. MONETA[x]. Certe iudicii laudem et acuminis gloriam in eo scripto desiderarunt etiam Lipsianae doctrinae admiratores[y]. Tandem corpus longa valetudine domestica fere exhaustum, destillantis cerebri fluxionibus ineunte vere anni MDCVI consumtum est, et disparente colore, calore, viribusque, exspirauit Lipsius X Cal. April. natus annos LVIII, menses V. Bibliothecam non tam numero quam praestantia delectuque librorum optimorum spectabilem scripta item sua Guilelmo Greuio Bruxellensi, e sorore nepoti legauit, et cum XIII annorum adolescens esset, apud Ioannem Woweriu m contubernalem, donec adultior ipse ea frui posset, deponi curauit. Humanitatis exuuiae depositae in Franciscanorum aede sacra, ad D. Virginis aram, vt quam viuus coluerat, mortuus quoque honorare videretur. Ingenium obtigit Lipsio magnum, viuidum, et ad elegantiam literarum factum, omniumque artium capax, praeter musicam quam, vt ipse fatetur[z], aspernabatur. Iudicium satis acutum, limatum, penetrans, vbi praeiudicia non obstarent. Quibus et imprimis rationibus eius domesticis adscribendum est, quod iudicii laudem negligere, quam ineptis frigidisque scriptionibus mancipium se monachorum nonnullorum paulo ante finem vitae non demonstrare maluerit. Reliqua enim iudicandi acrimonia, quicquid etiam videatur SCALIGERO[a], non destituuntur. In dicendo autem quamuis stricta illa et arguta breuitas, plerisque displiceret, laudandum tamen est, quod tenebras vitauerit, satisque perspicue scripserit. Suntque illi dictioni Lipsianae suae Veneres, quae lectorem trahunt, et inuitant; et vel aculeum relinquunt, vel mel in legentis animo[b]. Quae laudari suo modo vel excusari tamen in Lipsio possunt, imitanda autem proponi non debent, multosque in deuia deduxerunt. Singulare autem est, quod de vi memoriae, qua fruebatur Lipsius, narrat ERYTHRAEVS[c], cum esset apud quendam principem virum, ac die quodam iniiceretur mentio de Tacito, gloriantem Lipsium dixisse, se illud aureum volumen adeo memoria comprehensum habere, vt nihil ex ea vnquam exciderit, statuendumque esse aliquem cum pugione, qui iugulum petat, si vnum verbum peccauerit. Hac memoriae fidelitate adiutus, cum lectione gauderet vasta et exercitata in scriptis veterum, mirum haud est, magnam eum sibi comparauisse artis criticae, antiquitatum, totiusque literaturae veteris cognitionem, et inter primaria ingenia seculi XVI esse numeratum[d]. Laudant etiam, qui eo viuo vsi sunt, morum modestiam, in sermone, cultu, gestu

u) T. II. p. 382.
x) T. IV. p. 136.
y) Conf. PATIN Lettres T. I. Let. 26.
z) Cent. III. Epist. misc. 87. Similia de Malherbio et Menagio narrantur, vid. Menagiana T. III. p. 187.
a) Scaligerana sec. p. 143.
b) Fassus id est Heinsius. Vid. MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 24. §. 65. p. 299.
c) loc. cit.
d) Videnda elogia doctorum apud TH. POPEBLOVNT. Censl. Cel. auct. p. 840. MIRAEVM Elog. Belgar. p. 134. MAGIR. Eponymol. Crit. p. 518. BAILLET. Iugemens T. II. P. II. p. 306. TEISSIER l. c. FABRICIVM l. c.

gestu adeo modicam, vt qui eum audituri adueniſſent, Lipſium fama magnum ſe videre vix crederent. Praeterea facilis erat et humanus, et binas fere horas a prandio adoleſcentibus ſtudioſis concedebat, qui eum conuenirent, exteris autem ſemper patentes erant eius ianuae. Tacemus, quae de pietate eius cultuque D. Mariae ſupra modum ingenti iactant eius biographi Miraeus et Sweertius. Inde factum, vt per omnem fere Europam ſummorum in republica literaria virorum laudes conſequeretur. Sunt tamen, quae in eo non praeter rem culpauere viri docti. Et imprimis merito plerisque diſplicuit, quod publicam religionis profeſſionem ſecundum vtilitatem magis quam conſcientiam ſibi effinxerit, et a leuitate animi, quam Vertumni inſtar in iuuentute demonſtrauit in virili, aetate ad anilem ſuperſtitionem tranſierit; vnde factum, vt peſſime audiret; religio et pietas Lipſiana. Ideo viſus [e] in re theologica aut quocunque modo ad religionem pertinente lubricus, anceps, vagus, in omnes formas mutabilis, qui modo aliquid largiri, modo adimere rurſum cupiat, id quod neceſſe eſt accidere homini vera religione ſerio nunquam imbuto, ſacrarumque literarum penitus experti. Quod iudicium non illubens ſubſcribet, quisquis *caput quartum et quintum libri quarti Politicorum* attente legerit *f*. Recte quoque in eo reprehenditur immenſa ambitio, quae vitae variis mutationibus et calamitatibus iactatae regula fuit et principium, ac eum haud raro in praeceps egit. Hinc iactantia illa, quam paſſim in ſcriptis, praeſertim in praefationibus prodit, quamque in epigrammate, quo pennam D. Virgini dedicauit, tam inepte oſtentauit, vt nil ſupra. Quis enim in philoſophiae Stoicae ſectatore hanc ferat inſcriptionem?

Hanc Diua, pennam, interpretem mentis meae
Per alta ſpatia quae voluit aetheris
Per ima quae volauit et terrae et maris:
Scientiae, prudentiae, ſapientiae
Operata ſemper, auſa quae conſtantiam
Deſcribere et vulgare quae ciuilia,
Quae militaria atque poliorcetica
Quae, Roma, magnitudinem adſtruxit, tuam:
Variaque luce ſcripta priſci ſeculi
Affecit et perfudit, hanc pennam tibi
Nunc diua merito conſacraui Lipſius &c.

Quae iactantia eo magis eſt ingloria, quo magis alienis plumis ſe ornaſſe deprehenſus eſt Lipſius, et plagii crimen ei non praeter rem haud ſemel obiectum eſt [g]. Quamuis autem vbique Graecas voces et ſententias cre-

e) Henr. Boecler. diſſ. de Politic. Lipſ. p. 55. et T. III. Diſſ. acad. p. 352 ſeqq.
f) Conf. Bayle l.c. Scaligerana l.c. Arnold. l.c. P. II. L. 17. c. 1. §. 4. p. 450.
g) Scaligerana l. c. Thomasius de Plagio lit. n. 487 ſeqq. p. 217 ſeqq. Crenius de Furibus librar. Animad. phil. P. IV. Colomesius Gall. Orient. p. 131.

creparet, obseruatum tamen viris doctis [h], satis ieiunam eius linguae fuisse in Lipsio notitiam, et magnum quem sibi in antiquitatibus Latii acquisiuerat apparatum eruditionis non condigna ratione sequentem. Reprehensus etiam a nonnullis est [i], nimius catellorum florumque amor, in quem sumtus quoque fecit haud exiguos. Plurima scripsit vir doctissimus et supra modum diligens, quae tamen pleraque cum vel veteres auctores emendent, vel rituum antiquorum morumque vetustorum historiam exponant, vel historiam veteris aeui explanent, alio loco enarranda sunt [k]. Aliquot voluminibus comprehensa prodiere Antuerpiae an. M DCXXXVI. Nobis illi modo ingenii Lipsiani foetus enarrandi sunt, quibus veteris Stoae philosophiam resuscitare, et seuerius atque succulentius sapientiae genus, quam quod exhibet philosophia Scholastica restituere voluit. Nempe vt supra iam ex parte narratum, cum communibus patriae procellis iactaretur Lipsius, nec satiaret placaretque animum sophistica illa ars, quam philosophiae nomine in scholis didicerat, videret autem frustra in tanta fortunae tempestate, quae plerosque eo tempore misere concutiebat, portum tranquillitatis quaeri, nisi animus ab affectuum tumultu liberatus, ad veram fortitudinem iis bonis nixam duceretur, quae eripi a fortuna non possunt: ad alios fontes diuertere, et meliores praeceptores quaerere coepit. Legerat autem ante omnes veteres diligentissime Tacitum et Senecam, quorum ille virtutis Stoicae exempla nonnulla depingit valde illustria, et a nulla fortunae saeuitia expugnata; hic praeceptis ex Porticu petitis formare animum et instruere contendit. His ducibus in Stoicae philosophiae amplexus ruit, et Virtutis Stoicae atque sanctissimae sectae admiratione captus, hanc sibi in philosophia viam elegit, et de constantia in aduersis seruanda philosophari, Stoica tamen praecepta Christianis attemperare studuit. Quod facili quoque fauenteque Minerua executus est, vnde G. NAVDAEI [l] iudicium: *Lipsium in libello de Constantia tanquam in Darii scrinio, res ipsas quas habebat pretiosissimas, elegantiam videlicet, et omnes ingenii sui ac iudicii gemmas artificiose conclusisse.* Displicuit tamen plerisque doctrina de fato, quam *libri primi capite decimo septimo et sequentibus* fuse explicuit. Quamuis enim haud indiligenter fatum hoc suum a Stoico distingueret, et qua ratione nec in libertatem voluntatis, nec in Dei sanctitatem atque bonitatem peccet et iniurium sit, multis ostenderet, impedire tamen non potuit, quin a multis eam ob rem notaretur. Quod praeuidit, ideoque veniam Lectoris exorauit, sicubi forte lapsus esset, cum locos illos altiores scanderet de proui-

h) CASAVBON. ep. 21. apud BLOVNT. l. c. HVETIVS de Clar. interpr. P. II. p. 287. TEISSIER. l. c. p. 538.

i) MIRAEVS l. c. TEISSIER p. 530. LIPS. Cent. I. ad Belg. ep. 44.

k) Catalogum exhibent MIRAEVS, SWERTIVS, ADAMVS, TEISSIER. VALER. ANDREAS in notissimis libris.

l) In Bibliographia politica p. m. 24. Conf. quae affert TEISSIER l. c. p. 530. 543. et Cel. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 1. p. 689. vbi duae quoque versiones Germanicae memorantur.

prouidentia, iuſtitia, fato. Nec negari poteſt, Lipſium Stoicis notionibus impeditum claram et diſtinctam ſibi fati definitionem non finxiſſe, eo quod Stoica emendare, et ad ſenſum Chriſtianum traducere vellet, quod tamen fieri non poteſt, niſi ipſum tollas fatum Stoicum. Quod non recte agnouit Lipſius, et decipi ſe paſſus eſt a magniloquentia Stoica et ſimulatione ſaniorum verborum, vt crederet, Germanos verosque Stoicos aperta fronte nunquam talia, qualia Chryſippus, fuiſſe profeſſos, et ſi improuidi quid in huiusmodi dictis inſit, nihil tamen ineſſe impii. Quam cantilenam in diſſertationibus de phyſiologia Stoica, vbi cuncta accuratius exponere conatus eſt, repetiit. Quae omnia tamen quam falſa ſint, et a vera Stoicorum mente abeant, *Tomo primo* adeo luculenter, niſi fallimur, oſtendimus, vt ea hoc loco repetere non ſit neceſſarium. Louanium delatus, quam texere coeperat telam abſoluit, et philoſophiam Stoicam omnem tum in *Manuductione ad philoſophiam Stoicam* tum in *Diſſertationibus de phyſiologia Stoica*, quibus tertiam *de Morali doctrina* addere volebat, morte tamen praeuentus, non edidit, complexus eſt. De quibus eius libris, quos introductionis loco in Senecae ſcripta vulgauerat, cum *Tomo primo* noſtram iam expoſuerimus ſententiam, eo lectorem ablegamus [m]. Ita via praeparata ipſam Senecae operum editionem breuibus at vtiliſſimis annotationibus curauit, quam *Tomo* quoque *ſecundo* iam enarrauimus. Quo ex labore haud exiguam eruditionis famam merito retulit, omnium enim optime de hoc philoſopho eiusque ſcriptis meruit. Nec deneganda Lipſio laus iſta eſt, omnium eum praeclariſſime in explicandis philoſophiae Stoicae praeceptis ſua aetate fuiſſe verſatum, eamque Porticus placitis lucem accendiſſe, qualem nemo forte poſt eam extinctam attulit: ſic vt carere Lipſianis his foetibus nemo poſſit, qui triſtes hos philoſophos accurate noſcere cupiuerit. Quin hoc quoque fatendum, vidiſſe eum et depoſuiſſe nonnulla praeiudicia, quae hiſtoriam huius ſectae totiusque philoſophiae veteris valde commaculauerant. Aſt cum hanc ex omni antiquitate ſectam omnium tutiſſime ſequendam eſſe ad veram ſapientiam adipiſcendam ſtatueret, et nimia prudentiae opinione de ea occupatus ad eam accederet, fieri aliter non potuit, quin multa ſana putaret, quae in ipſis fundamentis morbida ſunt, et admitti non poſſunt. Et hinc plurima pro ſacris religionis Chriſtianae dogmatibus conſentaneis habuit, quae immane quantum diſtant. Quod cum viris doctis [n] paſſim obſeruatum, a nobis autem in hiſtoria philoſophiae Stoicae multoties annotatum ſit, heic prolixe probari non debet. Vna dedicatio diſſertationum de phyſiologia Stoica legenda eſt, vt intelligamus, quam grauiter aberret Lipſii de philoſophia Stoica iudicium. Rectiſſime quoque reprehenſum in eo ab H. Boeclero [o], quod Stoicorum cauillationes vocabulorum, arrogantiam et affectationem perfectionis maioris,

m) Conf. Act. phil. Vol. I. p. 747.

n) Ex multis vide Thomas. de Exuſt. mundi Stoica diſſ. XIII. p. 166. Orig. hiſt. phil. p. 6. Bvddevm Anal. hiſt. phil. c. 4. p. 256. c. 6. p. 300. Morhof. Polyhiſt. T. I. L. I. c. 4. §. 2.

o) loc. cit.

maioris, quam materia capit, non obseruauerit, immo, quod merito addimus, imitatus sit. Quare non sine delectu et examine libelli vtilissimi adhiberi possunt. Eclecticum vero agere constituit Lipsius in *Politicorum* siue *ciuilis doctrinae libris sex*, qui ad principatum maxime spectant, post primam Lugdunensem editionem saepius, omnium tamen optime a Io. FREINSHEMIO [p] vulgatis. In quibus licet ad solum imperium et statum reipublicae monarchicum respexerit, multa tamen monuit, quae omnino placere possunt et debent, vnde enatum iudicium BOECLERI, qui peculiari dissertatione *de Politicis* I. LIPSII tractauit, *neminem accuratius naturae, rationis, disciplinae fontes, quatenus huc pertingunt recluſisse Aristotele; nec Lipsio alium esse potiorem, qui in veram actionis humanae palaestram agendorumque penetralia historiarum ambitu concluſa rite perduceret* [q]. Sane et ordo concinnus, et delectus sententiarum veterum, et communita ciuilis prudentiae fundamenta, et meta semper in oculis habita, omnino laudem merentur. Verum nec suis corpus elegans naeuis caret. Vt taceamus enim, frigidam esse religionis in eo opere curam, quod in homine, per omnem vitam in scriptis gentilium volutato et insigni religionis simulatione vtente minime miramur, cum totum se in eo argumento ambiguum ostenderit; κακοπραγμοσύνη quaedam et consilia suspecta, maxime vero arcana dominationis iniusta recte in eo reprehenduntur, et in causſa fuerunt, cur liber cetera elegans et doctissimis atque prudentibus viris vehementer displiceret. In nonnullis quoque, vt ipse ciuilem prudentiam ex libris veterum magis collegerat, quam ex vsu didicerat, ea quae actione et experientia tantum discuntur, ad subtilitatem contemplationum exigi posse opinatus est, quo pacto imaginaria cum Platone ciuitas extrui solet. Quae etiam de *Obseruationibus* eius *in Tacitum* suo modo valent, in quibus, quod ad cetera attinet, praestantissimam doctrinam demonstrauit. Vnde optimum hunc inter Lipsiani ingenii foetus esse, iudicauit Scaliger [r]. Pertinent huc quoque eius *Monita et exempla politica*: in quibus omnibus facile Lector agnoscet Lipsium, qualem hactenus descripsimus.

Restauratores philosophiae Stoicae alii. Gaspar Sciοppius.

§. III. Lipsii vestigia qui legerent, et Stoicam philosophiam recoquerent, pauci fuere, et vix vnus GASPAR SCIOPPIVS nominari potest, qui coeptam a Lipsio telam pertexere constituit, et tamen non absoluit. Vitam famigeratissimi viri, et ταῖς εὐφημίαις καὶ δυσφημίαις in annalibus literariis notissimi, hoc loco enarrare, ab instituto nostro alienum est, et praeterea, ob aduersariorum obiectiones, quibus famam eius admodum conspurcarunt, et strenuam, quam illis opposuit, negationem, incertum, et maius atque prolixius examen postulat, quam hoc loco dari potest: praesertim cum critici, quam philosophi personam suscipere maluerit. Lectoris itaque harum rerum curiosi diligentiae relin-

p) Arg. 1641. 12. Addita in fine BOECLERI Dissertatio laudata de Politicis Lipsianis.

q) Conf. quae collegere REIMM. Hist. lit. Germ. P. V. p. 94. STOLLIVS l. c. p. 722. ARNDIVS Bibl. herald. polit. p. 86. BVDDEVS Isagoge p. 322.

r) Scaligerana l. c.

quimus, ex libello, qui *Vitam* et *parentes Gaſparis Scioppii* ſatyrico ſale adſperſo enarrat [s], et Scioppii reſponſione, quam titulo: OPORINI GRVBINII *Amphotides Scioppianae*, emiſit in lucem, eiusque *Paedia humanarum et diuinarum literarum*, inter ſe comparatis adhibita attentione et iudicio ea ſeligere, quae ad res eius noſcendas et a falſis diſtinguendas pertinent, facem praeferente P. BAYLE [t], qui conſulendus, donec accurata et critica viri tot diuerſis doctorum virorum ſententiis famoſi hiſtoria, quam non nemo promiſit [u], prodeat. Nobis hoc loco ideo in conſpectum lectoris producendus eſt, quia ſaxum, quod Lipſius voluere coeperat, et ipſe aggredi et maiori cura ac felicitate abſoluere conſtituit. Teſte enim, auctore *Vitae Pauli Sarpii* [x], cuius quoque verba exhibet P. BAYLE, cum celeberrimo hoc libertatis Venetae aſſertore Venetiis tranſiens, collocutus multa more ſuo magnifice iactauit, de doctrina veterum Stoicorum, eorumque placita ex tenebris, quibus ſepulta iacere dicebat, ſe protracturum in lucem eſſe promittebat. Parum tamen tanto hiatu dignum praeſtitit promiſſor, infinitis animi varii, mordacis et acerbi motibus ad alios labores et arrodendos viros doctos diſtractus. Nihil enim lucem vidit [y] praeter *Elementa philoſophiae Stoicae moralis, quae in Senecam, Ciceronem, Plutarchum aliosque ſcriptores commentarii loco eſſe poſſunt* [z]. Neque in hoc libello, rarius hodie occurrente, inuenies, quod magnam in hoc argumento gloriam auctori ſuo pariat. Exigua enim et perbreuis eſt tractatio, et, quod Cel. STOLLIVS [a] appoſite monuit, pars tantum maioris operis, cuius capita aliquot a LXX ad CLIII exhibet. Nec in hac ſcheda nouum quid audax attulit criticus, ſed Lipſium exſcripſit, vel, ſi honeſtiori vocabulo vtendum, in compendium miſit [b]. Parum ergo fundi philoſophia Stoica hoc labore ſibi acquiſiuit.

Daniel Heinſius.

Eleganter porro in hoc campo verſatus eſt, et Stoicam ethicam omnibus praetulit, eamque philoſophantibus viam commendauit, DANIEL HEINSIVS, cuius, pulchra extat oratio *de Philoſophia Stoica*. Verum nec a tanto, qualis ille fuit, viro quicquam lucis amplioris ad colendam hanc philoſophiam allatum eſt, et pleraque expreſſa verbis tantum elegantibus ex Lipſio, breuia quoque cuncta, et ad dicendi magis apparatum, quam ad doctrinae paediam relata, vnde parum inde promouit ſapientia Stoica.

Thomas Gatakerus.

Plus ad eam illuſtrandam commendandamque attulit THOMAE GATAKERI diligentia [c], quo incertum, an quisquam recentiorum maiorem eruditionis copiam ad hoc argumentum adhibuerit. Cum enim vir doctiſſimus, omnem fere veterem literaturam animo

eſſet

s) Prodiit cum Confutatione fabulae Burdonum, Leidae 1609. 8.

t) Dict. T. IV. Art. Scioppius p. 172. add. REIMM. Hiſt. lit. Germ. P. V. p. 188.

u) V. C. Carolus Henricus Langius.

x) pag. 191.

y) In cauſſam eius rei inquirit REIMM. l. c. P. IV. p. 676.

z) Mogunt. 1608. 8.

a) Hiſt. lit. P. III. c. 4. §. 14. p. 672.

b) MORHOF. Polyhiſt. T. II. c. 4. p. 23. BVDDEVS Annot. ad Hiſt. phil. c. 6. p. 380. Iſag. p. 298.

c) Vitam celeberrimi viri praefixit editor Eius Aduerſariis miſcellaneis poſthumis inter Opera eius critica Trai. ad Rhen. 1698. fol. editis. Natus eſt Londini 1574. denatus 1654. Cantabrigiae, vbi praefectura Collegii SS. Trinitatis functus eſt.

esset complexus, et lectis plerisque scriptis veterum philosophorum, oratorum et poëtarum, imprimis Graecorum, amplissimum doctrinae antiquae thesaurum sibi comparauisset, quo in artis criticae et antiquitatis studio incomparabilis euasit, Graecam autem linguam egregie esset doctus, et iudicio vteretur acri, lectionem autem stupendam diligentia insolita acquisiuisset, quo pacto laudes summorum virorum meruit [d]: Stoicam philosophiam noua luce donare, et imprimis eius moralem partem commendare annisus est. Quem in finem ANTONINI imperatoris librum περὶ ἑαυτοῦ commentario illustrandum, et praemissa dissertatione Stoicam philosophiam commendandam sibi sumsit, vt iam *Tomo secundo* annotatum. Et in commentario quidem, omnino fatendum est, magnam Gatakerum eruditionem demonstrauisse, et ex incredibili, quam possidebat, lectionis copia attulisse, quicquid apud veteres, cum philosophos tum scriptores alios lucem foenerari potest philosophiae Stoicae, et praecipue morali eius parti, vnde factum, vt obscuris Antonini aphorismis clarissimum multoties lumen accenderet. Subscribimusque MORHOFIO*pronuntianti, *Promtuarium veteris doctrinae moralis* eum non immerito vocari posse, *eo quod diligentissime sententias Antonini e Stoicorum scriniis desumtas cum ceteris philosophis contulerit, non quidem vt longas de iis disputationes institueret, sed breuiter tantum testimonia adduceret.* Verum quoque, quod addit: *Commentarium hunc mirifice prodesse posse hunc fundum occupaturo.* Eum enim cum MENAGII *Commentario in Laërtium*, et STANLEII *Historia philosophica* instar pandectarum veteris philosophiae Graecanicae haberi posse, experti nouimus. Dolendum autem virum cetera eruditissimum et recti pectoris, sine praeiudicio ad hoc opus aggrediendum non accessisse. Cum enim falsa Stoicae philosophiae admiratione esset occupatus, qua omnia sibi sana fingebat, non potuit non in perspiciendis veris sensibus philosophiae Stoicae coecutire, et germanam porticus mentem in multis ignorare, atque perperam interpretari. Inde euenit, vt abominabiles non nunquam Stoicae philosophiae errores pro sanis dogmatibus haberet, et ad eos illustrandos illa veterum testimonia cumularet, quae si verus eorum sensus consideretur, longe aliud dicunt, et a Stoicis immensum distant. Id quod imprimis in comparandis oraculorum sacrorum effatis cum Stoicorum praeceptis viro doctissimo non accidisse vellemus, qui splendidis Stoicorum verbis deceptus ipsum D. Paulum in Stoa multoties reperit. Idem opus in praemissa dissertatione siue praeloquio de disciplina Stoica simili ratione modoque vrget. Comparatis enim veteris Graeciae sectis cum Stoica, hanc aliis praeferre nullus dubitat, eiusque sanctissima, vt putat, decreta, multis verbis commendat. Maxime vero, cum graues inter Epicuri hortum et Zenonis porticum lites iam olim intercessissent, huius partes contra illum suscipiens non modo grauis atque vehemens in

d) Vid. MAGIR. Eponymol. crit. p. 378. COLOMES. Opusc. p. 297. 652. Io. FABRICIVS Hist. bibl. suae P. II. p. 452. et quos laudat. BVDDEVS Hist. phil. c. IV. p. 248. *) l. c.

Epicurum est, et veteres obtrectationes magno animo recoquit; sed et ethicam Stoicam iis pigmentis ornat, quibus elegantissimum vultum, et pietatem singularem ostendit. Quod accurate se executum esse credidit, cum omnia αὐτολεξεὶ ex Stoicorum monumentis afferret. Verum deceptum fuisse virum eruditissimum partis studio, nec ad germanas Stoicorum hypotheses accurate satis et sine praeiudicio attendisse, plurimum autem dedisse affectui odioque, quo Epicuri philosophiam persequebatur, ipsumque Gassendum, pro Epicuro doctissime pugnantem tacite petebat, ex iis quae supra locis suis iam diximus, adeo clarum esse putamus, vt iis prolixiora adiicere non sit opus. Ipsum potius Lectorem rogamus, vt hanc Gatakeri dissertationem cum systemate Stoico, quale suo loco descripsimus, conferat, et ea quoque in partes vocet, quae doctissimi viri IACOBVS THOMASIVS [e] et Io. FRANCISCVS BVDDEVS [f] falso isto praeiudicio non impediti de philosophiae moralis et naturalis apud Stoicos sensu vero et germano disseruerunt, vel si tanti videbuntur, ea cum Gatakerianis comparet, quae alibi [g] de *Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus* scripsimus. Ex iis enim, nisi nos omnia fallunt, πρῶτον ψεῦδος illud clarissime conspicietur, quod Gatakerum in transuersum egit, illique persuasit, vt sana esse putaret, et velut optima commendaret, in quibus virus latet merito pertimescendum. Hoc vero cum tantae doctrinae tamque accurati iudicii viro acciderit, mirandum haud est, alios, qui tantum doctrinae et acuminis ad commendandam philosophiam Stoicam non attulerunt, ad eundem lapidem offendisse, et deceptos splendidis Stoicorum mendaciis inter tenebras et lucem, ita pacisci conatos fuisse, vt ipsam Christianae veritatis sanctitatem ad Stoicam impietatem inepta comparatione traducerent. Id quod imprimis ANDREAE DACIERIO accidit, qui et ipse Antonini librum annotationibus illustrauit, et sanam esse philosophiam Stoicam somniauit. Qui si ab inepto conciliandae gentilis philosophiae cum scripturae sacrae et religionis Christianae decretis studio abstinuisset, si maiorem ad perspiciendum verum systematis Stoici nexum attentionem attulisset, si parcius eloquentiam ad comendos fucandosque Stoicorum errores adhibuisset, non meruisset acerbam reprehensionem FRANCISCI BALTI [h], viri historiae veteris philosophiae non satis quidem periti, at qui naeuos tamen Stoicos acutius vidit et damnauit candidiore pectore, quam Dacierius. Alios quos huc adducamus non habemus. Quamuis enim multi recentiorum fuerint, qui Stoicam disciplinam illustrauerunt, quos suo loco potiores nominauimus, illi tamen inter restauratores huius sectae numerandi non sunt, cum hanc nobis doctrinam imitandam non commendauerint, adeoque falsis nominibus pagina nostra replenda non est. Ad quem lapidem offendisse nonnullos, qui historiam philosophicam attigerunt, heic ὡς ἐν παρόδῳ monere non abs re erit, concinente, qui similia attulit, B. Io. FR. BVDDEO [i].

CA-

e) De Exust. mundi Stoica. f) De erroribus Stoicorum inter Analecta Hist. philos.
g) Tempe Helu. T. III. p. 260.
h) Iugement de SS. Peres sur la morale des payens, passim.
i) Annot. ad Hist. phil. c. VI. §. 3. p. 380.

* *

CAPVT VIII.

DE RESTAVRATIONE PHILOSOPHIAE DEMOCRITO-EPICVREAE.

§. I.

Occasio resuscitatae philosophiae Democrito-Epicureae.

Philosophiae Democriti atque Epicuri, et imprimis quo ea tota nititur systematis atomistici reuocandi ex puluere, in quo abiectum et neglectum iacuerat, ea ipsa occasio extitit, quae Ionicam et Parmenideam philosophiam resuscitauit, nempe physicae Peripateticae contemtus. Cum enim secundum Aristotelem de rebus naturalibus parum feliciter se disserere posse viri acuti doctique cernerent, eo quod principia incerta, vaga, obscura, et praecisione mentis tantum precario excogitata naturalium rerum adyta referare non posse crederent, de huiusmodi principiis cogitantes, quae in ipsa rerum natura existerent, et quibus velut primis rerum omnium initiis ad conditarum rerum indolem pernoscendam aditus pararetur, tandem ad atomos Democriti peruenerunt. Quas cum physiologiae fundamenti loco substernerent, reliquas quoque philosophiae partes, quae cum naturali cohaerent, quasque Epicurus excoluerat, eo filo aggressi sunt. Et hoc quidem pelagus, mature seculo XVII tentauit DANIEL SENNERTVS, qui inter Germanos in naturali philosophia primus desipere coepit. Is enim singulari capite in *Hypomnematis physicis* [a] de atomis et mistione differens systema atomisticum in scholam suam recepit, eo quod illud antiquissimam doctrinam sistere credebat, et Mocho [b] Phoenicio tribuendum esse putabat, qui ante Troiae excidium floruerit, communem autem fuisse omnium philosophorum ante Aristotelem sententiam, ex ipso ARISTOTELE [c] patere contendebat, quem primum ab hac sententia recessisse dicebat, statuentem, corpora illa minima non solum in mistione vniri, sed et per mutuam actionem et passionem inter se ita alterari et affici, vt definant esse id, quod ante mistionem erant. Hinc licet non ignoraret, doctrinam de atomis et corporibus indiuisibilibus satis odiose vulgo proponi, tamen si recte explicetur, absurdam non esse pronunciauit, rationesque, quae pro hac sententia afferuntur, tales esse, quae cogant et vrgeant, et quae haud facile solui possint, agnouit. Fatendum tamen, confudisse Sennertum atomos Democriti cum corpusculis minimis, quas physici veteres adhibuerunt, cum sufficere putaret, si statuantur σώματα ἀδιαίρετα, eo quod in natura in resolutione vltra ea ad minora progressus non fiat, et contra, quia ab iis corpora naturalia suum exordium habent, licet longe a Democriti mente in iis definiendis

a) Hypomnem. III. c. 1. p. 86. seqq.
b) Male in editione anni 1636. legitur, *Monacho cuidam Phoenicio.*
c) De Gener. et corrupt. L. VIII.

endis abeat, singulis elementis propria minima physica huius generis vindicans. Vnde atomi vox apud eum non sensu speciali, sed generali, quo corpuscula in natura minima denotat, sumenda est, secundum quem simplicia quaedam corpora sui generis sunt, ex quibus composita generantur, quae valde ab atomis Democriti et Epicuri differunt.

Io Chrysostomus Magnenus.

§. II. Occasionem hoc dedit IOANNI CHRYSOSTOMO MAGNENO philosophiam Democriti, a nemine hactenus explicatam in scenam reuocandi, et nouam de naturalibus rebus philosophiam explicandi. De quo philosopho, quid dicamus, non habemus, nisi quod ipse innuit, fuisse Burgundo Luxouiensem Patricium, philosophum, medicum, et in vniuersitate Ticinensi regium medicinae professorem, in emeritorum vero subsellia euectum, honorario fuisse auctum. Cuius quoque viri docti memoria in historia medicinae literaria haud obscura est. Commendantur enim a medicorum filiis eius exercitationes, *de Manna Calabrina*, et *de Tabaco*, in quibus praeter eius historiam virtutes et vitia vsus et abusus ostenditur [d], quae iunctim apud Batauos [e] prodierunt. Tribuit ei quoque librum *de Atomis et particulis* MORHOFIVS [f], qui tamen a libro citando diuersus haud est. Is itaque, quem diximus, cum derelictam crederet doctrinam atomisticam, (quae enim circa id tempus de restituenda philosophia Epicuri scripserat Petrus Gassendus, ignorauisse videtur) *primogenitam inter omnes sapientum sectas atomorum philosophiam restituere designauit, eiusque opinionis famam mille calumniis obsoletam vindicare constituit.* Quod tamen *non eo fine se facere ait, vt alius secum e philosophis cathedram ascendat regiam, praeterquam Aristoteles, eo quod in publicis praelectionibus iuuentutis institutioni non autem genio nouitatique sit indulgendum: sed se id suscepisse*, dicit *veritatis desiderio ingeniique exercendi caussa, praesertim cum in philosophicis nulla possit esse praescriptio, et ob hanc rationem non abs re fore duxisse, in integrum restituere sententias, quae primo viguerunt.* Et hunc vt scopum obtineret edidit: *Democritum reuiuiscentem, siue de vita et philosophia Democriti Ticini anno* clɔIɔcXLVI, quem postea librum Batavi iterata editione recusum dederunt [g], quem tamen rariorem fecit vel neglectus libri, cum Gassendiana longe praestantiora et luculentiora suppeterent, vel paucitas eorum, qui his literis librisque delectantur. Illi prolegomena praemisit, in quibus quae de Democriti vita, scriptis, laudibus, doctrina, et inuentionibus apud veteres dispersa passim extant diligenter, iudicio suo interdum interposito collegit, de quo eius labore cum *Tomo primo* [h] iam dixerimus, ea repetere hoc loco otiose nolumus. In ipsa vero tractatione de atomis secundum Democriti mentem, id imprimis sibi inuestigandum statuit, ex quo omnium in rebus naturalibus explicandis difficultatum fontem repetendum

d) Vid. MERCKLIN. Linden. renou. p. 554. MORHOF. Polyhist. T. II. L. II. P. II. c. 27. p. 395.

e) Post Papiensem editionem lucem viderunt Hagae Comit. 1658. Amstelod. 1669. 12.

f) L. c. c. 3. p. 284.

g) Lugd. Bat. 1648. Hag. Com. 1658. 12.

h) p. 1175.

tendum esse credebat, vt in materiae primae originem inquireret. Naturam enim materiae sequi et formam et accidentia obseruabat, idque imprimis in Peripateticis desiderabat, quod ineptam materiae considerationem instituissent. Telam itaque exorsus, eamque methodo mathematica pertexturus, ad tria potissimum capita disputationem reuocauit, ostensurus primo iuxta Democritum, nullam dari materiam primam, diuersam ab elementis; secundo atomos eam constituere, et haec, tertio frustra obiectionibus eneruari. Quae vt necessaria demonstrationis catena firmet, praemissis definitionibus verbalibus et realibus, his principiis totum demonstrationis suae aedificium instruit [i]:

I. Ex nihilo nihil fit, hoc est, agentia naturalia exigunt subiectum vt agant, et materiam circa quam versentur.

II. Mundus destrui non potest, per causas naturales, vi propria et naturaliter applicatas, secus, si virtute diuina applicentur passio.

III. Agentium naturalium actio iuuatur ab extensione, dummodo sit ea absque dispersione virtutis: pariter et resistentia passi iuuatur ab extensione, virtuti suae actiuae proportionata.

IV. Sublata parte essentiali, perit totum, siue pars illa se habeat ex parte materiae, efficientis, formae finisue; nihil enim absque hisce caussis esse potest in natura.

V. Quinque sunt mundi partes principes et essentiales, terra, aqua, aër, ignis, se habentes ex parte materiae, et coelum formae.

VI. Vbi contrarietas datur inter agens et passum, ibi necessario est alteratio successiua, praecedens passi destructionem substantialem.

VII. Natura semper intendit, quod perfectissimum est.

VIII. Non potest introduci forma sine praeuiis dispositionibus, et vbi sunt dispositiones omnes, ibi est forma.

IX. Caussa principalis debet continere effectum suum vel formaliter vel eminenter.

X. Idem est finis actionum et essentiae, nam esse est propter operari.

XI. In iis, quae sub sensum cadunt, posita experientia, oportet philosophari, sensibilia enim per sensus iudicanda sunt.

XII. Existentia rei dignosci potest a tribus: primo ex caussae necessariae, aut effectus necessarii existentia, secundo ex proportione et reciprocatione actionum, et connexione cum alio externo, existente: rerum enim non existentium nulla est actio. Tertio cum est ad totius vniuersi bonum.

XIII. Magis et minus non faciunt differre essentialiter.

His principiis, vel potius, axiomatibus totam quam in sequentibus exhibet demonstrationis seriem innectit, probaturus [k], elementa esse primum

i) pag. 54 seqq. k) pag. 60.

mum vniuscuiusque corporibus subiectum siue materiam, eo quod attributa habeant, subiecto primo conuenientia: esse autem elementa, ait [l], seminarium primum atomorum simpliciter figuratarum et vnigenarum, secundum quarum variationem et vnitionem diuersam mixta quaeuis generantur, et in quae omnia vltimo resoluuntur. Hoc elementum, contendit [m] non componi ex materia et forma, eo quod ingenerabile sit et incorruptibile. Esse autem, monet [n], in quouis elemento tria primario consideranda, primo molem substantialem corpoream, secundo, qualitatem primam, tertio appetentiam mixtionis. Secundario autem elementa contemplanda esse, vt partes vniuersi et vt mobilia localiter. Vnde patet quoque, Magnenum qualitates atomis tribuisse, quam veram quoque mentem Democriti fuisse putat, repudiata Lucretii explicatione, quem in Empedoclis castra transiisse contendit. Numerum autem quatuor elementorum oppugnat [o], et tria tantum ponit [p], excluso aëre, quem magno nisu ex elementorum numero eiicit, eo quod careat qualitatibus primis, iisque rationibus essentialibus, quae elementis necessario insunt, sed aërem organum vel machinam omnium, per quam omnia fiunt esse affirmat [q], et sic terram, aquam, ignem tantum inter elementa relinquit. Primas autem qualitates caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, alias, quam Aristoteles exhibet, et tactiles eas esse definit [r], quibus corpora vel vniuntur, vel disiunguntur et vincula modificantur, vt facilius difficiliusue coëant. Et hac ratione materiali principio corporum explicato et ab obiectionibus vindicato compositionem rerum ex atomis explicat, ostendendo [s] continuum non constare ex punctis mathematicis, nec ex partibus et punctis simul; sed componi omnia constareque ex atomis siue corpusculis finitis numero adaequate inter se distinctis, certae et determinatae areae. Atomum autem dicit [t] esse materialis physicaeque extensionis radicem et initium, eas autem ponit vel substantiales, vel igneas, vel aqueas, vel terreas, vel aëreas, vel viuentium. His proprietates tribuit [ff] communes mobilitatem, sympathiam, quantitatem; singulis autem suam inesse dicit qualitatem, figuram, ordinem, qui spectat ad intentionem, quae secundum singula atomorum genera fuse explicat, et qualis figura, sit atomorum ignearum, terrearum, aquearum, aërearum, describit. Mixtionem et dissolutionem atomorum autem ita delineat, vt suppositio, quod toti negotio praesideret, principio sempiterno, primam dicat concretionem factam esse, exterioris mundi partis, siue inuolucri omnium, quae in inanis immensitate coaluere ex atomis, id est coeli extimi, et tum atomos in aëre concluſas affirmat [t] variis cieri motibus tum localibus, tum etiam ad figuram, cumque includerentur vastissimo illo carcere, seque mutuo quaeritarent ad generationes, in centro mundi euitata circumferentiae vastitate, sibi inuicem consensisse, et primum solem coaluisse: hocque adminiculo influente vertiginem ipsam coeli soli-

l) p. 87. m) p. 88. n) p. 91. o) p. 96. p) p. 110. q) p. 111.
r) p. 122. s) p. 174. t) p. 189. ff) p. 93. t) p. 272.

solidiorem factam ceterosque planetas efformatos esse, et tum stellas fixas, illos a centro mundi ad sphaeras suas delatos, has in orbis centro circinatas. Factis, porro ait, sideribus, veluti vniuerso mundi seminario, ceteram atomorum multitudinem crassa Minerua inuicem permixtam in centro orbis remansisse, vt generationibus animalium subseruiret, hinc terrae globum aqua et terra coaluisse. Incertus tamen et parum fidens huic rerum γενέσει, alium quoque modum explicat [u], quo ex atomis primigeniis compactae sunt atomi secundae, seu minima naturalia, quae amicitiae et inimicitiae stimulis sese quaeritantia in medio aëre velut commisso praelio solaria corpuscula solaribus, lunaria lunaribus conuenerint, cunctisque in suum locum delatis superiorum cum inferioribus consensio extiterit. Quam tamen esse Anaxagorae ὁμοιομερίαν ipse agnouit, a Democriti atomis diuersissimam. Vnde incertus quid de mundi fabrica exactius statuendum sit, ampliorem quaestionis tractationem praetermittit, et modum agendi atomorum triplicem commemorat [v], primum, per intrusionem sui in poros, secundum per propagationem qualitatis in spatio libero, tertium per inhibitionem qualitatis contrariae. Quo pacto vt mixtio atomorum efficiatur, tria requiri statuit [w], materiam, atomos sc. aqueas, terreas, igneas, instrumenta, quae sunt qualitates primae atomorum, et siderum influxus, et tandem formam nondum existentem, afflatum intentionalem, idealem directiuumque operis. Opus enim naturae, opus esse intelligentiae, supponit magis, quam ex mente Democriti probat, licet ad ARISTOTELEM alibi [x] prouocet, Democrito principium aliquod sempiternum et indemonstrabile tribuentem [y]. Istis vero mixtionum generibus suppositis gradus quoque earum explicat, prout ad perfectiora seriatim positae atomi ordinantur, hoc potissimum axiomate vsus [z], quo perfectior est forma, eo elaboratiores eam admittere dispositiones, quas ad temperiem, synthesin, spiritum calidum et humidum radicale reuocat. Et simili modo dissolutionem mixti ex principiis Democriti sibi explicandam sumsit *, aduocatis formis admissionalibus et subductoribus, supposita regula, omnia reuocare se ad natiuum statum, quantum quidem possunt, quare si illum deperdant, vi extrinsecus adhibitae tribuendum esse. Inde enim concludit: statim ac extrinsecum quidpiam in mixti penetralibus refunditur, et ad formae partiumque sibi vnitarum exigentiam figuratas atomos proritat, eas auxiliaribus illis copiis motas, contempto formae imperio natiuae primaeuaeque libertatis cupidas figuram recuperare primam, quae cum sit sphaerica et vnionis cum cubo incapax, statim eas exilire, et cum sint valde mobiles, erumpere ex vinculis, hincque dissolutionem continuatis huiuscemodi defectionibus consequi. Et ex his quidem demonstrationibus non naturalium tantum operationum, sed et praeternaturalium caussas explicare aggreditur, quae tamen enarrare huius loci non est.

u) p. 277. v) p. 278. w) p. 284. x) p. 272. y) De Gener. L. II. c. 4.
z) p. 292. *) p. 298.

His reſponſiones ad obiectiones ſubiungit, et imprimis mathematicorum illationes reiicit, monens †, actiones phyſicas non eſſe expendendas regulis geometricis, quas dum explicat, praecipua tangit, quae ad rerum menſurabilium theoriam pertinent. Diſputatione tertia autem motum localem, rarefactionem et alterationem, itemque colores iuxta Democritum explicare nititur. Quibus quasdam definitiones et principia, ſiue axiomata praemittit *, v.g. Motum localem eſſe actum entis in potentia, prout in potentia, in ordine ad locum vel ſpatium. Omne agens debere continere effectum ſuum vel formaliter vel eminenter: non dari vacuum in rerum natura, totum hoc vniuerſum a Deo creatum eſſe plenum, eaque inſtructum quantitate, quae toti ſingulisque partibus ſufficit: dari colores reales non autem apparentes tantum. Negat [a] autem ſucceſſionem perfectam, quia alioqui motus eſſet diuiſibilis in infinitum. Et ex his concludit [b]: non dari grauitatem neque leuitatem ſtricte ſic dictam; motum localem eſſe entitatem permanentem, totam ſimul in natura, et ſucceſſiuam in connotatione, cuius cauſſa productrix ſit ſolus impetus. Omnem porro [c] rarefactionem improprie dictam eſſe, fierique per intruſionem atomorum, condenſationem per extruſionem, quoniam non detur vacuum. Potiſſimam corporum alterationem [d] fieri per meatus ſenſibiles, intenſionem per ordinem et poſitionem multiplicem atomorum, remiſſionem per ſolutionem ordinis. Vbi tamen obſtare ſibi vidit νόμου καὶ ἐτεῇ Democriti, quibus omnia fieri cenſuit. Ex his enim clarum eſſe, quod qualitates reiecerit Democritus, *Tomo primo* [e] demonſtrauimus, et GALENVM [f] id iam obſeruauiſſe, *atomos omni qualitate carere, ſed ex illarum ſynodo omnes oriri et agitari atomos per omnem aeternitatem*, ipſe Magnenus monet. Quae cum explicationi ſuae obſtare videat, valde ſe torquet, ratus [ff] illam differentiam ſenſationum, quas atomi excitant, inde prouenire, non quod ſola opinione conſtent, ſed quod reuera inter agens et paſſum debeat intercedere proportio, ſi illa deſit, non ſequatur effectus; at primas elementorum qualitates non voluiſſe proportione probari, neque dixiſſe νόμῳ ignem eſſe calidum. Tandem capite vltimo theoriam colorum ex mente Democriti pandit [g], demonſtrareque conatur, colorem eſſe lumen internum corporum ab atomis igneis diffuſum, et per alias atomos refractum, ſuppoſitis axiomatibus, elementa carere omni colore, cum ſint defaecata, et ab omni mixtione immunia, et ex miſtione perſpicui et opaci varios enaſci colores, nempe transeuntes. Quae omnia ita roborat, vt diuerſitatem qualitatum in atomis elementorum ſupponat, indeque ex atomis ignis, terrae aquaeque particulas ſubeuntibus, easque perſpicuas reddentibus rem omnem explicet.

§. III. Val-

†) p. 317. *) p. 376. a) p. 378. b) p. 385 ſeqq. c) p. 415.
d) p. 419. e) p. 1195. f) De Element. L. I. c. 2. ff) p. 437.
g) p. 438. 440.

§. III. Valde sibi ista explicatione physicae Democriteae Magnenus placuit; nec deneganda ei est ingenii subtilitas, et imprimis geometriae peritia, quam haud infeliciter interdum in partes vocauit. Ast quod ad cardinem rei pertinet, inuito eum Democrito, inuita veritate ita philosophatum fuisse, raro veros Democriti sensus assecutum, fatebitur, quisquis historiam systematis Democritici, a nobis *Tomo primo* ex veterum narratione delineatam, cum hac physiologia Magneniana comparauerit. Non vrgebimus lapsus nonnullos historicos, passim a viris doctis notatos [h], sed ipsa principia a Magneno in partes vocata et admissa testamur, quae adeo a Democriti mente distant, vt plane illius systema alterent. Nempe Peripateticis notionibus, quas publice tradere iuuentuti solebat Magnenus impeditus, mira confusione Aristotelem cum Democrito miscuit. Inde enim et formae, quibus tantum tribuit, et omnes formarum actiones in materiam siue atomos desumtae sunt, nec qualitates elementares inter se diuersas alia, quam Peripatetica philosophia Magneno subministrauit. Quas si tollis, cunctae eius explicationes corruunt, si admittis, totum Democriticae physiologiae aedificium subuertitur. Teste enim LAERTIO [i], Δημόκριτος τὰς ποιότητας ἐκβαλὼν, ἵνα φησὶ νόμῳ ψυχρὸν, νόμῳ θερμὸν, αἰτίῃ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. *Democritus qualitates eiecit, dicit enim, dispositione calidum et frigidum, vere et realiter autem atomi et vacuum.* Quae verba adeo manifeste Magneni explicationem systematis physici Democriti euertunt, vt vel mediocriter attendenti pateat, parum feliciter in hac eum arena desudasse. Nam et qualitates prorsus omnes, etiam elementares negantur, et vacuum ponitur, quod sui oblitus negat Magnenus, Peripateticae physicae hac quoque in parte velificans. Adeo difficile est, veterum doctrinas perspicere, si oculus accedat alieno colore iam tinctus. Ceterum nec axiomata, quae ponit, omnia principiorum naturam habent, et talia supponuntur, quae non nisi Peripateticus sine contradictione admiserit: propositionum autem demonstratio hiulca haud raro est et ἀνακόλουθος. Tacemus obscuritatem ex nimiae subtilitatis affectatione enatam, et notiones incertas, nihilque clari et perspicui significantes, atque praecisione mentis magis, quam rerum natura nitentes. Quae vitia auctori ex Scholasticae et Peripateticae philosophiae contaminatione haesisse videntur. Quam tantum abest, vt odio habuerit, vt scribere potius cunctatus non sit [k]: „Grauissimo omnium „pene populorum consensu sanctam et inuiolabilem esse in academiis Pe„ripateticorum principis maiestatem, vt maiori diligentia illi studeat iu„uentus, quem a veteranis quibusque vident scrupulosissime coli“. Vnde promittit, haec priuata tantum fore placita, neque alium secum e philosophis cathedram ascensurum regiam praeterquam Aristotelem. Quae condonari forte possunt, in ea regione philosophanti, vbi sacrosancta tum erat Aristotelis philosophia, at abiici tamen et seponi debebant

Indicium de Magneni philos. Democritica.

h) Vid. MENAG. ad LAERT. L. IX. s. 37. i) L. IX. s. 72. k) p. 84.

in explicatione syſtematis Democritei, quod ab Ariſtotelico eſt diuerſiſſimum.

Petrus Gaſſendus.

§. IV. Meliori ſucceſſu et feliciori ſidere, Democritico Epicuream philoſophiam reſuſcitauit, et propitio genio comtiorem atque commendatiorem exhibuit, magnum ſuperioris ſeculi in republica philoſophica et literaria lumen PETRVS GASSENDVS. Cuius tanta ſunt cum de literis in genere, tum de philoſophia, praeſertim naturali merita, ea autem eruditionis elegantia, et melioris philoſophiae ſenſus, vt inter praecipua recentiſſimae aetatis ornamenta, quae philoſophando nominis immortalitatem conſecuta ſunt, ſuo iure mereatur referri. Cuius vitae hiſtoriam, eo, quo tantum decet virum, cui tot nominibus respublica literata honorem debet, ornatu et accuratione, qua ipſe Peireſcii, Ioannis Regiomontani, Tychonis Brahei aliorumque vitas delineauit, conſcriptam nondum eſſe, merito dolemus. Et multa quidem, quae ad celeberrimi philoſophi hiſtoriam pertinent, in eius epiſtolis occurrunt, quae *Tomum ſextum operum* eius complent: dedit nonnulla, NICOLAVS TAXIL in *Oratione parentali* in anteceſſorem hunc ſuum in praepoſitura habita: potiora autem tetigit, qui intimo amicitiae nexu cum Gaſſendo vixit SAMVEL SORBIERIVS [l], cuius diſſertatio *de vita et moribus Petri Gaſſendi, ad virum illuſtrem Henricum Ludouicum Habertum Monmorium, libellorum ſupplicum magiſtrum*, quae et *Operibus* philoſophi, et *Syntagmati de philoſophia Epicuri* praefixa eſt, et a WITTENIO * repetita vice edita, velut certiſſimus fons hiſtoriae Gaſſendianae conſuli debet [m]. Tacemus alia paſſim a viris doctis de Gaſſendo data, qualia ſunt, quae de eo ſcripſit vitae Carteſii architectus HADRIANVS BAILLETVS [n], quaeque in *Praefatione Compendii philoſophiae Gaſſendianae* attulit FRANC. BERNIERIVS. Et nuper quidem, qui celebriorum, qui in Prouincia Galliae nati ſunt, virorum hiſtoriam meditatus eſt BVGERELVS Oratorii presbyter *Vitam Petri Gaſſendi* noua enarratione deſcripſit [o], et quae paſſim diſperſa iacebant, collegit, characterem animi expreſſit, ſcriptorum catalogum et phyſicae Gaſſendianae Analyſin breuem ſubiecit. Qui licet non ſine ingenii amoenitate in hoc argumento fuerit verſatus, multa tamen perperam attulit, in haud paucis verum non vidit,

l) SAMVEL SORBIERIVS dignus Gaſſendo diſcipulus de philoſophia literisque praecipue collectione operum Gaſſendi meruit. Vitam eius deſcripſit GRAVEROLVS, quae praemittitur Sorberianis. Natus eſt in dioeceſi Vticenſi XIII. Cal. Martii anno 1615. educatus a Samuele Petito, cuius ductu in coetu Proteſtantium vixit. Artis ſalutaris praeceptis apud Pariſienſes hauſtis, Londinum abiit, ibique artem medicam exercuit, in Galliam autem redux apud Arauſianenſes collegio medico praefectus eſt. Tum tranſitu ad Romanae eccleſiae caſtra facto a clero Gallicano ſtipendium meruit. Nannetum autem in exilium miſſus, quod aulam Danicam in itinerario a ſe edito laeſiſſet, Romam poſtea abiit, cumque nec in vrbe fauſtum illi ſidus illuxiſſet, Lutetiam reuerſus ex hydrope anno 1670. obiit. Vir eruditus et tum rerum medicarum tum phyſicarum haud imperitus, teſtibus ſcriptis, quae edidit, quorum nonnulla ſunt pſeudonyma. De Sorberianis autem vid. WOLFIVS ad Caſauboniana, praef. §. 15. p. 22.

*) Mem. philoſ. T. II. Dec. 4. p. 201.

m) Ipſe ſe teſtem vocat „oculatum, amicum, „fidum, diſcipulum veterem". l. c.

n) Tangemus infra illa, quae de Gaſſendo habet BAILLETVS in Vita Carteſii L. VI. c. 5.

o) Paris 1737. 12. vid. Iourn. des Savans, 1737. Iuil. art. 3.

vidit, non praeter rem ideo ab ANONYMO in peculiari *Epistola critica et historica* [p] reprehensus. Alios, qui acta literaria aeui recentioris exposuerunt, et Gassendi res tetigerunt omittimus, satis enim noti sunt, et in omnium manibus, facileque consuli possunt [q]. Nobis Sorberii fides reliquis potior est, qui cum Gassendo familiariter vixit, et res eius nosse potuit: quem ita sequemur, vt cum eius narratione, reliqua, quae nobis apud alios occurrebant memoratu digna, comparemus, et ea asseramus, quae instituti nostri ratio postulat.

§. V. Patriam habuit PETRVS GASSENDVS Campotercerium agri Dinienſis oppidulum, vbi parente Antonio satus, in lucem editus est anno MDXCII, IX Cal. Ianuarii. Parentibus, pietate et morum suauitate commendatis cum gauderet, puer adhuc ad similes mores formatus est. Laudandumque in eo, quod a teneris vnguiculis, cum vix voces edere posset, sublatis in coelum oculis iunctisque manibus in precibus fundendis diligens, pietatem probauerit, eumque morem ita seruauerit, vt diuino cultui supra modum deditus, firmato vix gressu in publicum prodiens inter coaetaneos concionatorem imitaretur, vel solus in multam noctem sereno coelo sideribus contemplandis immoraretur, non sine metu parentum puerum astrologum in tenebris interdum anxie quaerentium. Paulo adultior autem cum corporis et ingenii vires incrementa coepissent, a parentibus Diniam missus est, traditusque disciplinae Godefridi Wendelini, qui, teste VALERIO ANDREA DISSELIO [r], cum Romam adiisset, peragrataque Italiae parte per Massilienſem Galliae prouinciam iter domum versus instituisset. Diniae aliquantisper substiterat, et iuuentutem formando tempus terebat. Qui cum praeter linguas eruditas in eloquentiae studio et arte mathematica valeret, Gassendum, qui ingenium elegantissimum attulerat, et praematuram spem foecundissimae messis in literarum studio prae se ferebat, ita literis Latinis, Graecis, rhetorica item instituit, vt quis esset futurus rerum intelligentibus statim pateret. Id quod affinem Gassendi commouit, vt eum cum filiis suis Aquas Sextias mitteret, ad discendam philosophiam, quam ibi Fesaius Minorita magna nomi-

Vita Gassendi. a

p) Lettre critique et historique a l'auteur de la vie de P. Gassendi. Paris 1737. 12.

q) Enumerant eos Io. FABRIC. Hist. Bibl. suae T. V. p. 264. DORNIVS ad IONSIVM de S. H. P. p. 179. conf. Act. erud. 1718. p. 519.

r) In Bibl. Belg. quo cum conferendus MIRAEVS de Script. seculi XVI. c. 237. Bibl. Eccl. Fabr. p. 325. Natus est in dioecesi Leodiensi anno 1580. pr. non. Iun. praeceptorem nactus Henricum Alenium, magna praecocis ingenii prodidit specimina, tredecim enim annorum iuuenis carminis Latini facilitate et elegantia et linguarum Hebraicae, Graecae et Latinae peritia alios vincebat. Tum Pragam aditurus Norimbergae a dysenteria correptus substitit, patriamque restituta sanitate repetens in Louaniensi schola literis humanioribus et philosophiae operam dedit. Dein Lugduni aliquantisper corrigendis typographorum libris inuigilauit. Ineunte seculo XVII Romam ad celebritates seculares accurrit, indeque per Galliam itinere facto apud Massilienses et Dinienses iuuentutem literas docuit, et hoc loco Gassendum discipulum habuit. Patriam deinde reuisens cum nouum iter meditaretur, Lutetiam abiit, et in domo Andreae Arnaldi octennium haesit. Anno 1612. ad Belgas reuersus, ecclesiae ministerio se addixit, et nonnulla munera ecclesiastica nactus est. Adeo vero in scientiis mathematicis excelluit, vt summis laudibus eueheretur, inter quas minima haud est, quod sui aeui Ptolemaeus dici meruerit. vid. Voss. de Scient. math. c. 66. §. 18. p. 392. Notandus nobis quoque ob diss. de Tetracty Pythagorica.

nominis celebritate docebat. Quod licet pater aegre ferret, qui agro magis quam ingenio colendo, filium destinauerat, consensit tamen ea conditione, vt patriae filius post biennium redderetur, scilicet, vt de futurae vitae conditione illi prospicere posset, ratus, praestare inter Cereris operas satiari, quam in Musarum choris esurire. Exacto itaque biennio cum egregie in philosophiae studio profeciisset, ad patrem rediit, ast a vili opera abhorrens, cum animum quam terram colere mallet, ducente diuina prouidentia Diniam sedecim annorum adolescens vocatus est, vt rhetoricam doceret. Cumque triennio post ad plures abiisset Fesaius, imberbis iuuenis celebri viro in philosophia docenda successor datus est. Quam spartam ita ornauit, vt iudicii acumine et ingenii elegantia praeceptoris lumina obfuscaret isque videretur, qui in senatu philosophico, etiam iuuenis locum tueri posset. Quamuis autem tum temporis vnus in Gallicanis scholis Aristoteles regnaret, vt supra iam probatum, impossibile tamen fuit, iudicii acrimoniam, qua pollebat Gassendus a spinis scholae suffocari, et incerta vagaque Stagiritae philosophia satiari eius animum. Id quod illum excitauit, vt et alteram partem audiendam esse statueret, et quid contra Aristotelem monerent viri docti, quibusque rationibus Lycei philosophiam reprehendissent, accurato examine excuteret. Oppugnauerant autem Peripateticam disciplinam ante Gassendi tempora Ludouicus Viues, et Petrus Ramus, secessum quoque fecerant Picus Mirandulanus et Petrus Charondas [s], cuius celeberrima tunc fama inter eruditos percrebuerat, ob librum *de Sapientia*. Hos dum legit, dumque argumentorum

s) Monet nos celeberrimi viri nomen, vt indictum eum in historia recentioris philosophiae non patiamur, in qua non ignobilem famam meruit. Vitam eius libro de Sapientia praefixit editor Parisiensis editionis 1607. prolixe quoque enarrauit et obseruationibus more suo illustrauit P. Bayle, Dict. T. II. art. Charron p. 142. Natus est Petrus Charondas, (Charron) Lutetiae anno 1541. animumque literarum studiis adiiciens, humanitatis scientias, philosophiam et iurisprudentiam in schola Aurelianensi didicit. Summos autem iuris honores nactus in curia Parisiensi caussas publice egit. Perraesus tamen caussidicorum technas, ad theologiae studium conuersus est, tanto successu, vt inter oratores sacros omnium maxime eniteret. Id quod commouit episcopos multos, vt oblatis muneribus ecclesiasticis satis pinguibus eum sibi vindicare cuperent, vnde passim ecclesiastae munus obiit. Anno 1588. Lutetiam Parisiorum reuersus Carthusianorum Sodalitio, et his recusantibus Coelestinorum familiae nomen dare constituit, sed ob annorum numerum, quo disciplinae rigidiori sustinendae impar credebatur, admissus haud est. Ergo inter clericos seculares subsistens, ad oppugnandam scriptis infidelium et haereticorum aciem se conuertit, quo studio meruit a Cadurcorum episcopo generalis vicarius, quem vocant, constitui, promotus postea in ecclesia cathedrali Cadomensi ad cantoris munus. Parisienses anno 1601. adiit, vt iteratam editionem libri de Sapientia curaret, vix autem initio editionis facto, in publica via XVII Cal. Dec. 1603 exanimis corruit. Famam autem, licet satis ambiguam et difficilem sibi comparauit, editis libris duobus, quorum vnus hoc gaudet titulo: Trois veritez contre tous athées idololatres, Iuifs, Mahometans, heretiques et schismatiques, Paris 1595. 1611. 4. 1625. 8. In quo haec tria sibi demonstranda sumsit: esse Deum, esse vnam modo veram religionem, et hanc vnam esse illam, quam profitetur Romana ecclesia. Quem librum recudi fecit, et examini subiecit Franc. Ivnivs Lugd. Bat. 1599. 4. conf. Io. Alb. Fabricivs in Syllabo Script. de V. R. C. c. 21. p. 470. Bibl. Graec. Vol. VI. p. 116. Bayle Dict. l. c. not. C. Alter famosum illud de Sapientia scriptum est, quod Gallica lingua prima vice Paris 1601. prodiit saepe postea recusum, ast in nonnullis editionibus mutilatum, vid. Cat. Bibl. Reimmann. p. 1119. 1120 Stollivs Hist. liter. P. III. c. 1. §. 55. p. 619. In ea tractatione nonnunquam Charondam amici sui, Michaëlis Montani vitulo arauisse, obseruatum Sorelio Bibl. Franc. c. 5. p. 52. et P. Bayle l. c. not. O. In ea atheis et Latitudinariis aliisque impietatis patronis

torum pondera excutit, adeo capitur taedio philosophiae Peripateticae, vt totus arderet desiderio, eius nuditatis detegendae *f*. Quod cum eodem fere tempore praeeunte Sebastiano Bassono *ff* simili modo tentassent Antonius Villonius, Io. Bitaudus et Stephanus Clauius, vt supra in vita Claudii Berigardi dictum, mirum non est Gassendum, in hoc consilio vehementer fuisse confirmatum. Lectis eum quoque FRANCISCI PATRICII *Discussionibus Peripateticis*, ex huius pharetra tela aduersus Peripateticos depromsisse auctor est RICHARDVS SIMONIVS *t*, sed exigua verisimilitudine, cum Gassendus, licet iam in arenam contra Aristotelem descendisset, totam tamen pugnam deseruerit, quod eo labore satis esse defunctum Patricium comperisset. Quoscunque autem vel auctores vel exempla in ea re Gassendus secutus fuerit, illud certum plus vidisse vnum iuuenem, viginti quatuor annorum, quam multa secula, pleraque, quae alii sparsim monuerant, collegisse, et inuictam Peripateticis paralogismis argumentorum aciem opposuisse. Quod tamen vt caute faceret, professionis, quam tuebatur, publicae ratio monebat, qua iniunctum illi erat, vt philosophiam doceret Aristotelicam. Vt itaque inuidiam declinaret, ita per sexennium, quo philosophiam Aquis Sextiis docuit, lectionum suarum cursum distribuit, vt in duas eas partes diuideret, vnaque Scholasticorum Aristotelem sequentium opiniones et placita explicaret, et quibus modis illa possent defendi exponeret: altera autem illud obiectionum agmen illis opponeret, quo non posset non tota Scholasticae et Peripateticae philosophiae acies euerti. Quod licet molestum esse Aristotelis adoratoribus probe videret, odium tamen ita euitare satagit, vt haec paradoxa se non pro veritatibus certissimis, sed pro problematibus habere affirma-

nis aliis dum rimam obstruere satagit, ipse inter atheismi fautores haud leui suspicione numeratur, eo quod nefandi hominum generis obiectiones, qua, posset, vi et robore instructas enarrauerit. Cuius accusationis primarius auctor fuit, ex Soc. Iesu theologus Garassius, quem alii secuti sunt multi. Displicuit tamen temeraria accusatio viris aliis cordatis indigne ferentibus, alienam Charondae mentem saepe affingi. Vnde qui GARASSII Doctrinam curiosam adhibita Censura examinauit OGIERIVS vindicias in eo iudicio pro Charonda scripsit, quod et ipsum eius biographus, et post eum P. BAYLE l. c. et Ven. REIMMANNVS Hist. atheismi S. III. c. 5. § 16. p. 405 seq. et Cat. crit. l. c. fecerunt. Sunt tamen nonnulla in eo libro, magno cetera acumine et humanae mentis notitia, referta, quae viris doctis non immerito displicuerunt. Inter quos multa contra eum monuit PETR. MOLINAEVS in libro de Pace animae. Conf. CLER. Bibl. anc. et mod. T. XVII. p. 301. 322. Iournal des Savans 1704. p. 303. alii.

f) Haec ipse narrat in praef. Exerc. paradoxi c. adu. Aristoteles.

ff) De Bassono supra, quantum satis dictum. Hoc loco iis adiicimus, referre THOM. CAMPANELLAM de Libris propriis c. 2. art. 5. p. m. 392. Bassonem inter eos, qui nuperrime philosophiam Epicuri explicare, aut potius instaurare conati sunt. Id quod falsum esse, ipsa libri Bassoni lectio demonstrat, et admissa ab eo principia euincunt. Basso enim minima naturalia siue atomos pro materia quidem rerum naturalium habuit, ideoque veteres hoc nomine laudauit, vid. Phil. nat. L. I. art. 3. p. m. 8 seqq. ast ita, vt ex Anaxagorae, Democriti, Platonis aliorumque hypothesibus propriam fingeret, et istos inter se conciliatos ad certas atomorum elementarium classes reuocaret: Democritum tamen se sequi professus. Loco vacui autem dum spiritum aliquem mundi creatum ponit p. 333. manifeste totum systema Democriteum euertit. Non tamen omni verisimilitudine caret, Bassonis librum Gassendo cogitandi de Epicuro occasionem subministrasse.

t) Biblioth. crit. P. IV. p. 100. conf. Cl. STOLLIVS Hist. lit. P. II. c. 2. § 48. p. 462.

firmaret, et sese totum ecclesiae censurae atque iudicio submitteret. Ita et philosophiae et iuuentuti et famae suae atque tranquillitati consultum fore credebat. Vt vero non soli iuuentuti literis vacanti operam commodaret suam, sed orbi quoque erudito studium probaret suum, animaduersiones in philosophiam Peripatetico-Scholasticam *Gratianopoli* typis vulgauit, hoc titulo praefixo: *Exercitationum paradoxicarum aduersus Aristoteleos libri septem, in quibus praecipua totius Peripateticae doctrinae fundamenta excutiuntur, opiniones vero aut nouae aut ex vetustioribus obsoletae stabiliuntur.* Antequam autem infidum vulgi pelagus ista editione tentaret, virorum summorum quorum iudicio et eruditioni plurimum tribuebat, sententiam explorandam sibi esse statuit. Ostendit itaque librum, curiae, quae Aquis Sextiis est, praesidi et magno literarum literatorumque Mecoenati Nicolao Fabricio Peirescio, itemque Iosepho Gatterio priori Valettae. Qui cum animum Gassendi excelsum, iudicium acre et limatum, et eruditionem profundam essent mirati, extrahendum eum scholae altercationibus statuerunt, et vitae ecclesiasticae tradendum, vt et otio frueretur securiori, et tranquillitate ad philosophandum vberiori, et auctoritate aduersus eos, quos mordebant eius exercitationes, ampliore. Sacris itaque ordinibus admotus, et canonicatu Dinienſi donatus est, postquam doctoris insignia accepisset: et secuta quoque est praepositura eiusdem ecclesiae, de cuius tamen possessione Gassendo cum canonicis acriter postea fuit dimicandum. Huius ita axiomatis clypeo quasi tectus, librum, vti dictum, anno MDCXXIV edidit, quem Batavi sequenti tempore ob eximiam eruditionis praestantiam bis * recusum dederunt. Neque inuidia Aristotelicorum et Scholasticorum deterreri se a continuatione laboris huius passus est, sed edidit *alterum* quoque *Exercitationum paradoxicarum aduersus Aristoteleos* volumen [u], euertendae logicae Peripateticae destinatum. Et simili quoque consilio quinque partes alias meditabatur, quibus omnis Aristotelis et Scholasticorum philosophia confutaretur, eas autem aut non absoluit aut non edidit, vel quod Patricium pleraque occupasse cerneret, vel vt tela aduersariorum declinaret, graui bello in eum exsurgentium. Praeuidit enim ipse Gassendus et praedixit [v] crabrones se irritaturum, et haud leuem conciliaturum sibi esse horum hominum inimicitiam. Qui cum eo adhuc tempore in aula et curia Parisiensi satis auctoritatis haberent, vt Aristotelomastigas vi repellere et coërcere possent, vt ex iis clarum est, quae de machinationibus Peripateticorum contra Villonium, Bitaudum et Clauium narrat Io. LAVNOIVS [w], dubium non est, quin Gassendum metus quidam et pro-

*) Amstelod. 1649. 8. Hag. Comit. 1656. 8. Recensionem primae editionis exhibet HEVMANN. Act. phil. l. c. secundam auctores Memoriarum de bibliotheca Thomasiana, tertiam STOLLIVS l. c. p. 461.

u) Dubitat, vtrum editum sit ELSWICHIVS ad LAVNOIVM de Fort. Arist. p. 325. sed prodiisse testes sunt STOLL. l. c. MORH. l. c. HEVMANN. l. c. rarius autem occurrit.

v) Exercit. V. §. 12.

w) De Fort. Arist. c. 17. p. 310 seqq.

et prouidentia, consilia quoque amicorum *) impulerint, vt argumentum inuidia plenum desereret, quaeque dicenda restabant, alio loco, tempore, habitu produceret: id quod ab eo in aliis eius tractationibus factum esse, recte Cel. HEVMANNO y) obseruatum est. Certe maiori se hoc commendat veri specie, quam quod Honoratus Fabri coniicit, et calculo suo probat MORHOFIVS z), Gassendum iuuenili inductum audacia et caussa quoque quadam priuata permotum, istam viam instituisse, qua ad famam perueniret, at senem poenitentia eius rei ductum fuisse. Quamuis enim annis grauior placatiorem vultum in scriptionibus suis Gassendus exprimeret, semper tamen ab Aristotelica philosophia abhorruit, et Epicurum Stagiritae praetulit, id non facturus, si belli contra Lyceum susceptι eum poenituisset. Illud autem verum, vix intolerabilius Peripateticis vulnus visum esse illo, quod tela Gassendiana inflixerunt: vnde varii contra eum sublati clamores, et retundi tentata arma, quibus tam fortiter ἀκρόπολιν Peripateticam oppugnauit. Id quod ex vno Io. IONSII * viri doctissimi exemplo disci potest, qui cum aeque ferret, Epicurum a Gassendo laudari, eiusque philosophiam illustrari, concoquere non potuit, quod in istis exercitationibus Aristotelem aggressus sit, iudicauitque exigua verisimilitudine, „Gassendum in illis Ramistam a) agere, et acerrimum se Aristotelis „calumniatorem prodere, quanquam nihil minus se facturum in praefatione polliceatur. Sed puduisse eum coepti insolentis, vt libros reliquos „tenebris aeternis damnauerit, et cum Aristotelem vituperare sine decore non posset, ad alterum extremum delaberetur, Epicurum laudaturus meliori iure et successu". Tacemus alios Aristotelicorum conatus, quibus respondere Gassendo et calumniam depellere ab Aristotele conniti sunt. Qua ratione de Stagirita bene mereri studuerunt MICHAEL WATSONIVS b), Kilonienses, HENRICVS VFFELMANNVS c), Helmstadienses, HENRICVS ASCANIVS ENGELKE d), Rostochienses professor. Nos non diffitemur quidem, iuuenilem ardorem et quandam ferociam in his exercitationibus se prodere, et potuisse Gassendum nonnulla parcius et modestius obiicere: quam in viro maximi ingenii virtutem merito miramur, vbi iuuenilis ille impetus deferbuit: absque partis autem studio pronuntiandum quoque esse existimamus, plurima acute docteque monuisse Gassendum, et vlcera Peripatetica fortissime tetigisse, hacque ratione de philosophia praeclare meruisse: sane, hodegi instar esse posse in lectione Aristotelis, vt discatur, quid examinandum sit. Probamusque iudicium Io. HENR. BOECLERI, monentis e), „Gassendi paradoxi-

x) Idem obseruatum HONOR. FABRI Epist. L. II. p. 74. et ELSWICHIO l. c. p. 325.

y) loc. cit.

z) loc. cit. p. 67.

*) De Script. hist. phil. L. V. c. 2. p. 313. edit. vet. p. 177. ed. Dorn.

a) Quamuis Rami exemplo se excitatum esse ad examinandam Peripateticam philosophiam Gassendus in Praefatione fateatur, non tamen ideo Ramista est, quia Rami dialecticam nunquam probauit.

b) In Apolog. pro Aristotele, teste MORH. l. c. ἀνεκδότῳ.

c) In Oratione aduersus Gassendum.

d) Aliquot dissertt. Rostochii 1698. editis.

e) Bibliograph. crit. p. 591.

„xicas exercitationes aduerſus Ariſtoteleos licet non per omnia ſerio „agant, legi tamen ad iudicium informandum, ne plus vltra aut citra „eatur, mereri.

Labores philoſophici Gaſſendi reliqui.

§. VI. Strata hunc in modum via, remotisque, quae in philoſophiae ſtudio obſtabant dumetis Peripatetico-Scholaſticis alacriori pede ad ſapientiae magis ſobriae et prudentis adyta progredi Gaſſendus conſtituit. Quod eo promtius facere licebat, quo liberiori fruebatur otio, et Lutetiam Pariſiorum delatus, vt praepoſiturae, quam nactus erat, poſſeſſionem confirmaret, occaſionem habebat fauentiſſimam, praeter μαθήματα, quae ſupra modum diligebat, omnem philoſophiae campum perluſtrandi, et iis auxiliis vtendi, ſine quibus in hoc oceano natare poteſt nemo. Et tum ad Epicuri ſyſtema delatus eſt, de quo infra dicemus. Non vero contentus, mortuos conſuluiſſe, poſtquam veterum et recentiorum lectione ſe ita ingurgitauerat, vt vaſtiſſima inde enaſceretur omnis literaturae, maxime veteris, copia, viuos quoque in partes vocauit, cum eruditiſſimo quocunque amicitiam iniit, anno quoque huius ſeculi vigeſimo octauo cum Franciſco Tuillerio rationum apud Pariſinos magiſtro in Belgium peregrinationem ſuſcepit: in qua cum viris doctiſſimis vbique innotuiſſet, magna fuit Gaſſendi apud eos doctrinae exiſtimatio, cum et eruditione polleret, et moribus ornaretur humaniſſimis. In Italiam autem appuliſſe, et Romae cum Athanaſio Kirchero aliisque viris doctis de rebus ad philoſophiam ſpectantibus contuliſſe, quod nonnulli perhibent, negat Sorbierius. In eo itinere otioſus non fuit Gaſſendus, ſed ad euertenda Roberti Fluddi ſomnia, quibus theoſophicam quandam philoſophicam comminiſcendo magnos fumos vendidit, vt in ſequentibus docebimus, operam ſuam conuertit. Cuius illi occaſionem ſubminiſtrauit Marinus Merſennus, vir doctiſſimus, et Gaſſendo amiciſſimus, qui, cum in *Quaeſtionibus in Geneſin* Fluddi παρερμηνείας in *philoſophia Moſaica* admiſſas, detexiſſet, ad reſponſiones Fluddi plura excipere, et contentionis ferram, a qua abhorrebat, reciprocare noluit, ſed amico ſuo, vt id laboris ſuſciperet, perſuaſit. Et fatendum omnino eſt, meliori ſucceſſu Gaſſendum, quam Merſennum, cum Fluddo diſputauiſſe. Diffuſa enim lectionis et ſcriptionis copia [f] ſe ipſo interdum Merſennus eſt inferior, id quod candide fatebuntur, qui *Q. q. in Geneſin* longe rariſſimas paucisque viſas, cum cura euoluendi examinandique occaſionem habuerunt, nosque multoties in viro cetera eruditiſſimo experti ſumus. Aſt Gaſſendus vt aſſuetus erat notionibus claris, diſtinctis, perſpicuis, et argumentum, quod tractabat, omne animo accurate et ordine erat complexus, ita magno lumine diſputationes ſuas replebat, κυρίας δόξας mira ἀγχοινία detegebat, erroresque ſuis haud raro telis confodiebat. Cuius ſpecimen in *Examine philoſophiae Fluddanae* dedit prorſus egregium, in quo Fluddi ſyſtema ex propriis prin-

f) Recte id in Merſenno reprehendit SORBIERIVS l. c.

principiis euertit, et methodo vsus Socratica, quam feliciter adhibere nouerat, omnem Fluddanae ratiocinationis neruum succidit. Narratque Sorbierius, in ea arte prorsus mirum fuisse Gassendum, „seque, ait, saepius audiuisse, lacessitum a sophistis nullam aliam responsionem adhibere, „praeter eam, quam ipsi sibi aduersarii fecissent: quippe nudare solitum „fuisse perplexa et inuoluta verborum cortice sophismata, probaturum, „an auctorum mentem assequeretur. Quod vbi concessissent, rogasse, „vt iam efferrent ratiocinia sua verbis istis eius captui magis accomodatis: „et sic iucundum fuisse videre bonos istos viros, quos ratiocinii sui supp„puderet, eo quod durum esset reliqua retexere, quae tunc apparerent „ineptissima". Quae luculento testimonio sunt, Gassendum in arte ratiocinandi admodum valuisse, et perspicuitatis beneficio ratiocinationum vim omnem accurate perspexisse. Quibus accedebat, quod, teste iterum Sorbierio, ad ironiam esset natura sua propensior, sine qua friget methodus Socratica. In hoc autem, de quo diximus itinere Batauico supra modum viris eruditissimis placuit ingenii Gassendiani elegantia, et iudicii acumen, quo factum, vt magnos in republica literaria heroës, et quoscunque viros conuenerat eruditione illustres, sibi amicos et doctrinae suae admiratores conciliaret, adeo, vt non deessent, qui Gassendianam philosophiam Cartesianae, valde tunc inter Batauos caput efferrenti, praeferrent, et imprimis in disceptatione illa, quam cum Cartesio Gassendus iniit, quamque infra tangemus, eius partibus velut melioribus et fortioribus accederent [g]. Talis cum esset Gassendus, non potuit non eruditio tanti viri atque virtus summis quoque viris esse commendatissima. Vnde factum, vt, licet lucri et honorum minime esset appetens, et ob eam caussam omnem munerum dignitatem et emolumenta refugeret, attamen archiepiscopi Lugdunensis, cardinalis Alphonsi Plessei, Armandi Richelii fratris consilio immo iussu inuitus cogeretur regiam apud Parisienses matheseos professionem anno MDCXLV suscipere: quamuis, quod mirandum, ipsi Richelio cardinali nulla Gassendi cura fuisset [h]. In vrbe autem cum iam ante istud munus collatum magna esset de Gassendo opinio, dici non potest, quanta expectatione ad eius lectiones accurrerint iuuenes, matheseos mysteria discere cupientes, quam egregie illi non responderit tantum doctrina et diligentia Gassendiana, sed eam quoque multis modis superauerit, et quam frequens fuerit ob istam caussam eius auditorium, quod non studiosa modo iuuentus tyronesque replebant, sed et viri ornabant grandaeui et rude donati, ab hoc Varrone, quo nomine recte eum cohonestat Sorbierius, ea audituri percepturique, quae sine eo ignorauissent. Quanquam autem magna ex hoc labore Gassendi emolumenta in literas redundabant, summa tamen, qua ad explendas muneris partes vtebatur contentio valde damnosa Gassendo extitit. Cum enim

g) Inter eos Adrianum Heerebordum et Henricum Bornium nominat Sorbierius.

h) Frigide id, nisi fallimur, excusat Sorbierius.

pulmo debilis vim iſtam vocis ſatis ferre non poſſet, tuſſis inde et pulmonis ſecuta eſt inflammatio. Vt itaque natalis aëris ſpiritu reficeretur patriam repetiit, et in Prouinciam abiit, Diniae aliquantiſper commoratus. Ibi Valeſio proregi cariſſimus ſemper adeſſe, et tum morum iucunditate eum paſcere, tum conſiliis iuuare ſuis iuſſus eſt. Diniae commoratus vsque ad annum MDCLIII, Lutetiam repetiit, cum Franciſco Bernierio Andegauenſi medico, quem ex lectiſſimis Gaſſendi diſcipulis fuiſſe infra dicemus. In hac vrbis regiae frequentia nec amicis Gaſſendus defuit, nec philoſophiae et literis. Publicata enim vitae ſummorum aſtronomorum Tychonis Brahei et Copernici hiſtoria, in adornando philoſophiae ſuae ſyſtemate totus fuit. Quod qui cum attentione expendunt, fatebuntur, virile iudicii robur, et quandam maturitatem cum ingenii late ſe in eo explicantis ſobrietate eo tempore in Gaſſendo quam maxime floruiſſe. Verum nimia laborum aſſiduitate exhauſtum corpuſculum par amplius tantae animi contentioni eſſe non potuit, et in morbum ſatis iam grauem anno MDCLIV incidit. Quo leuatus quidem ſtudiorum intermiſſione facta et educta ex ſenili corpore ſat magna ſanguinis copia, vires tamen recuperare non potuit, adeo vt nec ambulationes in horto, quibus delectabatur, nec amicorum confabulationes, quibus mire recreabatur, diu ſuſtinere poſſet. Id quod praeter pectoris debilitatem, nimiae ſanguinis miſſioni adſcribendum eſſe videtur, quam ideo recte improbat PETRVS BORELLVS [i]. Certe ab eo tempore miſerabilem vitae conditionem fuiſſe expertum, et ſubinde febriculis et ventris profluuio, pulmonis labi valde inimico fatigatum et exhauſtum fuiſſe, teſtis eſt GVIDO PATINVS [k]. Confluebat tamen ad tantae celebritatis virum, quicquid literis pretium ſtatuere nouerat, nec medicorum frequentia deerat, quae tamen optimum virum perdidit. Anni enim ſequentis auctumno in morbum lethalem incidit, quem cum nouem ſanguinis miſſionibus leuare conarentur medici, vidit ipſe Gaſſendus, immoderatae phlebotomiae tolerandae ſe imparem futurum eſſe. Noluit tamen medicis in eius perniciem diſſentientibus deeſſe, forte quod ſpem nullam ſupereſſe videret recuperandae valetudinis firmae, pellendique morbi ipſa morte grauioris, et quo ſpiritum vix trahere licebat. Exhauſtis itaque viribus omnibus, cum extremam imminere horam ſentiret, animo magno vereque philoſophico ad ſubeunda vltima fata ſe praeparauit: ſacrisque animae remediis adhibitis, menteque ad vnum Deum conuerſa, ſacris tantum meditationibus imperatoris vocem ſtatione decedere iubentem expectauit, tanta animi praeſentia, vt manum ſubinde pectori admoueret, ad notandum titubantem greſſum et deficientem vigorem vitalis laticis. Tandem omnem philoſophiam ſuam digna tanto philoſopho, voce, quae vltima fuit, ad Poterium ſuum emiſſa: *Vides, quid ſit hominis vita?* abſoluendo IX Cal. Nou. anni MDCLV placide obdormiuit, anno aetatis ἀνδροκλασῃ, nempe LXIII, quem a nouem

i) Obſeruat. medico-phyſic. Cent. III. obſ. 11. k) Epiſt. ſelect. L. p. m. 167.

uem iam menſibus exegerat. Quantum autem virum amiſerit ciuitas literaria vniuerſalis luctus, quo eum amiſſum totus fere doctus orbis deplorabat, ſatis comprobauit. Maxime Ludouicus Habertus Mommorius, libellum ſupplicum magiſter, qui vt omnes viros doctos fouebat, ita Gaſſendum in aedibus ſuis nutriebat, eiusque ſermonibus animum philoſophiae vehementer addictum [l] nutriebat, funus ipſe duxit, cadauer ſplendide extulit, et ſepulchro maiorum ſuorum iuxta Guilelmum Budaeum depoſuit, vt qui viuus eruditorum ſocietatem ornauerat, in morte quoque celeberrimo viro cuidam iungeretur. Ornatus quoque in Mommorianorum ſacello ſtatua marmorea, et epitaphio magnifico [m]. Demortuum laudauit, vt ſupra dictum Nicolaus Taxilius [n] in praepoſitura ſucceſſor, quae eius laudatio non ſine amaris largisque ciuium fletibus et maximo omnis aetatis hominum concurſu audita eſt.

Character animi et eruditionis Gaſſendi.

§. VII. Meruiſſe honores hos omnes Gaſſendum, vniuerſae reipublicae literariae conſenſus probat et iudicium, quo inter maximos ſuae aetatis viros refertur. Inerat enim illi iudicandi vis ſumma et acerrima, qua errores eorumque fontes accurate perſpiciebat, et qua ratione ex principiis primis et ſimpliciſſimis veritas omnis eſſet deducenda, pulchre videbat. Ingenii autem elegantiam et perſpicuitatem poſſidebat prorſus mirabilem, qua et apte atque ordinate cuncta nectebat, et miro artificio ita delineabat, vt inuitum quaſi lectorem in partes raperet, totumque ſui admiratione occuparet. Quantae autem memoriae vires fuerint, vaſta illa lectionis copia, qua omnem veterem literaturam animo comprehendit, ſatis comprobat. Et ſacras quidem diſciplinas exacte tenebat, in philoſophia autem principatum ſuo tempore fere obtinebat, certe non erat, qui eum perſpicacia et meditationis ſoliditate vinceret. Ita vero in errorum fontes, nexus, et praeiudicia penetrabat, vt quid reponi poſſet, vix inueniretur. Cum autem nouum ſyſtema condidiſſet, illud ita ornauit, et veriſimilitudine tanta atque elegantia commendauit, vt etiam aduerſariorum admirationem mereretur. Incomparabilis etiam in arte mathematica, et quam ſingulari ſtudio excoluerat, in aſtronomia extitit. Quamuis enim, fatente Sorbierio, deſiderarent nonnulli in eo matheſin profundiorem, quae in geometriae et arithmeticae myſteriis ſublimioribus verſatur, in qua eo tempore excellebant Car-

l) Epitaphium Gaſſendo ſcriptum a Mommorio et aliud ab amicis erectum affert THOMAS POPE-BLOVNT Cenſ. celebr. auctor. p. 965 ſeq.

m) Dignus eſt, qui de Mommorii ſtudio in philoſophiam et philoſophos legatur locus HVETII de rebus ad eum pertinentibus L. III. p. 68. quo narrat, „apud virum hunc omnis doctrinae et ſublimioris et humanioris amantiſſimum, certo per ſingulas hebdomadas die certaque hora conueniſſe magnum doctorum hominum coetum, habitasque inter eos fuiſſe vtiles et eruditas de Rebus phyſicis diſſertationes. Huic collegio magno fuiſſe decori Petrum Gaſſendum, inter primos aetatis huius philoſophos merito ſuo reponendum. Cui quamuis eſſet cum Mommorio hoſpitium et domeſticus vſus, hic vero videretur ſectam eius perſequi et Epicuri doctrinam probare, occulte tamen fauiſſe Carteſio, cui palam aduerſaretur Gaſſendus, nec aliam ob cauſſam creditum fuiſſe conuentum hunc philoſophorum apud ſe inſtituiſſe Mommorium, quam vt eorum animos Carteſianis dogmatis aſſuefaceret, et in hanc ſectam ſenſim pertraheret".

n) Prodiit 1656. 4.

Carteſius, Roberuallius et nonnulli alii; obſeruatum tamen laudato viro „docto: „diſcere Gaſſendum ea neglexiſſe, quae nullius vſus eſſe nouerat, „impenſae vero, hoc eſt temporis in acquirendo ſat longi. Nimirum ſatis „eſſe duxit vitae humanae breuitatem aduertentem et anguſtiam mentis „noſtrae dimetientem neceſſaria tantum comparare, et ea, ſine quibus ad „philoſophiam ſe accingere non poſſet; non inuidentem aliis, qui toti geo„metriae vel algebrae incumberent, ſubtiliſſimarum inuentionum gloriam. „Prae oculis ſemper habuiſſe vltimum philoſophandi ſcopum, felicitatem, „et ex vniuerſo ſcientiarum ambitu ea tantum collegiſſe, quae praecipue „ad inſtitutum ſuum facere viderentur; haud imitatum imprudentem via„torem, qui ad loca quaeque amoena deflectit immemor patriae vel ter„mini peregrinationibus ſuis praefixi". Sed et reliqua legenda ſunt, quae pleraque ſobrie monet Sorbierius. Quantus autem in aſtronomiae ſtudio viris ſummis illa aetate viſus ſit, vnius GER. IO. VOSSII[o] teſtimonio confici poteſt, qui *ſe*, ait, *eius ſingularem et multiiugam eruditionem non potuiſſe non mirari, cum Belgicam terram luſtrans, ſe non ſemel ſalutatione et alloquio ſuauiſſimo eſſet dignatus.* Et meruit ideo Gaſſendus, vt ab ISAACO BARROVIO[p], inter ſummos aeui noſtri mathematicos, acumine ſimiles antiquis et prope pares referretur, et iungeretur Galilaeo, Gilberto, Carteſio. Maxime vero vaſtiſſimam lectionis copiam in Gaſſendo miramur, qua omnes fere antiquae doctrinae fontes exhauſit, nihil non vidit, nihil non in horrea ſua repoſuit. Quae tamen non, vt fieri plerumque ſolet, confuſum aliquod chaos, et vaſtam inconditamque aliquam molem conſtituunt, qua ſemper fere ſuffocari ſolet iudicandi vis atque acrimonia, ſed nihil congeſſit, quod non ordinate digeſſit, miroque acumine ad veros vſus adhibuit. Teſtem damus *Commentarium* eius *in Librum X.* DIOGENIS LAERTII, in quo coaceruauit mira diligentia et felicitate, quicquid apud veteres ad illuſtrandam Epicuri philoſophiam inuenire poterat. Sic vt praeter exilia quaedam, et nonnullas emendationes criticas neque Menagio neque Meibomio, viris eruditiſſimis ſpicilegium reliquerit. Superauit tamen haec omnia cogitandi ars, quae illi inerat, ſumma, qua et perſpicue et ordinate de rebus omnibus iudicabat, et ratiocinandi leges accurate obſeruabat, et errores luculenter detegebat. Quibus cum accederet vbertas ingenii affluentiſſima, qua mira elegantia et perſpicuitate, quaecunque dicere vellet, ob oculos poterat ponere, et viuis quaſi imaginibus commendare lectoribus, mirum non eſt, inter maxima ſeculi ſui ornamenta vnanimi eruditorum ſententia Gaſſendum fuiſſe numeratum. Cuius quamplurima adducere poſſemus teſtimonia, ſi id ageremus, et hanc ante nos prouinciam non ſuſcepiſſent viri nonnulli docti[q], qui laudes eius colligerunt: quibus tamen

o) De Scient. mathemat. c. 66. §. 10. p. 389.
p) In Opuſc. p. 87.
q) POPE-BLOVNT. Cenſ. cel. auct. p. 964 ſeq. MAGIRVS Eponymol. crit. p. 377. BAILLET Jugemens des ſavans T. I. p. 339. IO. FABRIC. Hiſt. Bibl. ſuae T. V. p. 264.

men multa addere in procliui esset [r]. Nos ex multis duo tantum damus, ne aduersariis quidem Gassendiani nominis contemnenda. P. Baylii [s], cui maximo elogio Gassendus audit, *philosophorum literatissimus, et literatorum maxime philosophus*, et Petri Sylvani Regii [t], ita de Gassendo scribentis: „Multa praeclara eruditissimaque opera de rebus ad „philosophiam pertinentibus composuit, in quibus admiranda perspicui„tate omnes priscorum philosophorum opiniones ab ipso vel refellendas vel „admittendas exponit, ita vt pro certo dici possit, nullum philosophum, „praeter ipsum, tam vehementer veritatis studio vnquam operam dedisse". Non ignoramus quidem, displicuisse nonnullis Gassendum, quod Epicurea nimium amauerit: inde insanum in absurdissimam totius gentilismi haeresin amorem ei exprobrat Iac. Thomasivs [u], et Herm. Conringivs, qui pleraque eius se mirifice affeciisse fatetur, obiicit [x], videri eum Epicuri potius, quam Christi sectatorem: vnde alibi [y] eum minime Christianum esse dicit, sed de grege Epicuri, eaque quae in Aristotelem scripsit, nullius visa sibi esse pretii, ait [z]. Quae excidisse quidem nollemus viris eruditissimis, sed ob Epicuri partes a Gassendo defensas contra eum odio et sinistra opinione occupatis, qui vero aliter pronuntiassent, si animo reputauissent, Gassendum illos errores, qui infensam illis merito fecerunt physiologiam Epicuream reprobauisse, adeoque nihil contra pietatem doctrinae Christianae machinatum fuisse. Verum haec ἐγκλήματα meruit Gassendus, ob proscriptum et notatum Aristotelem, cui valde fauebant Conringius et Thomasius. Quod patrocinium Epicuri ipsum quoque Samvelem Parckervm [a] permouit, vt cum eum, non eruditione, quam aut iudicio aut candore nobiliorem iudicaret, suspicaretur tamen, eum ex affectu animi Epicureae causae defensionem scripsisse, quae apertum bellum omni religioni indicat. Similes enim censurae partium studio, quo aegre toto liberantur viri docti, condonandae sunt, et haud leuis gloria Gassendi est, fateri eos vberrimam illius doctrinam et iudicium haud contemnendum. Animi autem virtutes eum aluisse optimas et ab omni impietate remotas vno ore testantur, qui candidissimae mentis virum nouerunt. Magnificis enim verbis et inuidendis elogiis extollunt non fucatam, qua aduersus Deum vsus est, pietatem, multis speciminibus demonstratam. Quae tanta fuit, vt deserere Epicurum, licet sibi deamatum, quam causae Dei deesse, et capitales Epicuri errores non refutare mallet. Temperantiae autem illud statuisse pretium amici affirmant, vt supra modum sobrietatem coleret, et anachoretae similis, abstemius sua

r) Conf. Allativs in Apibus vrban. p. 92. Io. Willisivs de Anima brut. P. I. c. 1. p. 6. Facciolat. de Enthymem. p. 17. Daniel Itin. Carteſii per mundum, p. m. 101. Mosheim. ad Cudw. p. 970. alii.
s) Dict. T. II. art. Catius p. 102. not. E.
t) Discurs. Hist. philos. p. 176.
u) De Exust. mundi Stoica p. 6.
x) Conringiana p. 49.
y) p. 60. z) p. 277.
a) De Deo disp. I. Sect. 12. p. 39.

ſua ſponte viueret, ptiſana tepida pulmoni refrigerium quaerens [b]. Nihil autem magis Gaſſendum ornaſſe cenſendum eſt, quam modeſtiam in tanto eruditionis famaeque faſtigio prorſus ſingularem. Cuius ſpecimina digna ſunt, quae apud Sorbierium legenda Lectori ſemel iterumque commendemus. Solebat enim pauca de ſe ſuisque ſtudiis differere, iactare nihil, et affectum magis amoremque eruditionis prae ſe ferre, quam doctrinae ſpeciem, humani autem animi anguſtiam limitesque in quaeſtionibus enodandis praefari, et tarditatem ingenii ſui excuſare, quae autem doctiſſime differebat, velut ſomnia quaedam contemnere, et paucis multa dicere, ita vt, vbi minimum ſibi placere videbatur, omnibus maxime placeret. Quae omnia, vt characterem veri philoſophi exprimunt, ita apud laudatum virum ipſa legenda et repetenda ſunt. Et philoſophandi quoque rationem intra modeſtiae limites coërcuit. Saepe numero enim difficultatem quaeſtionum confeſſus, nihil adinueniſſe ſe dixit, quod ſibi, nedum ſagacioribus ſatisfacere poſſet. Vnde ſaepe audiebatur conqueſtus de humanae mentis caligine, per quam non licet longum iter in inueſtiganda natura rerum inſtituere [c]. Id quod virum vere philoſophum ita ad moderandam animi ſententiam adigebat, vt nemini ſua obtruderet, et contradicentes facile ferret, et ſilentii praemium haud contemnendum reputaret. Et eandem quoque rationem, eosdem mores in controuerſiis ſcriptis agitatis tenuit, cuius exemplum luculentum eſſe poſſunt *inſtantiae aduerſus meditationes Carteſii.* Fallitur tamen P. Bayle, qui ob hanc, quam in Gaſſendo laudauimus, modeſtiam Pyrrhoniis eum accenſet, quod tota illius ſyſtematis indoles refugit, quod ſibi Gaſſendus delegit. Coronauit hunc virtutum ſingularium chorum ſtudium indefeſſum et pertinax, de ſcientiis bene merendi, et veritatis cognitionem, qua felicitas humana promoueri poteſt, omnibus viribus iuuandi. Cui cum par accederet eruditionis vis et praeſtantia, vtiliſſimus ſane reipublicae eruditae euaſit. Et debemus huic contentioni maturos Gaſſendianae doctrinae fructus *Opera* eius a Sorbierio ſex voluminibus poſt eius fata iunctim edita [d], et apud Florentinos nuper recuſa. Quae omnibus fere paginis loquuntur, quantus vir in republica literaria Gaſſendus fuerit. Nobis vero hoc loco potiſſimum memorandus eſt, ob reſuſcitatam philoſophiam Epicuream. Quod vtrum aliis ſectis pari felicitate recentiori aeuo vnquam contigerit, merito ambigimus. Iis enim praeſidiis inſtructus ad hoc opus acceſſit, et praeter veteris literaturae notitiam animum praeiudiciis liberum, iudicium acre, imaginationis vim magnam viuamque, et calamum ſcribendo exercitatiſſimum attulit, vt non potuerit non labor ſuſceptus euentum ſortiri exoptatiſſimum. Maxime vero ea mente ad hoc opus acceſſit, qua, dum carebant alii, in hoc negotio a recta via non aberrare non potuerunt. Nempe euitato peſtilenti ſyncretiſmi et ineptae conciliationis amore, ita in hoc argumento verſatus eſt, vt nec aliarum ſectarum plauſum precariis hypo-

Scripta Gaſſendi.

b) Conf. Patin. Lettr. XV. p. 51. c) Lettr. T. I. p. m. 5. d) Lugd. 1658. fol.

hypotheſibus emendicaret, nec errores reticeret, quos tolerari in Epicuro non patitur diuina veritas. Quo conſilio capto Epicuri φιλοσοφούμενα abiecta et neglecta hactenus reſtituere conſtituit, cum multo elegantius ea atque luculentius differere videret, quam Peripatetica et Stoica: ſyſtema atomiſticum autem recte explicatum ingens lumen repandere in tota philoſophia naturali crederet. Quod tamen antequam aggreſſus eſt, vindicandam eſſe Epicuri famam ab ignominia, qua tot ſeculis preſſa fuit, pulchre vidit, ſine quibus vindiciis probe intelligebat, philoſophiam Epicuri odio et inuidia deteſtabilem factam non admiſſum iri. Ea itaque, qua gaudebat, ampliſſima philoſophicae hiſtoriae cognitione et lectionis copia adiutus, cum ad illuſtrandum Diogenis Laertii *Librum decimum*, cui praecipuam de Epicuro notitiam debemus, congeſſiſſet, quicquid de Gargettio philoſopho apud veteres occurrebat, vitam Epicuri liberiori et veraciori penicillo depingendam conſtituit. Occaſionem operis edendi ipſe in *Dedicatione* ad Franciſcum Luillerium, Pariſinum, rationum magiſtrum enarrauit. Nempe cum amicitia intimiori is Gaſſendo iunctus eſſet, inque priuatis ſeceſſibus, multa de philoſophis veteribus ex Gaſſendo audiuiſſet, vidiſſet autem commentarios de Epicuro, valde iis affectus eſt, quae praeter ſuam exſpectationem de huius viri continentia diſciplinaque ediſſeruerat. Viſus enim illi erat merito non ſuo diffamatus, et delectauit eum, eximi illum poſſe ab iſtis, quibus oppreſſus eſt, calumniis, poſſeque eius non modo vitam ab omni labe repurgari, ſed philoſophiam quoque, expunctis, vt circa Ariſtoteleam, erroribus quibusdam paucis tum de natura ſolertiſſime, tum de moribus ſapientiſſime dogmata tradentem oſtendi. Inſtabat itaque vt ſaltem ea, quae ſpectant ad vitam moresque, conſcriberet, cetera enim, quae ad doctrinam placitaque attinent, longioris operae cum ſint, patientius deinceps expectatum iri. Ipſe quoque pro rara illa, quam poſſidebat, Graecae linguae cognitione et eruditione in multis locis lucem illi faciebat. Quo amico ἐργοδιώκτῃ permotus ad edendum opus ſe perſuaderi paſſus eſt. Quanquam autem non contendebat Epicurum aut nihil peccaſſe, aut vnum inueniſſe verum, conuictus tamen de veritate, demonſtrare conatus eſt, iniuria fabulam vulgi fieri, quod ſectatores aliarum partium vt olim inuidia et auctoritate ita iam deſpectu et multitudine illum obruant: cum tamen, ſi non ex ipſa fronte iudicetur, ſed monente Seneca, interius penetretur, cauſſa plenius cognita ea fuiſſe probari poſſit vitae innocentia, puritate, auſteritate, qua philoſophorum alius nemo fuerit, ea ingenii perſpicacia iudiciique maturitate, qua non facile ceteris concedat. Monet quoque, ſe eum eſſe, quem humanitatis officia delectent, cum non indigne ferre non poſſit opprimi a turba, quem virum reputet eſſe innocentem, et ſuaue ſe habere, ſi quas illi, tenues licet, ſuppetias ferat. Nam ſi perſuaſus foret, fuiſſe Epicurum luxui deditum ac ſeſe proluiſſe obſcoenis voluptatibus, tum ſane diris eum deuoturum, ac faces et ſaxa cum tota factione non poſtremum

coniecturum. In id autem se incumbere semper, ait, vt innuat, quid verisimilius ex Epicuri mente appareat; si forte vero id non ferendum vel minus probandum videatur, ipse primum exauctoraturum, et censura omnium seueriſſima nigrum quasi theta praefixurum esse. Quod ad dogmata vero religionis attinet, non it inficias, quin placita Epicuri quaedam e diametro cum illis stent, vt quae sunt praesertim circa prouidentiam animorumque immortalitatem. Sed cum ferendos et expungendos quidem errores, non vero totum reiiciendum Epicurum esse exemplo Aristotelis docuisset, promittit, quoties ad grauiora illa capita peruenerit, vel quoties quidpiam occurrerit, quod videri possit vel quam minimum fidei sacrae dissentaneum, in Epicurum neruos contendere, ac eius sententiam conuellere velle. Nam licet, confecta vitae Epicuri apologia doctrinae quoque explicationem aggressurus subinde sit, non propterea tamen se illi nomen dare, ait, neque placitorum vadem se aut sponsorem praestare. Quin etiam vt in aliis rebus rationem solam audiat, neque nisi illam admittat magis ipsum moueat Epicurus, quam quiuis alius philosophorum sic in religione se ecclesiam catholicam sequi &c. Quae, etsi longiuscula, heic enarranda fuerunt, vt Lectori pateat, iniuriam feciſſe viros doctos optimo philosopho, imputantes, aut ad ostentandum tantummodo ingenium ea scripsisse, aut Epicurum Christo praetuliſſe: id quod vtrumque falsum esse, ex dictis intelligitur, et lectio ipsa libri probat. Prodiit ille *de Vita et moribus* (de doctrina [e] enim nihil habet) *Epicuri commentarius libris VIII* constans *Lugduni*, non Batauorum [f], sed Galliae, typis admodum luculentis et forma augusta *anno MDXLVII*, recusus in Belgio MDCLVI [g], et diuersa eruditorum iudicia expertus est; quae tamen heic enarrare, cum alibi tetigerimus, non vacat. Nemo tamen fuit, etiamsi moleste illam infamis philosophi apologiam tulerit, qui non admiratus sit doctrinae vbertatem in eo argumenti ambigui tractatione diffusam. Non enarrabimus eius compendium, nec iudicium interponemus nostrum, cum, quantum satis est, in *primo Tomo* [h] iam dixerimus, quo, nisi graue est, Lectorem remittimus. Illud modo affirmamus, ita explicuisse in eo libro Gassendum Epicuri historiam, vt quid veritas possit, quid calumnia, sit apertissimum, nosque, examinatis cum cura omnibus non poenituisse, hunc nos ducem in Epicuri historia fuisse secutum [i]. Cum autem ingentem veteris literaturae farraginem ad Epicuri historiam congessisset, eam inuidere harum lautitiarum cupidis noluit, sed instigante AEGIDIO MENAGIO, cuncta in ordinem coëgit, et ad illustrandum *Librum X.* DIOGENIS LAERTII conuersus, quicquid lectio veterum scriptorum, quicquid Graecae linguae notitia, quicquid ars critica, quicquid philosophia suppeditabat, in com-

e) Ita tamen titulus libri adducitur Act. phil. Vol. II. p. 644.
f) Id quod apud STOLL. Hist. lit. P. II. c. 1. §. 47. p. 364. emendandum.
g) Hagae Comit.
h) p. 1228 seqq.
i) Conf. STRVVII Bibl. philos. c. 2. §. 7. p. 37. f. CHR. THOMASIVS Cautel. c. XIII. §. 10. Acta philos. l. c. p. 325.

commentarium contulit, et totam Epicuream historiam insigni luce collustrauit [k]. Qui quo loco haberi debeat, ex MENAGII iudicio discendum est, ita de eo differentis [l]: „Decimum hunc Laërtii librum hoc est „vitam Epicuri, mei caussa Latine vertit, et notis accuratis et commentariis luculentis illustrauit Petrus Gassendus, vir omnium sectarum, Epicureae imprimis, peritissimus. Eo breuior ero in huius libri expositione. „Quid enim de Epicuri decretis quisquam proferre possit, quod Gassendus non viderit? post quem tacere modestissimum foret, nisi quaedam in „textus Laërtiani enarratione vir mihi amicissimus non tam omisisset, „quam mihi reliquisset". Cui iudicio subscribent, quotquot artis criticae et philosophicae historiae gnari commentarios Gassendianos in vsus adhibebunt suos. Neque hoc humanitatis et diligentiae officium digno rependere proemio Menagius oblitus est. Eius enim cura satis magna pecuniae summa Gassendo soluta est [m]. Vt autem philosophica doctrina Epicuri suo quoque lumine luceret, cuncta in accuratum systema contulit, idque titulo *Syntagmatis philos. Epicuri* edidit [n]. In quo tanta perspicuitate, tanta ordinis concinnitate, tanta tractationis elegantia et dicendi copia Epicuri placita exposuit, confusa digessit, obscura illustrauit, quaeque deficiebant, eius principiis conuenienter enarrauit, vt ipsius Epicuri calculum, si videre illi licuisset, meruisset. Quem filum cum nos non sine iusta grauique caussa in delineanda philosophia Epicuri secuti fuerimus, Lectorem plura sciendi auidum ad eum locum ablegamus. Quamuis autem Gassendus atomos qualitate destitutas atque vacuum cum Epicuro pro rerum naturalium principiis admitteret, voluptatem autem stantem, siue indolentiam in morali doctrina finem sibi omnis, quae de moribus animique felicitate agit, scientiae posuisset, tantum tamen abest, vt vel sine numine mundi natales depingeret, vel ad foedae voluptatis sensum lectorem seduceret, vt potius virtutis studium illius voluptatis, animo humano natura sua desiderabilis, matrem esse luculenter ostenderet, errores physicos Epicuri vero eleganter et accurate refutaret. Ideo syntagmati laudato insertae sunt animaduersiones luculentae: I. Annon mundus hic vnicus pro vniuerso sit habendus? II. Esse Deum auctorem seu caussam productricem mundi. III. Esse rectorem seu caussam gubernatricem mundi. IV. Cuiusmodi sint, quas in Deo intelligimus, perfectiones? V. Dari inter caussas vnam omnium primam, id est Deum. VI. Esse vsum partium in animalibus intentum a caussa efficiente. VII. Regere Deum speciali cura humanum genus, VIII. quid sit, et qua necessitate materiale principium materiaue prima exigatur. IX. Quid sentiendum de diuinatione seu praesensione rerum futurarum mere fortuitarum. Non haec sterili commentatione Gassendus persequitur, sed cum rationibus fortissimis pestilentes physiologiae

k) Lugdun. 1649. fol. et Opp. T. V.
l) Comm. ad Laërt. L. X. s. 1.
m) Vid. Menagiana T. I. p. 1.
n) Hagae Com. 1659. Amstelod. 1684. 4. Londinensem 1668. 12. memorat STOLLIVS loc. cit. P. II. c. 1. §. 47. p. 364. quae cum duodecim tantum plagulis constet, non nisi epitome esse potest.

Epicureae errores profligaret, ex abundantissimae eruditionis penu et lectionis copia obseruationes attulit elegantissimas, et historiae luce cuncta perfudit. Ita vero explicato toto philosophiae Epicureae ambitu cum principia Epicurea emendata, purgata, aucta et ornata selegisset, iis fundamentis proprii systematis philosophici satis prolixi aedificium superstruxit, historiam philosophicam, in qua paucos pares habebat, in partes vocauit, et praecipue in naturali doctrina cuncta ad recentissimam philosophorum experientiam et obseruationes reuocauit, hacque ratione inter nostrae aetatis physicos magnum sibi nomen locumque haud contemnendum comparauit. Subscribimusque lubentes Io. HENRICO BOECLERO [o] incomparabile opus [p] vocanti. In eo, praecipue, quod ad physicam pertinet, a Cartesio, cuius philosophia eo tempore Parisiis, ipso Mommorio fauente et obstetricante, emergebat, multoties dissentit, vnde non ineptam operam ad intelligendam philosophiae naturalis seculi XVII historiam suscipient, qui vtramque philosophandi rationem inter se comparabunt [q]. Praeter ista non sine philosophantium commodo leguntur quoque descriptae a Gassendo *vitae Tychonis de Brahe, Nicolai Copernici, Georgii Purbachii, Ioannis Regiomontani et Nicolai Fabricii Peirescii*, quae exemplo esse possunt, qua ratione biographiae conscribendae sint, vt vsum legentibus verum praestent. Non contentus enim tantorum virorum, quibus nihil nobilius suo tempore habuit ciuitas literata et imprimis artes mathematicae sideralisque scientia, res exposuisse, ipsarum artium et scientiarum historiam in partes aduocauit, et in digressionibus iucundissimis quam plurima attulit, quae suo iure virorum doctissimorum calculum laudesque meruerunt [r]. Ceterum non in Epicureae tantum philosophiae historia magnum nomen Gassendus consecutus est, sed Cartesiana quoque historia eum sibi vindicat, cum in controuersiis, quae cum Cartesio agitatae sunt, haud postrema Gassendus pars fuerit. Rem omnem suse quidem exponit, qui enarranda Cartesii historia ingens volumen repleuit HADRIANVS BAILLETVS [s] ita, vero in eo argumento versatus est, vt nonnihil partium studio dederit, Gassendum sic describendo, vt constaret, inuidia et indignatione commotum eum aduersus Cartesium calamum arripuisse, eo quod mentionem sui nullam in scriptis suis Cartesius feciisset. Qui tamen cum humanitatem Gassendi laudat, satis prodit, extorsisse philosophum moribus longe aliis ornatum sibi inuito veritatem. Vt itaque sine praeiudicio et partis studio haec, quae inter maximi nominis philosophos intercessit controuersia intelligatur, consulenda quoque GERARDI DE VRIES *Dissertatiuncula historico-philosophica de Renati Cartesii meditationibus a Gassendo impugnatis* [t]. Ita enim audita altera parte, nisi fallimur, haud

o) Bibliograph. Crit. p. 615.
p) Opp. T. I. et II. conf. STOLLIVS l. c. c. 4. §. 38 p. 553.
q) Conf. THOMASIVS Cautel. c. 13. §. 10. p. 301.
r) Vid. BOECLER. l. c. p. 449. Io. FABR. Hist. Bibl. suae T. V. p. 263. et quos laudat, MORHOF. Polyhist. T. I. L. I. c. 19. §. 17. 18. p. 220.
s) L. V. c. 5.
t) Trai. ad Rhen. 1691. 8.

haud obscure patebit, Cartesium contradictionis a Gassendo factae impatientiorem fuisse, quam prae se ferebat. Non enarrabimus prolixe rei historiam, quam pagina nostra non capit, sed paucis rei summam comprehendemus. Vtebantur eo tempore amico communi Gassendus et Cartesius Marino Mersenno ordinis Minimorum S. Francisci de Paula presbyteri, qui et rerum mathematicarum erat peritissimus, et de philosophia sobrie iudicabat, nec recentiorum obseruationes contemnebat, modo caussam Dei et ecclesiae non perderent. Qui cum, teste Sorbierio, dum vixit Lutetiae Parisiorum tersius philosophantium commune centrum esset, et imprimis magna amicitiae familiaritate Gassendo esset coniunctissimus, meditationum philosophicarum exemplum msc. quod Mersenno Cartesius submiserat, vt virorum doctorum iudicia de iis exploraret, cum amico hoc suo communicauit, eumque, vt sententiam ferret, rogauit. Quamuis autem a dictatoria ambitione procul abesset Gassendi animus, nihil tamen vel Mersenno, vel Cartesio, quem et ipsum amicum habebat, denegandum esse ratus, ratiocinia Cartesiana examinauit, et obiectiones suas cum Mersenno communicauit. Quae quales sint omnium quidem optime ex lectione earum intelligitur, et quanta vis animi et perspicacia in Gassendo fuerit, deprehenditur, non omittendum tamen hoc loco, quod Sorbierius tradit, Thomam Hobbesium, cui cum Gassendo amicitiae quoque vinculum interceserat, *opusculum hoc tereti filo et eximia sagacitate intra paucos dies ad vmbilicum perductum, non satis mirari potuisse, et Gassendum nusquam maiorem apparere pronuntiasse, quam in retundendis laruis, tenues in auras tam facile diffugientibus, gladio imperuiis nec ictum clauae excipientibus.* Has *obiectiones* siue *disquisitiones metaphysicas*, quae inter *Obiectiones ad meditationes Cartesii* quintum ordine locum occupare debent, ad Cartesium Mersennus misit. Qui vt impatiens erat contradictionis, cum responsione sua Gassendianam disquisitionem typis vulgauit. Indigne id tulit Gassendus, qui non ea fini scripsit, vt contentionis ferram cum amico reciprocaret: vt tamen ostenderet, quibus momentis nondum satisfeciisset Cartesius, *Instantias* delineauit *ad Responsiones Cartesii.* Is aegre id se ferre non dissimulauit communi amico Sorbierio, quo rogante tandem ad ipsum Cartesium instantias suas Gassendus submisit, quo pacto hae quoque typis comparuerunt. Quibus vt responderet, et tela Gassendiana retunderet, vehementer quidem Cartesium amici impulerunt, officium tamen illo refugiente, cum et haud facile retundi possent, et interea temporis Cartesio ad Parisinos delato intercedenteque Caesare Estraeo, postea episcopo Laudunensi inter vtrumque pax esset inita et renouatum in praesentia Launoii, Roberualii, Mersenni aliorumque magni nominis virorum amicitiae vinculum. Satis acerbe in hac controuersia in Gassendum inuectus erat Cartesius, adeo, vt carneum diceret, et verbis aliis duris haud parceret: summa animi lenitate et moderatione responderat Gassendus, et praeteritorum obliuionem

pacti

pacti erant amici. Attamen Carteſius, cui res acta manebat alta mente repoſta, indignationem poſtea omnem dimittere non potuit. Cum enim noua editione meditationes ſuas recudi faceret, omiſit obiectiones et inſtantias Gaſſendi, eumque in locum ſuffecit epiſtolam [u], in qua ad eius monita nonnihil reſpondit, ita tamen, vt viri docti [x] non inepte iudicauerint, nihil ſolidi regerere potuiſſe Carteſium, nec noui aliquid protuliſſe. Ex his vero, quae carptim ex multis, quae de ſummo viro dici poterant, ſelegimus, conſtat, ſummo eum loco habuiſſe viros non modo in republica literaria primarios, ſed et in aula atque ciuitate principes, et amicitia eius gauiſum eſſe, quicquid inter nationes literis cultas magno viro innotuerat. Quos amicos fautoresque Gaſſendi longa ſerie enarrat Sorbierius, ipſe, ſi quis eos noſſe cupit, videndus. Non tacendum tamen, aſtronomorum totius fere Europae amicitia commercioque literario frui Gaſſendo licuiſſe, vt ex epiſtolis conſtat inter opera eius a Sorbierio editis. Sed et praeter matheſeos ſtudium philoſophiae amor illi viros ſummos iunxerat: inter quos praecipue memorari merentur Thomas Hobbeſius, Iſmaël Bulialdus, Franciſcus Mottaeus Vayerius, Michaël Neuraeus, Gaſſendi contra Io. Baptiſtam Morinum ὑπερασπιστὴς, Kenelmus Digbaeus, Marinus Curaeus Cambraeus, quem Sorbierius ait primum Ariſtoteleam philoſophiam et Platonica ratiocinia cultiori habitu in aulam deduxiſſe. Tum Ioannes Riolanus, Ioannes Pecquetus, cui demonſtrationem circulationis ſanguinis et exſuctionis chyli per venas lacteas Aſellianas debuit Gaſſendus, prius de ea re incertus et prorſus dubius. Hugo Grotius quoque, Honoratus Fabri, Iacobus Gaffarellus, Petrus Fermatius, et magna cohors aliorum, quorum doctrinae praeſtantia in reliquis ſcientiarum partibus excelluit, hoc loco non enumerandorum. Neque tamen vt nihil eſt ab omni parte beatum, et virtus non eſt ſine allatrante inuidia, aduerſariis quoque Gaſſendus caruit. Inter quos reliquos acerbitate facile vicit Ioannes Baptiſta Morinus, profeſſor regius mathematum, de cuius vitae circumſtantiis P. Bayle [y] legendus eſt. Is cum magnam τῆς μαντικῆς peritiam iactaret, et ex ſiderum poſitu de futuris multa praedicere confidenter auderet, pro aſtrologiae dignitate autem manibus calcibusque pugnaret, ferre non potuit Gaſſendum vaniſſimae artis incertitudinem rationibus euertentem euidentiſſimis, et occaſionem quaeſiuit, indignationem iramque in Gaſſendum demonſtrandi. Quam nactus eſſe ſibi videbatur, cum Gaſſendus duabus epiſtolis ad Petrum Puteanum, *de Motu impreſſo a motore translato* obiectionibus, quibus Copernici ſyſtema motusque terrae aſſertus impeti ſolet, reſpondiſſet. Publice enim tum Gaſſendum, editis *Alis telluris confractis* adortus eſt. Non tacuit quidem in tanta cauſſae bonitate Gaſſendus, ſed nonnulla repoſuit [z], edere tamen

u) T. I. Opp. p. m. 122.
x) Conf. Stollivs l. c. c. 2. §. 23. p. 411. Budaevs Iſagog. L. I. p. 245.
y) Dict. T. III. Art. Io. Bapt. Morin. pag. 424 ſeqq.
z) Inſerta eſt haec reſponſio T. III. Opp.

tamen istam responsionem noluit, cum litem amici diremissent. Cum autem inscio et inuito Gassendo eam anno MDCXLIX edidisset Neuraeus, culpam licet a se non admissam deprecante Gassendo, in furias actus Morinus ad epistolam eam acerbissimam responsionem edidit, et peculiari dissertatione quoque *de Atomis et vacuo* MDCL systema Gassendi euertere conatus est. Noluit tamen litigare cum impotentis animi viro Gassendus, cuius virtus a contentiosis moribus valde abhorrebat. Successerunt in locum amici Gassendi Bernierius et Neuraeus, quorum ille vulgata *Anatomia ridiculi muris*, et *Fauilla ridiculi muris*, sale nigro Morinum adsperserit, tanta illius ira et indignatione, vt cum alia non haberet, conuicia reponeret, edita *Vincentii Banurgi* nomine epistola *de Tribus impostoribus*, nempe, Gassendo, Bernierio, Neuraeo *. Quam controuersiam, indignis modis agitatam molestе tulit Gassendus, quem doluisse, quidquam repositum fuisse ab amicis testatur Sorbierius. Neque tamen ita imminuta est Gassendi fama et auctoritas, quae viros acutos permouit, vt systema principiis Democriti et Epicuri inaedificatum a Gassendo reciperent, et secundum illud vel totum vel ex parte maxime de natura rerum philosopharentur. Et hinc Gassendistarum nomen in orbe philosophico auditum, licet nihil minus vir summus cupiuerit, quam sectam aliquam condere [a]. Quanquam, quod hic obiter monemus, eo quoque nomine, haud raro illi appellantur, qui systema atomisticum admisso vacuo secuti de rebus naturalibus philosophati sunt, et Cartesianae imprimis philosophiae se ex parte opposuerunt [b], quamuis non eam quam Gassendus tenuit, viam instituerent. Quo pacto Radulphum Cudworthum, magnum Verulamium, imitatum Franciscum Bayle, Franc. Lami [c], Robertum Boylium, Kenelmum Digbaeum aliosque philosophari coepisse, in historia philosophiae naturalis speciali exponi solet, et peculiari tractatione enarrauit HENRICVS MAIVS [d]. Hos hoc loco non curamus, sed eos tantum adducemus, qui presso pede Gassendum secuti sunt.

§. VIII. Inter eos primum merito locum occupant FRANCISCVS BERNIERIVS et MICHAEL NEVRAEVS, quem vtrumque, cum in viuis esset, Gassendum praeceptorem habuisse, eique constanter adhaesisse in antecedentibus diximus. Et ille quidem, quem itinera in Asiae partes nonnullas, et comparata in iis exquisita rerum naturalium et medicarum experientia celeberrimum fecere, cum artem salutarem Montis- *Sectatores Gassendi.*

*) Vid. SORBIER. et BAYL. ll. cc.

a) Conferri merentur quae de Gassendi asseclis et imitatoribus attulit cel. MOSHEMIVS Hist. Christ. recent. sec. XVII. c. 4. §. 20. p. 402 sq.

b) Nonnullos confundere Cartesianos cum Gassendianis, obseruatum DANIELI Itin. Cart. per mundum P. III. p. 184.

c) Vid. STOLL. l. c. p. 593. BVDD. Annot. hist. phil. p. 379. Isag. p. 668. STRVVIVS Bibl. phil. c. 5. §. 5. p. 150 seqq.

d) In physicae veteris nouiter adornatae ad principia Democriti a Gassendo, Verulamio, Boylio, Derodone, Digbaeo aliisque redintegratae Syn. Franc. 1689. conf. Bibl. Vniuers. T. XIII. p. 226.

tispessulani docuisset, adeo humanitate, doctrina et philosophia Gassendi captus est, vt ab eo non discederet, sed Tolonam, Diniam et Lutetiam, Parisiorum eum sequeretur, et moribundo quoque oculos clauderet [e]. Offendit tamen Bernierius atomisticae doctrinae adoptatione Iesuitam Valesium, eo quod ista hypothesi transsubstantiationis dogma euerti crederet. Quam suspicionem vt a se, et a philosophia Gassendiana depelleret, *Apologiam* de ea re scripsit, quam P. Bayle [f] *Collectione scriptorum ad Cartesianam philosophiam spectantium* inseruit, quo cum conferendus *Biographiae Baelianae* scriptor Cl. des Maizeaux [g]. Debemus Bernierio *Compendium philosophiae Gassendianae*, lingua Gallica, bis [h], nisi fallimur, editum, in *quo virum se magno iudicio animique perspicuitate praeditum demonstrauisse*, iudicauit Petrvs Silvanvs Regivs [i], qui addit, *in ea epitoma multa perrara contineri inuenta a tempore Gassendi, tam ad physicam, quam ad astronomiam pertinentia excogitata, quaedam autem huic etiam operi inseruisse dubia sibi facta de Quaestionibus huius philosophiae difficillimis* [k], *quibus moderationem ingeniumque suum acerrimum demonstrauerit.* Non tacendum quoque, quod illustri Leibnizio [l] obseruatum est, negasse Bernierium concursum Dei specialem, id quod a Gassendi quidem placitis recedit, in homine vero atomisticum systema presso pede sequente non est magnopere mirandum. Michaëlem Neuraeum, philosophiae et astronomiae notitia singularis Gassendo commendauit, *quem acerrimum eius defensorem fuisse, quotiescunque dentata opus fuerit charta amico propugnando*, tradit Sorbierius, *quemque vnum* ait *posse vitam praeceptoris immortalibus suis coloribus repraesentare.* Narrat de eo Hvetivs [m], cui Cadomi innotuit, principum Longauillanorum adhuc puerorum regendis studiis praefectum nomina Michaëlis et Neuraei non natiua habuisse, sed adscita et commentitia. Cognoscere enim licere ex miscellaneis Cheuraei, qui popularis eius et condiscipulus fuerit, natum hunc esse Iulioduni in Pictonibus, Laurentium Mesmam vero nomine dictum, Carthusiano ordini solemnibus votis adstrictum totos triginta annos apud Burdigalenses egisse: et vitae tandem huius ac germani nominis pertaesum aliam induisse personam, ac Lutetiae demum Michaëlem Neuraeum factum, nouoque cultu ornatum prodiisse. Praeter hos Gallos Gassendianam philosophiam in Anglia recepit, amplificauit illustrauitque Gvalterus Charletonvs. Illi enim debemus *Physiologiam Epicuro-Gassendo-Charletonianam, siue fabricam scientiae naturalis ex hypothesi atomorum reparatae,*

e) Sorbier. l. c.

f) Recueil de quelques pieces curieuses concernant la philosophie de Mr. de Cartes 1684.

g) pag. 29. edit. fol.

h) 1678. 8. conf. Stollivs l. c. P. II. c. 1. §. 84. p. 397. Byddevs Hist. phil. p. 376. Morh. Polyhist. T. II. p. 273. Struv. l. c.

i) Discurs. hist. phil. p. 177.

k) Doutes sur quelques uns des principaux chapitres de son abregé de la philosophie de Gassendi Paris 1682. 12. conf. Moller. Hypomnem. p. 520.

l) Theodicee §. 27. p. 90. Fecit id in libro, de Libero et voluntario, Gallica lingua Amstelod. 1684. 8. edito.

m) Comm. de rebus ad eum pertinent. L. III. p. m. 70.

tae, *Londini MDLIV* lingua Anglica editam [n], cuius tamen pars specialis non prodiit, sed generalis solummodo Epicuream physiologiam, qualis a Gassendo restaurata est, ordine systematico delineat. Similes conatus suscepit G. B. DE SANCTO ROMANO medicinae D. Parisiensis, in *Physica a scholasticis tricis liberata* [o]. Is enim ad atomos quoque in enarrandis rerum naturalium arcanis recurrit, et ad atomos emancipatas pleraque reuocat, quas venena esse et solutas a corporibus, noxio in hominem effectu agere contendit, cum sint corpuscula valde acuta, acuminata, et terebellorum serrarumque exiguarum instar figurata, quae partes vitales transfigant, scindant, diuidant, et hac actione spirituum vitam largientium motum interrumpant. Hinc et antidota atomos istas emancipatas motu suo impedire, efficereque, vt oppignoratae et quietae remaneant, non secus ac ante emancipationem suam erant, statuit. Et ex hac hypothesi atomistica omnium fere morborum causas soluere tentat, quas in eiusmodi solutione atomorum, quae in corporum corruptione aut totali aut partiali fit, consistere, putat: et remedium quoque vniuersale commendat, nempe euacuationem quotidie factam motu et vellicatione corpusculorum acutorum. Quae tamen omnia heic latius enarrare, et quo pacto atomisticum dogma ad res omnes tum extra hominem tum in homine explicandas adhibeat, exponere, huius loci haud est. Haurient, qui plura cupiunt, et libellum ipsum non habent, ex Ephimeridibus Lipsiensibus *Acta Eruditorum* [p] describentibus, quantum satis ad cognoscendum, qua ratione Gassendi assecla visum sit, systema Democrito-Gassendianum ad argumentum transferre medicum. Addimus his WOLFERDVM SENGVERDVM, is enim *Philosophiam naturalem*, *Lugduni Batauorum* [q] editam simili pacto atomistico systemati inaedificauit. Quod adhibuit quoque DE STAIR [r] ita tamen, vt inter Gassendum et Cartesium medium teneret. Sunt quoque nonnulli, qui inter assecias Gassendi Hobbesium referunt [s], quem principiis corporeis omnia tribuisse infra suo loco docebimus. Et negari quidem nequit, amicitia Hobbesii gauisum fuisse Gassendum, huic autem librum illius *de Corpore*, teste SORBERIO [t], mire placuisse. Ast ipsum tamen vtriusque doctrinae aedificium ita diuersum est, vt confundi inter se non debeant. Sed et alios huc referri videas, Rondellum, de Cotoures aliosque, qui pro Epicuro scripserunt. Qui tamen cum philosophiam resque Epicuri historico tantum filo deduxerint, huc non pertinent. Sunt qui inter restauratores physiologiae Epicureae Iordanum Brunum Nolanum referant [u], at eum locum magis inter eclecticos mereri, ex illis constabit, quae infra de eo satis copiose dicemus.

n) Conf. MORHOF. l. c. T. II. p. 183. PASCH. Introd. in phil. mor. vet. p. 688. BVDDEVS l. c. p. 376. STOLLE l. c. p. 553.
o) Lugd. Batau. 1684. 12.
p) 1684. p. 364.
q) 1681. 4.
r) STRVVIVS et STOLLIVS ll. cc.
s) GENTZKE Hist. phil. P. III. m. I. c. 2. p. 154.
t) loc. cit.
u) BVDDEVS l. c. p. 367.

Obseruationes de restauratione philosophiae Democrito-Epicureae.

§. IX. Qua ratione Gassendus eiusque sequaces, supposito systemate atomistico philosophati sint, id hoc loco delineari non potest, eo quod ad specialem philosophiae naturalis historiam pertinet. Pleraque tamen ex illis intelligi possunt, quae de physica Epicurea Gassendum ducem secuti suo loco diximus. Restat solummodo, vt pauca quaedam de resuscitata philosophia Democrito-Epicurea, et praecipue de naturali eius parte dicamus, quae allatis lucem quandam conciliabunt.

Et I. quidem philosophiam corpuscularem, id est, illam de rerum naturalium principiis causisque ratiocinationem, quae corpuscula minima et indiuidua supponit, non cum Democrito natam, sed antiquiorem esse, ex historia philosophiae *Tomo primo* fuse enarrata est manifestissimum. Quamuis enim non satis tuta certaque fide eos niti demonstrauerimus [x], qui vel Moschum Phoenicium eius auctorem dicunt, vel in Sanchuniathonis physiologia eam vident [y], qua ratione nimis perspicax fuit RADVLPHVS CVDWORTHVS [z], antiquitatis philosophiae corpuscularis defensor acerrimus et eruditissimus; non ignorant tamen, qui systemata veterum philosophorum, maxime Graecorum nobiscum explorarunt, nec Pythagoram, et qui ex eius schola prodiere, maxime Empedoclem, nec Heraclitum, nec Anaxagoram, similem de rebus naturalibus philosophandi modum refugisse. Et hoc quidem sensu non solam Democriti et Epicuri philosophiam, sed canam vetustatis traditionem resuscitasse viros doctos, quos in hoc capite in scenam produximus, dicendum esset. Verum recordari simul Lectorem ea iubemus, quae *Tomo primo* [a] accurate, nisi fallimur, disputauimus, veterum, qui particulas minimas, simplices, indiuiduas pro principiis posuerunt opinionem verum systema atomisticum non recepisse, sed a Democriti et Epicuri statutis longe differre: eo quod particulas istas, siue minima naturalia variis modis qualitatibus induerint, et solis litis et amicitiae modificationibus sine vacuo admisso cuncta fieri tradiderint. Quod licet parum momenti habere videatur, omnino tamen hoc loco animo reputandum est, nec diuersae inter se opiniones confundantur et soccus aptetur cothurno, quadrata misceantur rotundis. Id quod in ipsa quoque recentiorum, qui atomos sibi selegerunt, philosophorum historia tenendum est, qui non omnes in Gassendi via, quae Democrito-Epicurea fuit, haeserunt, sed prout sibi videbantur ad scopum peruenire potuisse, quem praeoptabant, atomorum hypothesi vsi sunt. Id quod ex Cartesii physiologia illustrari luculenter potest, qui licet minima illa corpuscula ad explicanda rerum naturalium φαινόμενα adhibuisset, vacuum tamen proscripsit, quo exulante totum corruit Democriteae et Epicureae physicae aedificium, tria autem istorum corpusculorum siue elementorum ex quibus omnia fiunt, genera comminiscens, aliam longe, quam Gassendus, physiologiae rationem iniit. Nec hic solus fuit, qui ea hypothesi ad constituendum systema singulare adhiberet, sed nostra aetate plurimi fuere, qui vt quis fuit ingenio promtior et alacrior, ita meliorem rerum

x) T. I. p. 231. y) Ibid. p. 241. z) Syst. Intell. c. 1. §. 9. p. 14. a) p. 232.

rerum naturalium originem se hoc filo adhibito descripsisse credidit. Cuius rei exempla in historia philosophiae naturalis speciali quaerenda sunt. Specimen vero hoc loco qui postulat, cum REGNALTII *Dialogos inter Aristaeum et Eudoxum* [b] adire iubemus, vbi mediam inter Gassendum et Cartesium hypothesin reperiet, dogmati atomistico inaedificatam.

II. Porro de ipso philosophandi modo Gassendiano recte statuendum est. Quem non primum inter recentiores adhibuisse Gassendum, nec solum, ex iis, quae hoc capite iam tetigimus, constare attento lectori potest, et recentioris philosophiae historia testatur. Praeter Gassendum enim non Magnenus modo hypothesi de atomis vsus est, sed et magnus VERVLAMIVS [c] vt erat animo maximo et acuto, eam vehementer commendauit, et praeclare Democritum atomos siue semina, atque eorum virtutem nullius rei similia quae sub sensum cadere posset, asseruisse iudicauit. Egregie quoque obseruat, vim et formam atomorum non graue quiddam esse aut leue, aut calidum aut frigidum, aut densum aut rarum, aut durum aut molle, qualia in corporibus grandioribus inueniuntur, cum istae virtutes et reliquae id genus compositae sint et conflatae. Similia de motu atomorum motui corporum grandiorum dissimili notat, recte addens, nihilominus et in corpore atomi elementa omnium corporum et in motu et virtute atomi initia omnium motuum et virtutum inesse. Sed et supra initio capitis huius diximus, Andream Sennertum atomorum hypothesin iam in medium adduxisse, qui ad Franciscum Aquilonium prouocat, necessitatem huius hypothesis ad explicanda rerum naturalium mysteria ante se agnoscentem. Tacemus quae supra de Sebastiano Bassono attulimus, Democriteam de atomis doctrinam valde commendante. Sic vt vno eodemque fere tempore Sennertus, Verulamius et Basso de atomistico systemate restituendo philosophos monerent. At debetur tamen Gassendo gloria, quod vnus fuerit, qui illi hypothesi iustum doctrinae naturalis aedificium superstruxit, et physicam corpuscularem animauit iustoque instruxit habitu. Qui tamen licet Democritum vel Epicurum potius sibi sequendum elegisset, non tamen sectario ad id animo accessit, sed vt a seruili istius philosophiae iugo abhorrebat, quod fatentem supra audiuimus, ita Epicureis hypothesibus non aliter vsus est, quam vt ea seligeret, quae veritati conuenire reputabat, repudiatis illis, quae falsa esse et erronea in systemate Epicureo iudicabat. Inde factum, vt cum praeter atomos et inane nihil pro principio rerum naturalium Epicurus admitteret, Gassendus deserto Gargettio sene Deum toti materiae moli praefecerit, et contemto fortiterque explosо praeiudicio Epicureo: refragari beatae naturae diuinae rerum naturalium operationi praeesse, ab eo motus atomorum initium deriuauerit, nec prouidentiam diuinam ex mundo proscripserit. Nec contentus errores pestilentes eiecisse innumera ex suo penore addidit, recentiorum physicorum obseruationibus cuncta illustrauit, hocque pacto no-

b) REGNAVT Entretiens d'Ariste et Eudoxe, vid. Act. Erud. nou. T. I. sect. III. art. 5. p. 109.

c) De Principiis atque originibus secundum fabulas Cupidinis et Caeli T. III. Opp. p. 213 seq.

uum philoſophiae ſyſtema condidit. Vnde non magnopere errant, qui Gaſſendum inter eclecticos philoſophos referunt: licet primarium totius diſciplinae naturalis fundamentum quo ſua inaedificauit omnia, ab Epicuro tranſſumſiſſet [d].

III. Ex his vero ſua ſponte fluit, Epicuream philoſophiam puram et nulla ratione mutatam neque apud Gaſſendum, neque apud alios, qui eius veſtigia preſſerunt, quaerendam eſſe. Tantum enim abeſt, vt id ſibi propoſuerit Gaſſendus, licet in eo totus eſſet, vt natiuam Epicuri philoſophiae faciem a tot ſeculis deturpatam et corruptam redderet, vt potius in dedicatione librorum *de vita Epicuri* contrarium diſerte teſtatus ſit. Oſtendimus etiam ſupra, in quibus dogmatibus κυρίας δόξας Epicuri deſeruerit, easque accurate refutauerit. Qua ratione quidem verus, purusque Epicureiſmus a Gaſſendo reſtitutus haud eſt, qui ſuo talo conſtare non poteſt, niſi eiecto ex rerum naturalium circulis et in intermundia relegato Deo, tota materiae formatio et coalitio fortuito atomorum concurſui in vacuo ſiue inani facto permittatur; ita vero exitialis ille atque peſtilens vultus, quo Epicurea philoſophia terruit, quotquot religionem Deumque amarunt, procul eſſe iuſſus ſublatumque venenum eſt, quod tantopere pertimuerunt plerique, qui Epicuream philoſophiam reprehenderunt. Sobrie itaque et modeſte de hac Epicureae philoſophiae reſtauratione iudicandum eſt, nec impietatis contemtaeque religionis nota viro maximo et pietatem ſponte ſectanti inurenda eſt, qua ratione praecipitanter ſatis de Gaſſendo iudicauiſſe Conringium, Thomaſium, Parckerum ſupra iam memorauimus.

IV. Magnam et patentem naturae arcana rimaturis ianuam hac hypotheſi comta, ornata, et recte explicata Gaſſendum et ſequaces aperuiſſe, non diffitebuntur, qui inuidia non ducuntur, et ipſam hypotheſin, quaeque ex ea conſequuntur, rite intelligunt. Fatemurque lubentes, ad eclecticam philoſophiam vix aliquem ſtratam magis viam parauiſſe, quam Gaſſendum. Verum vt omnis philoſophia hypothetica ſuis premitur difficultatibus, et ea quoque eſt humanae mentis anguſtia, vt in omnia naturae adyta penetrare non poſſit, ita negari quoque non poteſt, eſſe in hac ipſa philoſ. atomiſtica, qualem Gaſſendus reſuſcitauit formauitque, quae ſummorum virorum obiectiones haud leues experta ſunt, quaeque facilius oppugnari quam defendi poſſunt. Quod prolixa hoc loco diſſertatione explicare inſtitutum quidem noſtrum haud patitur, vna tamen, quae de vacuo poſt Gaſſendum, qui illud ex exilio quaſi reuocauit exorta eſt diſputatio ſatis demonſtrat, non defuiſſe viris ingenio et eruditione magnis, quae non ſine acumine et veriſimilitudine ſat magna Gaſſendianis φιλοσοφεμένοις obiicerent. Inter quos imprimis Renatus Carteſius, Gaſſendo aemulus, naturalem philoſophiam ſuam ita inſtruxit, vt pateret, vacuum omnino eiiciendum eſſe. Quod ſyſtemati atomiſtico aduerſari nemo non videt, cum ſine inani Epicureo atomis locus non ſit, in quo moueantur. Vnde Galilaeum, Toricellum aliosque, qui vacuum ad explicanda rerum natu-

d) Comparari hunc in finem LAERTII liber X. cum ſyſtemate Gaſſendiano debet.

naturalium phaenomena adhibuerunt, ſecutus Gaſſendus vacuum more Epicureo corpuſculis illis indiuiduis oppoſuit, et ſpatium ſiue vacuum pro re habuit, quae nec corpus eſſet, nec ſubſtantia, nec accidens ſubſtantiae, ſed res media e). Id quod non potuit non offendere Carteſium, qui cum rerum omnium naturam in cogitationem et extenſionem diuiſiſſet, et in illa ſpiritus eſſentiam in hac corporis poſuiſſet, ſpatii vel vacui ideam contradictoriam eſſe obiecit, eo quod, quamcunque ſpatii notionem ſequare dimenſiones corporum tamen, adeoque extenſionem ab ea ſeparare non liceat, quo pacto ſpatium vacuumue corpori opponi non poteſt. Quae res longae et his noſtris temporibus nondum finitae controuerſiae ferrae reciprocandae occaſionem Gaſſendiſtis et Carteſianis ſuppeditauit. Cum enim Carteſii ſequaces naturam corporis, et extenſionis indolem vehementer vrgerent, Gaſſendi aſſeclae, motus naturam illis oppoſuerunt, quem verum non dari contenderunt, niſi corpora in ſpatio vacuo mouerentur, eo quod vnum corpus aliud penetrare non poteſt. Qua ratione ex vtraque parte ita dimicatum eſt, vt iudicari dum videatur, victoriam ſemper fuiſſe aggredientium, et facilius eſſe inuictas argumentorum phalanges obiicere, quam aduerſarum rationum vim frangere. Ita tamen ſpatii vacuique cauſſam egerunt Gaſſendi aſſeclae, vt viri ſummi et magna rerum naturalium cognitione illuſtres ab eo recipiendo admittendoque non abhorruerint. Quo modo Chriſtianus Hugenius ad demonſtrandam cauſſam grauitatis illud iam adhibuit, noſtra autem aetate magnus in philoſophia naturali et matheſi ſublimiori heros Iſaacus Neutonus, fortiſſimam pro ſpatio infinito aciem inſtruxit, quam ſuis adiuuerunt copiis maximi viri cultores et aſſeclae Fatius, Clarkius, aliique haud pauci, quibus Carteſiana hypotheſis ſpatio inimica neque cum natura motus, neque cum grauitatis cauſſis conſiſtere poſſe iudicata eſt. Vbi tamen, vt nihil eſt humanae rationis perfectum, et Carteſiana factio grauem Neutonianis dogmatibus de ſpatio vacuoue dicam ſcripſit, et illuſtris Leibnizius, quique eius philoſophandi rationem ſequuntur, vt erat ingenio maximo, inſuperabiles difficultates illis oppoſuit f), qui ſpatium pro ente reali abſolutoque habent, cum ad ſolam corporum relationem eam notionem referret. De quibus tamen omnibus prolixius heic differere, paginae anguſtia et limites nobis poſiti obſtant. Nobis licet iniquus in hoc argumento iudex videatur P. Bayle g), qui ad incruſtandum Pyrrhoniſmum ambigua hac controuerſia callide vſus eſt, fatemur tamen, vix alio exemplo luculentius conſtare, quam arcti ſint intellectus humani limites, et quam neceſſarium ſit, non de rebus modo naturalibus, ſed notionibus quoque metaphyſicis modeſte diſputare, modumque ſeruando et humanae mentis conditionem recordando prudenter ſapere.

* * *

LIBER

e) Conf. Cvdworth. Syſt. intell. p. 970. Bayle Lettres T. III. p. 829.

f) Vid. Recueil de Diuerſes pieces de Philoſophie T. I. p. 20. ſeq. et quae nuper ea de re diſputata ſunt inter Voltairium et Kahlium VV. CC.

g) Dict. T. III. art. Leucippe not. G.